



Botay

16. 2. 5.

Tom 3.

P

C

NV

q

In ha
per
sun

op

A P

DIVINI

PLATONIS

OPERA OMNIA

quæ extant, ex Latina MARSILII FICINI versione,

NVNC MVLTO ACCVRATIVS

quàm antea cum Græco contextu collata, & quàm plurimis locis emendata.

In hac editione ad FICINI argumenta accesserunt perpetuæ notæ marginales cuiusque disputationis summam & scopum breuiter indicantes.

Opus tribus Tomis distinctum: cum locupletissimo rerum omnium Indice.

[redacted]mus primus.



APVD IACOBVM STOER,

M. D. XCII.

CATALOGVS LIBRORVM QVÆ HOC TOMO PRIMO continentur.

		pag.
1	Hipparchus de lucri cupiditate	1.
2	De philosophia seu amatores	11.
3	Theages de sapientia	22.
4	Meno de virtute	37.
5	Alcibiades primus de natura hominis	78.
6	Alcibiades secundus de voto	123.
7	Minos de lege	140.
8	Eutyphro de sanctitate	154.
9	Parmenides de vno rerum principio	175.
10	Philebus de summo hominis bono	235.
11	Hippias maior de pulchro	306.
12	Lysis de amicitia	345.
13	Theætetus de scientia	371.
14	Io de furore poëtico	484.
15	Sophista de ente	502.
16	Ciuilis de regno	570.
17	Protagoras contra sophistas	645.
18	Euthydemus siue litigiosus	722.
19	Hippias minor de mendacio	772.
20	Charmides de temperantia	791.
21	Laches de fortitudine	830.
22	Clitipho exhortatorius	861.

BIBLIOTHECA * KORNICKA *
13910

STE-

STEPHANI TREMVLÆI ad Lectorem

PRÆFATIO.

QVANTVM ad veram solidámque Philosophiam conferat Plato, nemo sanæ mentis, qui vel leuiter illius scripta delibasset, vnquam dubitauit: ita vt qui velit in illius laudes excurrere, is in re non necessaria superuacaneam operam ponere, lectorúmque otio abuti meritò videatur: nec iniuria illud audiat, quòd eum laudet, quem nemo vituperat: Ita enim in promptu est, quæ ex illius scriptis percipi potest vtilitas, [illegible] indicante illa vltro & sponte se offerat, authorem commendet, & aduersus maleuolorum obtrectationes tutetur & defendat. Ingenij præterea illius tanta fuit præstantia & elegantia, tanta doctrinæ varietas, tanta orationis vbertas, tanta suauitas, vt ad eum pro merito laudandum alio Platone opus sit: quique ad diuitem illam & vberem ingenij venam non accedens, laudes illius persequi aggrediatur, is profectò illas ingenij sui culpa detriturus sit potius, quàm exornaturus. Ecquid verò cuiusquam commendatione accedere, aut vituperatione detrahi potest, laudibus viri illius, quem omnis vetustas semper admirata est, prædicauit & in cœlum sustulit? ex cu-

ius schola tanquam ex equo Troiano propè omnes Philosophorum familiæ, in diuersas postea sententias & sectas distractæ profluxerunt? quem Cicero lumen illud alterum ingeniorum, & cuius testimonium instar non modò multorum millium sed omnium esse debeat, semper in ore habuit, imitatus est, & expreßit, illum principem & Deum Philosophorum, subinde vocans, eiusq; authoritatem tanti faciens, vt malle se, dicat, errare cum Platone quàm cũ cæteris benè sentire: Quod verò de illo grauius iudicium expectamus, quàm quòd de ipso vir acerrimi & magni ad miraculum vsque ingenij Aristoteles fecit, qui quanti fecerit Platonis eruditionem eo ipso satis ostendit quod iam trigesimum ætatis annum agens, vt refert Diogenes Laertius, se illi in disciplinam in totos septendecim annos tradiderit: & is quidem etsi à præceptore in nonnullis dissensit, imo verò illum interdum iniquius insectatus est, videtur tamen potius ex eius insectatione, quia magni faciebat, & ab alijs meritò magni fieri videbat illius ingenium sibi gloriam quærere voluisse, quàm iustam illum reprehendendi in multis occasionem habuisse. Sed iam præter institutum facio qui in laudes illius viri digrediar, quas non attigisse præstat, quàm non satis pro dignitate exequi. Nec verò etiam nobis propositum est in præsentia de illius in omni parte Philosophiæ dogmatibus & placitis in quibus cum ipso Aristoteles cõsentiat, aut ab illo dissentiat, quo denique scribendi genere fœcundißimi sui ingenij inuenta posteritati commendarit, quicquam dicere: sicuti nec modò consilium

est

est respondere ad putidas imperitorum querundam calumnias, & obtrectationes, qui humaniorum scientiarum hostes, tantum támque præclarè de studijs præsertim Philosophiæ meritum authorem ex manibus studiosorum, cum alijs innumeris optimis scriptoribus extorquere conantur: ex parte enim hæc iam à magnis viris præstita sunt, qui vel illius vitam conscripserunt vel defensionem aduersus maleuolorum & imperitorum insectationes susceperunt: tum horum singula vt propriam & peculiarem ex professo tractationem requirunt, ita satis amplam singulis libris materiam suggerunt. Illud obiter & in transcursu duntaxat. dū aliò festinat oratio mea, dixerim, quod cōcessuros mihi confido, quicunque in vtriusque scriptis, Platonis nempe & Aristotelis præceptoris & discipuli diligētius fuerint versati, ea quæ in artis formam, accurata methodo quam etiam à præceptore didicerat, ab Aristotele redacta, & in verborum compendia, ex illa latissime patente, & in omnes partes diffusa disputationum & orationis copia quam Plato secutus est, contracta sunt, in Platonis libris passim sparsa inuentum iri: ita vt si illa Aristoteli demas, quæ à præceptore accepisse, didicisse & hausisse, ex suo cum illo consensu in iis rebus deprehenditur, pauca admodum illa in quibus ab ipso dissidet & quæ illi vt propria, sunt tribuenda, reliqua sint futura.

Iam itaque transeo ad illud cuius gratia hæc à me potissimùm instituta est præfatio: Sunt enim minimè dubium est, vti diximus vtilissimum & grauissimum

authorem esse, Platonem ita etiam illud extra controuersiam positum est omninò necessarium fuisse, vt tantus tam varia támque multiplici eruditione refertus author, è Græcia in Latium, hoc est è Græco in Latinum sermonem trã ferretur: quotusquisque enim è studiosis est, cui, otium, libri, præceptores, quæ quidem sunt linguarum & scientiarum discendarum instrumenta, ita opportunè & abundè suppetant, vt tantam linguæ Græcæ cognitionem sibi possit comparare quãta requiritur, ad Platonem, & alios eius generis authores, vt nusquam hæreat, intelligẽdos? multis etiam si, nec ista adiumenta, nec ingenium desit, non est tamen consilium in linguis addiscendis tempus ponere quia ad altiora & scientias ipsas statim adspirant: qui omnes vberrimo & amplissimo fructu, qui à studiosis ex Platonis lectione colligi potest, priuarentur, nisi in Latinum sermonem conuersus fuisset: quam ob causam nunquam satis pro merito, à nobis collaudari poterit, studium, labor & industria, quam superiori sæculo in hac palæstra fœlicissimè posuit, vir vndequaque doctissimus & summus Philosophus Marsilius Ficinus, qui in hoc opere, (Platonis versionem intelligo,) quum primus illum aggressus sit, cæteros omnes non solùm anteuertit, sed omnibus, qui post ipsum, idem tẽtare vellent palmam præripuit, primúsque Platonis versionem & suscepisse, & quantum quidem ab hominibus, pro vt nunc sunt, perfici potuit, perfeciſse videtur: nec mirum sanè, nam quæ ad eam rem cum laude præstandam necessaria esse videbantur adiumenta, illi abundè

bundè adfuerunt: fuit enim in illo summa Græcæ linguæ cognitio, habuit eiusdem linguæ peritissimos & doctissimos viros, quos illa ætas tulit, quibus cum de locis difficilioribus conferre posset, quorum quidem virorum commemoratis nominibus, in præfatiunculæ ad lectorem adiunctæ epistolæ ad Laurentium Medicæum, admonuit se ipsorum consilio & censura vsum esse in Platonis versione edenda: sed quod maximum & præcipuum est ad quemcunque authorem feliciter vertendum, vt optimè illius sensa & mentem noris, hoc ille ita assecutus erat in Platone, crebra & assidua ipsius lectione vt nemo illius mentem melius calluerit, aut callere possit, quàm ipse Ficinus calluit, ita in ipso immutritus imbiberat illius in vnaquaque re sententias, vt si vera essent deliria illa μετεμψυχώσεως, quæ à Pythagora accepta, Plato excoluit, meritò Platonis anima transfusa in Ficini corpus, atque in hisce terris Plato post tot sæcula redditus fuisse credi posset. Cæterùm Ficini quam is ex hoc opere sibi parauerat gloriam tam satis per se illustrem auxit, & mirè illustrauit, quorundam qui post illum idem curriculum conficere aggressi sunt, & melius aliquid præstare se posse sperarunt, infelicissimus conatus: qui quidem profectò melius famæ suæ & existimationi consuluissent si aut onus cui sustinendo impares erant nunquam suscepissent, aut si pares erant, melius sustinuissent parco illorum nomini. & cuperem, vt non tam facilè etiam nobis nomina reticentibus intelligeres lector, quinam illi sint: sunt sanè amici nostri, & ea cum linguæ Græcæ

cognitione, tum ingenij acumine ad Philosophiam intelligendam, vt de illis hoc polliceri audeam, nec negabunt, qui illos norint, ipsos si hoc opere non ita cursim & præcipitãter defunctos essent, sed ad ipsum & otium & attentionem quam requirebat authoris ipsius grauitas & rerum difficultas adhibuissent, quamuis Ficinum ipsum æquare aut superare non potuissent, saltem lectoribus studium & diligẽtiam probaturos fuisse: quod sus déque habẽtes dum liberum quoddam & elegans, vt ipsis quidem videtur, vertendi genus sectãtur, infinitis locis Platonis mentem & sensus corruperunt, ac deprauarunt, nec solùm alium aut diuersum ab eo quem ipse voluit, sed planè contrarium nobis sensum reddiderunt: Sed hæc quidem hactenus, quæ rogo æquos lectores vt in eam partem interpretentur, quasi à me dicta sint nõ in sectandi cuiusquam gratia, sed veritatis studio, vt omnes etiam intelligant quanti faciẽda sit præ hac noua, Ficini versio, qua quidem in hoc genere nihil accuratius & perfectius exstare posse iudico, & eiusmodi esse, vt in arce, sicut illa Minerua Phidiæ meritò collocari debeat. Quòd si quis obijciat Ficini versionem, vt Platonis mentem fideliter reddat & exprimat, rudem tamen & incultam esse, multumque abesse ab ea elegantia & venustate quæ in Græco Platonis sermone elucet, quamque nec immeritò ita sunt admirati veteres vt dixerint Iouem non alia quàm Platonis lingua locuturum esse si Græcè loqui voluisset, ita enim verborum puritate nitet, & perpetuis metaphoris tanquam gemmis quibusdam di-

stin

Iuncta est Platonis oratio vt nihil suprà: hoc inquam qui obiecerit ei ita sat factum esse volumus: optãdum sanè vt talis Platoni interpres posset contingere, qui non solùm illius mentem & sensus, sed etiam sermonis leporem & venustatem latina lingua repræsentaret: quod vnum M. Tullium præstitutum fuisse existimauerim, si vt quosdam eius locos admirabili felicitate vertit, totum Platonem vertisset: In proœmio quidem librorum de Finibus negat se adhuc totum Platonem aut Aristotelem vertisse, sed sibi tamen ne faciat, interdictum, non putare: locos verò quosdã si videretur, se trãslaturũ professus est. quod fecit: sed & ex particulis illis, quas ipsius scriptis insertas habemus, facile est intelligere, quale futurum fuisset totum & integrum corpus: si ab eo hoc agente duo illi principes Philosophorum integri versi essent: ea enim facilitate, & flexibilitate ingenij fuit M. Tullius, ita Latini sermonis omnes veneres & gratias callebat: ad quæ etiam linguæ Græcæ & Philosophiæ præsertim Academiæ tantam cognitionem adiunxerat, vt si Platonem integrum vertisset illum non solùm sensibus & sententijs, sed lineamentis, vultu, coloribus denique omnibus orationis, totum nobis perfectè expressisset, vt planè Latinus à Græco nihil differret, eundémque nucleum, eodem tegmine & cortice vestitum nobis exhibuisset: Sed hæc fuit ingenij Tulliani sicut aliæ multæ in alijs rebus, ita in transferendis authoribus Græcis in Latinum sermonem propria & peculiaris laus: quam nobis optare licet, sed vt illa cuiquã contigerit post ipsum

obrepere interdum somnus: quæ causa impulit iam olim doctissimos viros & in primis Simonem illum Grynæum, si tempora literatorum decus, vt nō dubitarēt versionem illam recognoscere & mendis repurgare: quod cùm ab illis ita præstitum fuerit vt nonnulla adhuc superessent, eadem rogatus à Typographo, cùm pararet editionem hāc minori forma, prouinciam suscepi versionis Ficinianæ cum Græco textu diligenter conferendæ, & si alicubi vitiosa esset emendandæ: quod eò libentius fecimus, quod nec studiosis Philosophiæ inutilem nostram hanc operam fore duximus, nec nobis infructuosam, cum ex hac iterata Platonis lectione, eorum quæ apud illum olim legissemus memoria renouari & cōfirmari posset: quid à nobis præstitum sit, tuum Lector erit iudicium: sane hoc verè profiteri possumus, nos ea quæ emendauimus non sine maxima cautione ac propè religione emendasse, & quanuis occurrerent interdum aliqua vocabula minus propria & apta nihil mutasse, nisi quando Ficinus visus est nobis Latina cum Græcis diligenter conferentibus, à sensu Platonis longius recedere, quod vt facilius iudicare possit beneuolus lector, & peritus linguæ Græcæ, si libuerit illi nostras emendationes cū Græco textu conferre, nequis nos versionē Ficini, dū eius vitia sanare conamur, cōtaminasse meritò cōqueri possit, aut etiā putet inanem & falsum esse titulū operis qui locorum multorū emendationē præ se ferat, locos emendatos à nobis, distinximus & inclusimus lineolis hac forma uncinatis [ ].

Præterea, quia ob longas inductiones, & frequentes

tes digressiones, quibus abundat Plato, non facile est cuius intelligere, quò quæque referenda sint, visum est quantum quidem libri forma passa est, breues notas ad marginem adycere, quæ cuiusque disputationis summam & scopum indicarent, ita vt earum notarum ductu Lector non imperitus artis Logicæ & præcipuè eius partis, quæ docet de quacunque re probabiliter in vtramque partem disserere, locos denique tradit, argumentorum, quibus quidque adstrui, vel aestrui possit: (quam quidem partem Plato imprimis excoluit) facilè possit dialogos in conclusiones tam primarias quàm secundarias tum ea ex quibus illæ conclusiones conficiuntur, retexere: Atque eadem opera, de vna fidelia duos parietes dealbantes, ostendimus, quis fructus ex Platone præcipuè colligendus sit, quæ in primis apud illum obseruanda, & ad quatuor partium Philosophiæ nempe Dialecticæ, Physicæ, Ethicæ & Metaphysicæ, aliquam referendæ, prout hæ partes, nudè, simpliciter, & sine allegoriis à Platone, deinde ab Aristotele diligenter excultæ sunt. Nam allegorica illa & tractationes de diuinis, de Intelligentijs & dæmonum varia natura, quibus Platonis interpretes Porphyrius, Iamblichus & alij illius Philosophiam simplicem, & non ita difficilem obscurarunt & contaminarunt, ipsi affingentes ea de quibus ille nunquam cogitauit, vana sunt, inania, & à veræ solidæq; Philosophiæ studiosis, vt pestes & carnificinæ ingeniorum penitus explodendæ: Platoni enim quanquam de rebus diuinis & de deo sublimius, & sanctius, quàm cæteri omnes Philosophi disserat, vnde merito diuini

Philosophi nomẽ obtinuit, etsi etiã nonnunquã plus æquo suis figmentis indulget, ista deliria & somnia, quæ illi μετεωρολέσχαι ipsi attribuunt, in mentem vnquam venisse nullo modo credibile est.

Dialogos eodem ordine, hac editione disposuimus quo in superioribus erant dispositi, nisi quòd vt quoad fieri posset, æqualiter in tres Tomos distribuerentur, in secundũ tomũ cõtulimus epistolas & dialogos, qui non pro legitimis habentur, cùm in alijs editionibus in finem operis hæc solita fuerint reijci.

Argumenta Ficini etiam suis locis, singula suis dialogis præfiximus. Cùm verò à nobis Typographus postulasset, vt de ipsis argumentis quæ interdum prolixiora esse viderentur, aliqua quæ minus necessaria essent demeremus, ad minuendã voluminũ molẽ quò ea faciliùs cõpingi & circũgestari posset, diu multũq; dubitauimus, an id facere expediret. tãdẽ verò ita nobis visum est quædã posse tolli, nõ quidẽ ex omnibus, sed quibusdã dũtaxat, sine iniuria vlla Ficini, aut etiã dãno detrimẽtóue lectorũ, allegorica nimirũ illa & aliena à mẽte Platonis, quæ Ficinus interdum dũ plus æquo indulget & tribuit illis interpretibus de quibus paulò ante aliquid diximus, & quos quidẽ ille diu diligẽterq; versauerat. suis commẽtarijs aspersit & inseruit, ne frustra tẽpus illud quod in ipsis legendis posuerat collocasse sibi videretur, ea inquã sustulimus, quãdo id cõmodè fieri posse nobis visũ est: & maximè quũ sacrosancta mysteria nostræ religionis Christianæ misceat, cũ somnijs & delirijs, ita enim mihi liceat cũ bona venia lectoris appellare, nõ dicã Platonis, cùm is de illis

ne per

ne per insomniũ quidẽ cogitarũt, sed interpretũ ipsius. Atque vt eò melius intelligas, benevole lector, quanto tibi lucro sit futura iactura illarũ nugarũ, ne quid grauius dicam, locũ vnũ ex quo de cæteris similibus facilius possis iudicio facere, proferã. Plato lib. 6. de Rep. præclara sanè analogia ostendit, intellectũ nostrũ eodẽ modo se habere ad intelligibilia hoc est verè entia, quo se habet oculus ad res visibiles, atque inde efficit quomodo oculus noster non potest ista visibilia perspicere, sine lumine Solis quo illustrante aërẽ, Solẽ ipsum intuetur, & res hasce visibiles: ita mẽtis nostræ, & intellectus oculũ beneficio superni & cælestis luminis, quod ab eo qui est idẽ in intelligibili loco quod Sol in visibili, nẽpe à Deo opt. Max. promanat, cum reliqua verè Entia, tũ Deũ ipsũ luminis illius parẽtẽ & authorem intelligere: Quia eo loco Plato appellat lumen illud, quo illuminamur supernè ad intelligenda ea quæ verè sunt, & illuminationẽ illã, quæ fit à superno lumine in mẽtibus nostris, prolẽ & fœtũ inuisibilis & intelligibilis Solis. Ficinus annotauit in argumẽto, eos qui Platonici appellãtur secutus, Platonem per filiũ & prolẽ illã intellexisse filiũ illũ Dei æternum, nobis patefactũ in scripturis, qui est imago patris & character personæ eius: Apage nugas istas: Platoni quidquam horũ in mentem venire potuisse? Nam etsi locus ille Platonis à nobis modò commemoratus possit meritò accommodari filio illi æterno Dei qui est lumen de lumine, & est lux illa quæ ab initio illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum vt est 1. cap Euang. secundum S. Ioannem: etsi etiam non diffitear Plato-

nem longè supra cæteros Philosophos ad Deum ascendisse, & de ipso meliùs & sanctiùs multò sensisse, nec non etiam γνῶσιν illud τοῦ θεοῦ, quod ex rebus visibilibus cognosci potest, purius & uberius, quàm alios omnes, qui sapientum nomen sibi vindicarunt, cognouisse siue ex Aegyptiorum sacerdotibus, qui aliquam de vero Deo notitiam ex populi Israëlitici in Aegypto commoratione, acceptam potuerunt retinere, siue aliunde acceperit: vt is vnquam cogitarit de sacrosancto illo diuinæ Trinitatis mysterio, quod nobis in scripturis patefactum est, obscurius quidem in veteri, apertius in nouo Testamento, id fortiter pernego. & mihi assensuros confido omnes, qui veræ pietatis & eius reuerētiæ quæ à nobis verbo Dei, & cælesti doctrinæ in ipso reuelatæ debetur, gustum aliquē habēt: Atq; hæc quidem & eiusmodi prope generis alia nonnulla cùm ex quibusdā Ficini argumētis sustulerimus, nō est meo quidem iudicio cur quispiā eorū qui Christianā religionē ex animo venerantur, à nobis Ficini scriptis iniuriam factā aut lectoribus damnum vllum illatum esse conqueratur. Argumenta in Conuiuium & Timæum, quia propè sunt instar iusti commentarij, etsi multa in illis sunt allegorica nec vsque adeo firma & solida non visum est attingere.

Et hactenus quidem labor noster in hac editione Platonis versatus est. quem vt æqui bonique consulas, beneuole Lector rogamus, cōfirmantes te hac Marsilij Ficini versione, quomodo iam à nobis recognita est, vtentē in Platonis lectione inoffenso cursu perrecturū, & ad eius intelligentiam propè nihil desideraturum.

SIMON

SIMON GRYNÆVS CANDIDO LECTORI SALVTEM.

PROBARE vehementer studium conatúsque & pietatem Marsilij Ficini, viri meo quidem iudicio optimi, qui vt philosophiam nobis veterem gustandã præberet patefacerétque, cùm vires suas nõ ignoraret, nihil dubitauit de nomine & fama sua quid fieret, modò & veritati consuleret bene: cùm qui propter vtilitatem publicam de ingenio cedere velit, nullus facilè reperiatur. Itaque magnam gratiam manibus viri debemus ob egregia merita. Ac dolet mihi quidem, deliciis literarum inescatos subitò iam homines adeò esse, præsertim qui Christianos se profitentur, vt legere nisi quod ad gulam facit, sustineant nihil, vnde & disciplinæ & philosophia ipsa iam ferè prorsus etiam à doctis negligũtur. Quod quidem propositum studiorũ nisi maturè corrigatur, tam magnum rebus incommodũ dabit, quàm dedit barbaries olim. Pertinax res barbaries est, fateor, sed minus potest tamen quàm illa persuasa prudentia literarum, stra-

tione caret, ſapientiæ virtutiſque ſpecie mortales circunducens. Nihil enim perniciosius eſt, quàm cùm rerum & verborum ſtudia diuiduntur. Succedet igitur, vt arbitror, haud ita multo pòſt, pro ruſticana ſeculi noſtri ruditate, captatrix illa blandiloquentia, robur animi virilis omne, omnem virtutẽ maſculam profligatura, niſi caueatur. Itaque mihi libuit, eodem quo egregius ille vir, conſilio, tranſlationeipſius cum exemplari Græco diligẽter collata, & pro virili noſtra, mendis omnibus iam recẽs per nos repurgata, Platonis philoſophiam quàm latiſsimè, quãtum id per me qui dem fieri poteſt, propagare. Nam vt iam olim, cùm Græcia Sophiſtis, vaniſsimo genere hominum ſcateret, præſtigiis verborum præcipuos mortalium paſſim vbique ad ſe trahẽte, lingua ſpiritúque venali opes ſibi conflante, & ſapientiæ nomen turpiter ſibi vendicante, Socratis & Platonis grauiſsimis diſputationibus breui effectum eſt, vt inaniſsimi homines innoteſcerent orbi: ſic puto ſolida earundem diſputationum vi pullulanti malo tempeſtiuè occurretur. Vale Lector, & philoſophare feliciter.

MARSI-

MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBROS Platonis ad Laurentium Medicem, virum magnanimum,

PROOEMIVM.

DIVINA prouidentia, fortiter attingens omnia, suauiterque disponens, magnanime Laurenti, statuit, religionem sanctam non solùm Prophetis & Sibyllis, sacrisque armare doctoribus, verumetiam via quadam, elegantique philosophia singulariter exornare: vt ipsa pietas omnium origo bonorum tam secura tandem inter omnes sapientiæ & eloquentiæ professores incideret, quàm tuta penes domesticos conquiescit. Oportebat enim religionem (quæ vnica est ad felicitatem via) non rudioribus tantùm hominibus, verumetiam peritioribus communem fore. Quæ quidem duce omnes ad beatitudinem, cuius gratia nati sumus, & ad quam consequendam communi studio laboramus, facilius tutiusque peruenire possimus. Itaque Deus omnipotens, statutis temporibus diuinæ Platonis animum ab alto demisit, vita, ingenio, eloquióque mirabili religionem sacram apud omnes entes illustraturum. Cum verò ad hæc vsque secula sol

Platonicus nondum palàm Latinis gentibus oriretur, Cosmus Italiæ decus, & insignis pietate vir, Platonicam lucem, religioni admodum salutarem, à Græcis ad Latinos propagare contendens, me potissimùm intra suos lares plurimùm eruditum tanto operi destinauit. Ego autem, etsi à tenera ætate nominis Platonici cultor, rem tamen adeò grauem, non meis quidem, sed aui tui Cosmi prosperis auspiciis sum aggressus. Sperans diuinam opem tam necessario, támque pio officio non defuturam. Hac ergo in primis spe ductus Academiam sum ingressus decémque ex ea Platonis nostri dialogos Cosmo priùs quàm naturæ concederet, Latinos feci. Post eius obitum patri tuo Petro præstantissimo viro, dialogos nouem legendos dedi. Postquam verò Petrus è vita decessit fortuna præclaris sæpe operibus inuida, inuitum me à traductionis officio distrahebat. Verùm tu & religionis cultor, & philosophiæ patronus, me ad inceptum omni fauore & auxilio reuocasti. Quamobrem ad institutum munus felicibus iterum auspiciis sum regressus: neq; traduxi tantùm, verumetiam partim argumentis mentem perstrinxi Platonicam, partim quoad potui breuibus commentariis explicaui. Opus itaque totũ diuino auxilio iam absolutum tibi libẽntissimè dedico. Ad quem illa etiam quæ maioribus tuis inscripta sunt, iure hæreditario pertinent, virum profectò auitæ paternæque in patria colenda virtutis hæredem. Leges autem inter dialogos funebrem Platonis orationem pio fratri tuo Iuliano dicatam. Præterea vbi ad librum de Regno peruenieris, videbis Fredericum Vrbinatem ducem eo

die

die à me honoratum; quo ipse tuas ædes honorificè
salutaui. Non solùm verò septem atq; triginta libri,
qui solo tuo insigniti sunt titulo, sed cuncti quæque tui
sunt: quando quidem omnes tui grati sunt absoluti,
atq; ego sum tuus. Neq; verò me Platonicum in his li-
bris stylum omnino expressisse profiteor, neque rursus
ab illo quamuis admodum doctiore, unquam expri-
mi posse confido. Stylum inquam non tam humano e-
loquio, quàm diuino oraculo similem. Sæpe quidem to-
nantem altius, sæpe verò nectarea suauitate manan-
tem. Semper autem arcana cælestia complectentem.
Profectò quemadmodũ mundus tribus est munitus, u-
tilitate, ordine, ornamento, atq; ex his diuinum nobis
testatur artificem: ita Platonicus stylus continens uni-
uersum, tribus potissimùm abundat muneribus philo-
sophicæ sententiarum utilitate, oratorio dispositionis
elocutionisque ordine, florum ornamento poeticorum,
& ubique tum diuinis utitur testibus tum etiam cer-
tissimum de architecto mundi Deo perhibet testimo-
nium. Valeant igitur, magnanime Laurenti, valeant
procul omnes, qui minutissimas eruditendæ pueritiæ à
Platone rationes essagitãt. Eruditi alij rudiores &
eruditi denique fores Platonicas adeant. Inde non tam
puerilia rudimenta quàm diuina mysteria tandẽ re-
portaturi. Dixi modò Laurenti tandem. Nam Plato
noster antequam diuina fundat oracula, ne sacra pro-
phanis cõmunia fiant, audientium animos triplici pa-
latim ad summũ calle perducit, purgatione, resolutio-
ne, conuersione. Quamobrem multa legitur apud Pla
onem ad purgandos perturbationibus animos perti-

uētia. Plura rursus ad soluēdas mentes à sensibus. Plurima etiam ad conuertendas, tum in seipsas, tum in Deum omnium autorem, in quem veluti solem ritè conuersæ, optatis inde veritatis radiis feliciter illustrantur. Interea Plato noster, dum occultis sæpe modis humano generi necessarium tractat officium, interdum iocari videtur & ludere. Verum Platonici ludi atque ioci multo graviores sunt quàm seria Stoicorum. Neque enim per humiliora quædam dedignatur alicubi peruagari, modò sensim auditores captans humiliores facilius ad excelsa perducat. Miscet frequenter grauissimo quodam consilio vtilia dulcibus, quo modestis sermonis blandi leporibus animos natura proniores ad voluptatem, per ipsam voluptatis escam ad cibum alliciat salutarem. Fingit & sæpe fabulas more poëtico: quippe quum ipse Platonis stylus, non tam philosophicus, quàm reuera poëticus videatur. Furit enim interdum atque vagatur, vt vates, & ordinem interea non humanum seruat, sed fatidicum & diuinum, neque tam docentis personam agit, quàm sacerdotis cuiusdam atque vatis: partim quidem furentis, partim verò cæteros expiantis, & in diuinum furorem similiter rapientis. Fabulis verò inter hæc ob id potissimùm vti videtur: vt inter varios Academiæ flores oblectentur quidem omnes, sed expiati duntaxat poma decerpant, vescantur suauius, facilius concoquant, perfectius nutriantur. Agit autem dialogis omnia: vt sermo viuens, personas loquentes ante oculos ponat, persuadeat efficacius, & moueat vehementius. Accedit ad hæc, quòd amicos (vt par est)

opor-

oportunè dialogis ſuis honeſtat, facilius multos poſteritati commendans. Præterea opiniones eadem de re diuerſæ commodius dialogo recenſentur. Mitto quòd dialogus mira quadam varietate delectat, & attentione audientes detinet & legentes. Verùm quidnam longiùs per minutiora quædam & humiliora digredimur? Sophia magnanime Laurenti, quæ ſolo Iouis capite nata, ab initio cum eo erat cuncta componens: patrem imitans, ipſa quoque filiam ſolo capite peperit, Philoſophiam nomine, cuius delitiæ forent, eſſe cum filiis hominum. Hanc igitur in terra quondam per varias gentes peregrinantem excellentiora paſſim admirabantur ingenia. Quorum in numero Plato noſter non ſolùm admiratus eſt illam: ſed & primus & ſolus ad ſummum excoluit. Huic enim ille primus tanquam ſacræ ſacerdotia cinxit tempora mitra: præterea peplum induit, quod Auguſtam filiam Mineruæ deceret: caput etiam manuſque & pedes ſuauiter redolentibus illiniuit vnguentis. Denique ſolum ipſum quacunque philoſophicum numen incederet, variis aſperſit floribus, & ornauit. Talis erat, atque etiã eſt huius diuæ intra limites Academiæ deambulantis habitus, talis ornatus. Quoties verò extra hortos Academicos peruagatur, non ſolùm vnguenta ſemper amittit & flores, ſed etiam, proh nefas, ſæpe incidit in latrones, atque amiſſis ſacerdotij & grauitatis inſignibus, nuda paſſim, & quaſi prophana pererrat, adeóque deformis apparet, vt neque Phœbo vlteriùs Mercurióque ſuis familiaribus placeat: neque inſuper vel auo ſuo Ioui, vel Mineruæ matri probetur.

Cæterùm statim materno consilio intra parietes & hortos Academiæ sese recipiens, antiquum resumit decus: & ibi velut in patria libentissimè requiescat. Quamobrem iuuat vnà tecum Platonice Laurenti, omnes tum discendi, tum bene viuëdi cupidos, ad Academiam Platonicam cohortari. Hic enim iuuenes vel inter iocandum præceptamorum, vel inter ludendum industriam disserendi iucundè admodum & facilè consequentur. Hic viri etiam rei tum familiares, tam publicæ disciplinæ abundè perdiscent. Hic senes pro mortali vita, vitam sperabunt æternam. In Academiæ hortis poëtæ sub lauris canentem Apollinem audient. In vestibulo Academiæ oratores spectabunt Mercurium declamantem. In porticu verò, & aula iurisconsulti ciuitatúmque gubernatores, Iouem ipsum auscultabunt sancientem leges, iura dictantem, imperia gubernantem. In ipsis denique penetralibus, philosophi Saturnum suum agnoscent cælestium arcanorũ contemplatorem. Vbique verò sacerdotes rerúmque sacrarum antistites arma reperient, quibus pietatem aduersus impios strenuè protegant. Huc igitur, huc precor omnes accedite, qui liberales colitis disciplinas, hìc eas, & libertatem vitæ pariter adepturi: huc denique cuncti concurrite, quos assequendæ veritatis, & consequendæ beatitudinis perpetuus ardor inflammat: hìc aspirante Deo, veritatem ad votum, & felicitatem consecuturi. Verùm interim admonëdi estis, ne temerè de rebus Platonicis, imò verò diuinis feratis sententiam: sed longo & æquo examine iudicetis, neq; liuidam in eos censuram exerceatis, qui procul

cul ab omni liuore vobis vigilant & laborant. Imò verò fauete libenter autori pio, fauete etiam traductori, non solùm translatione verborum sed explicatione sententiarum communi omnium utilitati pro viribus consulenti. Nolite precor antiquam salutarémque doctrinam, heu tam diu nimis oppressam, nuper autem in lucem diuina prouidentia prodeuntem, insequi crudeliter & opprimere, ne fortè quem Deus omnipotens vult vbique viuam, mortalis homo frustrà perditam velit. Dextera enim Domini fecit virtutem, dextera Domini iam exaltauit eam: non morietur sed viuet, & narrabit opera Domini.

Sed quónam optime Laurenti, nos ingens in Platonem ac nesciens tenere modum raptauit amor? Num in Platonis causa declamauimus, oratoriæ facundiæ principis? Satis enim supéque ipse pro sua causa déclamauerit, apud eos præsertim qui perturbationibus vacui, æquos se præstiterint auditores. Te verò in præsentia minimè adhortabor, mirum in modum ad hæc omnia voluntate propensum, ingenio promptum, studio eruditum. Sed optabo duntaxat, vt & legas feliciter, & felicissimè viuas, Marsilij tui memor. Dum verò Marsilium Ficinum nomino, Philippum quoque Valorem Academicum nostrum intellige pæriter nominatum. Nam si Valor atque Marsilius in Platone defendendo, & in te amando idem sunt, procul dubio inter se quoque sunt idem, Valorem tibi Laurenti, singularis sua virtus probat, Platonicus honor laudat, incredibilis in te amor valdè cõmẽdat.

PLATONIS VITA,

AVTORE MARSILIO FICINO:

Et primò genealogia & geneſis.

PLATO Athenienſis, Ariſtonis & Perictiones, ſiue Potonæ filius, à Neptuno genus vtrinque ducit. Nam Solon à Nereo & Neptuno deſcendit. Solonis verò frater Dropides Critiam maiorem genuit: à quo Calæſcrus ortus duos habuit filios, Critiam ſcilicet minorem, qui vnus ex triginta Athenarum gubernatoribus fuit, atque Glauconem Charmidis & Perictiones patrem. Perictione verò Ariſtoni nupta, Platonẽ peperit & Adimantum & Glauconem. Fœminam quoque Potonam: quæ Eurymedonti nupta, peperit Speuſippum. Rurſus Ariſto Platonis pater à Codro filio Melanti deſcendit, qui iterum in Neptunum ſicut & Solon originem referunt. Ferunt Athenis celebre eſſe, Ariſtonem Perictionæ, cùm eſſet ſpecioſiſſima, congredi conatum eſſe. Verùm fuiſſe illius conatus irritos, vidiſſéque in ſomnis Apollinem, atq; ab eo iuſſum mundam à coniugali copula quoad pareret, ſeruauiſſe. Quod & Laertius & Polycrates ſcribunt. Naſcitur Athenis vel in Ægina à Troiæ captiuitate anno ſeptingeteſimo quinquageſimo ſexto: ab vrbe condita trecenteſimo tertio: ante Chriſti aduentum quadringeteſimo vigeſimo tertio. Platonis geneſim qualem adoleſcens audiueram, in libro de Amore ſignificaui: ſed nunc adducam qualem iulius Firmicus

Firmicus Astronomus describit. Cuius opinionem hac in re existimo veriorem. Est autem eiusmodi: In ascendente Aquario Mars, Mercurius, Venus. In secunda, Sol in Piscibus. In quinta, Luna in Geminis. In septima, Iupiter in Leone. In nona, Saturnus in Libra. Hanc genesim Iulius Firmicus asserit significare virum, qui mirabili eloquentia polleat, cœlestíq; ingenio ad omnia secreta diuinitatis accedat.

Educatio, indoles, eruditio, sobrietas Platonis.

FErtur, cùm in cunis esset, labiis infantis apes mel infudisse, eloquentiæ figuræ præsagium. Aiunt Socratem vidisse per somnium oloris pullum sibi in gremio plumescere, qui continuò exortis pennis, expansis alis in altum euolans, suauissimos cantus ediderit. Postridie quum à patre sibi Plato commendatus esset, hunc esse cygnum quem viderat dixisse. Poetico stylo in adolescentia floruit. Elegias composuit, & tragedias duas, quas & ipse igni dedit, cùm primùm animum ad philosophiam applicuisset. Primis literis à Dionysio præceptore imbutus est, deinde Socratem audiuit vigesimum annum ætatis agens. Post Socratis mortem Cratylo Heraclitidiscipulo, & Hermogeni Parmenidis philosophiam tuenti sese accommodauit. Cùm esset annorum duodetriginta, Megaram se ad Euclidem cum aliis Socraticis contulit. Hinc Cyrenem profectus, Theodorum mathematicum audiuit, atque inde in Italiam ad Pythagoreos Philolaum & Architam Tarentinum Eurytúmque concessit. Ab his in Ægyptum ad prophetas & sacerdotes se recipit. Decreuerat ad Indos Magósque progredi: verùm propter Asiæ bella à proposito destitit. Regressus demum Athenas, in Academia vitam duxit: quem insalubrem Atticæ locum dici u r elegisse, quod etiam diuus Basilius & H eronymus cõ probant, vt nimis bonus corporis habitus ceu vi-

nimia luxuries amputaretur. Erat enim & speciosissimo & robustissimo corporis habitu. Vnde & à latis humeris, amplaque fronte, & egregio totius corporis habitu orationisque vbertate, Plato est nuncupatus: cùm antè nominatus fuisset Aristocles. Nihil in eo deforme, nisi fortè vox aliquantulum gracilis, & nescio quid subcruce gibbosum eum aliquantulum deformabat. Ob Academiæ habitationem passus est quartanam febrem menses decem atque octo: sed sobrietate & diligentia sua vires post febrem validiores quàm antè recuperauit.

Militia & nauigatio Platonis trina.

Militauit ter. Primò in Tanagram, Secundò in Corinthum, Tertiò in Delum, vbi etiam victoria potitus est. In Siciliam ter nauigauit. Primò vt insulam & ætnea miracula craterésque videret. Agebat tunc quadragesimum ætatis annum: quo etiam tempore Dionysius Hermocratis filius vt secum loqueretur, impulit: vbi cùm ille de tyrannide differeret, dicens non id præstare quod sibi soli esset vtile, nisi virtute etiam excelleret, offensum tyrannum atque iratum dixisse aiunt: Verba tua otiosorum senú sunt. At ille, Et tua, inquit, tyrannidem sapiunt. Ad hæc indignatum tyrannum primò quidem illum necare voluisse. Deinde verò à Dione & Aristomene obsectatum, id minimè effecisse: verùm Polidi Lacedæmonio qui per id tempus legatus ad se venerat, eum tradidisse vt venundaretur. Eum ille in Æginam adductum vendidit. Quo tempore & Charmander tanquam mortis reum accusauit. Sanè iuxta peruulgatam apud eos legem capitale erat, si quis Athenienſium eam insulam adiisset. Cæterùm cùm à quodam fuisset allegatum, disciplinæ gratia cò philosophum ascendisse, legémque illam de hominibus, non de philosophis qui super homines sunt, loqui, abso-

absolutum eum dimisere: neque occidendum, sed vendendum decreuerunt. Aderat fortè Anniceris Cyrenaicus, qui eum viginti minis redemit: remisitq; Athenas ad amicos. Polidem verò à Cabria superatum, & postmodum in Elice fuisse submersum fama est, dæmonio sibi nuntiante talia illum philosophi gratia perpeti. Non tamen quieuit Dionysius. Verùm cùm cognouisset quæ illi contigerant, scripsit Platoni, orans ne in se maledicta intorqueret. Ad quem ille scripsit, non tantum sibi à philosophia supereſſe otij, vt Dionysij meminisset. Obtrectatoribus quibusdam Platonem à Dionysio derelictum obiectantibus respondit, Imò verò à Platone Dionysius est relictus. Secundò profectus est ad Dionysium iuniorem, ab eo & Dione philosophandi gratia accersitus: hac quoque spe ductus, se suis consiliis effecturum, vt illic ex tyrannide, aut respublica fieret, aut regnum: visurúmque quod iam diu vehementer optabat, gubernationem scilicet quandam maximè philosophicam, in qua vel gubernent philosophi, vel gubernatores philosophentur. Putabat enim ciuitates non aliter posse miseriam euitare. Id omne non vi aut dolo, sed philosophicis rationibus persuasurum Dionysio fieri cupiebat. Sed quarto ferè mense post Platonis accessum, Dionysius falsis impulsus calumniis Dionem quasi tyrannidi insidiantem expulit. Platonem verò libenter amplectebatur. At Plato in patriam rediit. Tertio accessit Dionem Dionysio reconciliaturus: & ab vtroque iterum atque iterum obsecratus, rogatus etiam ab Archyta. Tunc & Dionysius vittatam illi triremem obuiam misit, & Archedemum Pythagoricum, oratorem, nobilésque permultos, & ipse quadrigis albis egredientem excepit. Postulauit Plato promissam Dionis restitutionem, atque insuper vrbem ac homines qui iuxta cõstitutam ab eo rempublicam viuerent.

quanquam pollicitus implere detrectauit. Cùm verò Plato palàm Dionysium redargueret, quòd fefellisset fidem, tum sibi de Dione restituendo, tum Theodoti suo de Heraclide seruando: infensum deinde habuit Dionysium: vnde in summo viuebat periculo, ne à militibus interficeretur. Sed Architas Tarentinus Salmiscum misit ad Dionysium oratorem vnà cum naui, rogans vt Platonem dimitteret. Ille eum dimisit, ac præbuit commeatum: Plato in patriam rediit. Dionysius paulò pòst à Dione ciuibúsque pulsus tyrannide, criminis in philosophum commissi pœnas dedit. Plato miro quodam honore exceptus est in patria. Ibíque ad Rempub. accersitus accedere noluit: quia plebs malis se moribus assuefecerat.

Quibus Plato leges dederit.

FErtur Arcadas & Thebanos condita ciuitate honestæ magnitudinis, rogasse illum, vt eam rempublicam institueret. Verùm illum cùm eos intellexisset, æqualitatem sectari nolle, profectum non esse: Syracusanis verò expulso tyranno leges dedit: & Crotensibus Magnesia nuper condita siue instaurata ciuitate, scripsit leges duodecim in libros digestas. Misit ex familiaribus suis Aristonymum ad Arcadas legibus instituendos, ad Ilios Phormionem, ad PyreosMe ledimum.

Continentia, grauitas, comitas Platonis.

VIxit autem cælebs & sobrius admodum, & vt Aurelius Augustinus perhibet, castus. Vnde & in senio sacra naturæ feciſſe dicitur, vt se apud vulgus à crimine sterilitatis absolueret. Iuuenis adeò verecundus, adeò compositus fuit, vt nunquam ridere,

dere, nisi modicè, depræhensus sit. Iratum verò vidit nemo. Vnde apud Platonem educatus puer cùm ad parentes reuersus vociferantem videret patrem, Nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi. Semel tantùm clàm subiratus est puero grauiter delinquēti. Sed Xenocrati inquit, Cæde tu hunc puerum. Ego enim quia iratus sum, nequeo. Edebat quolibet die aut semel tantùm, aut bis parcissimè. Dormiebat somnus. Contrariam vitam multùm vituperabat. Ad amãdos adolescentes quemadmodum & Socrates suus videbatur paulò pronior, verùm vterque tam ratione cõtinens, quàm sensu procliuis. Quàm diuinè isti amauerint, & quo pacto quæ de amore loquuti sunt, exponantur, satis in libro de amore tractauimus. Optabat memoriam sui vel in libris, vel in amicis relinquere. Etsi melancholicus erat, profundissimíque ingenij, vt scribit Aristoteles, iocis tamen plurimis vtebatur, atque Xenocratem & Dionem seueriores sæpissimè admonebat, vt Gratiis sacra facerent, quo iucundiores gratioréque redderentur. Platonis autem grauitati comitas erat admixta.

Discipuli Platonis præcipui.

Discipuli eius fuere, Speusippus Athenienſis, Xenocrates Calcedonius, Aristoteles Stagirites, Philippus Opuntius, Hestiæus Perinthius, Dio Syracusanus, Amycles Heracleotes, Erastus & Coriscus Scepti, Timolaus Cyzicenus, Hebion Lampascenus, Pithon & Heraclides Ænij, Hippothales & Calippus Athenienses, Demetrius Amphipolites, Heraclides Ponticus, & complures alij: & cum his mulieres duæ, Lasthenia Mantinea, & Axiothea Phlyasia: quæ virili vtebantur veste. Theophrastum item illius fuisse auditorem ferunt, & Hyperidem oratorem. Chamæleon & Licurgum, & Demosthenem quoque fuisse i-

pſius ſtudioſum, Mneſiſtratum. Veſtibulo Academiæ inſcriptum erat, Nemo huc geometriæ expers ingrediatur. Quod quidem non ſolùm de linearum, ſed etiam de affectuum debita menſura volebat intelligi.

Libri quos ſcripſit Plato, ac à poſteris in quaternitates nouem collecti.

PRIMA QVATERNITAS.

Eutyphro: vel de ſanctitate.
Apologia Socratis: id eſt defenſio.
Crito: vel de eo quod is egit in carcere cum Socrate: vel de agendo.
Phædo: vel de animi immortalitate, vel de anima.

SECVNDA.

Cratylus: vel de recta nominum ratione.
Theætetus: vel de ſcientia.
Sophiſta: vel de ente.
Ciuilis: vel de regno.

TERTIA.

Parmenides: vel de vno omnium principio, & de ideis.
Philebus: vel de ſummo bono, vel de voluptate.
Conuiuium: vel de amore.
Phædrus: vel de pulchro.

QVARTA.

Alcibiades primus: vel de natura hominis.
Alcibiades ſecundus: vel de voto.
Hipparchus: vel de ſtudio lucrãdi: vel de lucri cupiditate.

Ama-

VITA.

Amatores: vel de philosophia.

QVINTA.

Theages: vel de sapientia.
Charmides: vel de temperantia.
Laches: vel de fortitudine.
Lysis: vel de amicitia.

SEXTA.

Euthydemus: vel litigiosus.
Protagoras: vel de motibus sapientiæ professorum.
Gorgias: vel de rhetorica.
Meno: vel de virtute.

SEPTIMA.

Hippias maior: vel de pulchro, vel de honesto.
Hippias minor: vel de mendacio.
Io: vel de furore poetico, vel de Iliade.
Menexenus: vel de Attica antiquitate, vel Epitaphius.

OCTAVA.

Clitypho: vel exhortatorius.
De Republica libri decem: vel de iusto.
Thimæus: vel de mundi natura.
Critias: vel Atlanticus: vel de Atlantica antiquitate.

NONA.

Minos: vel de lege.
De legibus libri duodecim.
Epinomis, id est, legum appendix, vel philosophus.
Epistolæ duodecim.

Hos omnes Platonis libros ipsi è Græca lingua transtulimus in Latinam. Tres verò sunt Platonicorum species dialogorum. Aut enim sophistas confutat aut adolescentes adhortatur, aut docet adultos.

Quæ in epistolis, vel in libris de legibus, & Epinomi Plato ipse suo dixerit ore, certissima vult haberi. Quæ verò in cæteris libris, Socratis, Timæi, Parmenidis, Zenonis ore disputat, verisimilia.

Eloquentia, sapientia, autoritásque Platonis.

STylus Platonis, vt ait Aristoteles, medius inter solutam orationem & carmen fluit, suauitas & copia tanta, vt Cicero Platonem & intelligendi & dicendi grauissimum autorem fuisse dixerit. Adiecit, Si Iupiter humana lingua loqui voluisset, nō alia quàm Platonis lingua fuisse locuturum. Doctrina verò tanta in eo, vt cùm ante illum omnes inter Græcos illustres, ad externas gentes sapientiæ gratia peregrinati fuissent, post Platonis tempora cæteræ nationes Athenas confluerint: & Aristoteles tam miro ingenio præditus, ac nouæ hæresis auidissimus, cùm Platonē iam penè adultus adisset, viginti eum continuos annos audiuerit. Adde, quòd priùs quàm audiret Platonem, iam literis prouectus erat. Deinde Platonem solum habuit præceptorem. Mitto quod à Cicerone scribitur, Malo cum Platone errare, quàm cum cæteris rectè sentire. Præterea quòd vnà cum Panætio illum appellat Homerum philosophorum. Mitto illud Quintiliani, Quis dubitet Platonem esse principuum, vel acumine disserendi, vel eloquendi facundia diuina quadam & Homerica? Multum enim illius oratio supra prosam orationem, & quam pedestrem Græci vocant, surgit: vt mihi non humano ingenio, sed Delphico quodam oraculo videatur instinctus. Diuina quadam sapientia & probitate mirabilem autoritatem etiam in patria, quod rarissimè fieri solet, sibi comparauisse videtur. Reuersus ex Sicilia Plato, cùm ad magnificentissimam illam Olympiorū celebri-

celebritatem quasi quendam orbis terrarum conuentum peruenisset, tam lætis cunctorum occursibus exceptus est, vt è cælo Deus ad mortales demissus videretur. Ludos deseri, Athletarum spectacula relinqui, Pugiles solos omitti cerneres: & quod admirabilius est, qui tam longis terrarum marisque tractibus, pascendorum oculorum animorúmque & aliorum gratia ad Olympia venerant, omnis voluptatis obliti Platonem adibant: Platonem intuebantur: in Platone perinde atque amœnissimo diuersorio conquiescebant. Cùm tragœdiam quis referret, nec quispiam præter Platonem adesset, obiectantibus quibusdam dedecori esse illi quòd nemo præter vnum adesset, respondit ille: Et hic vnus plus est, quàm Athenienses populus.

Charitas, magnanimitas, sanctimoniaque Platonis.

QVàm magno & constanti animo, præsertim in amicorum causa fuerit, declarant eius epistolæ. Tyrannum sæpè quòd iniustè gubernaret, quódve amicos falleret, etiam præsentibus testibus audacter redarguebat, tantùm aberat vt illi assentaretur. Mitto minutiora illa, quale illud est quod iusserat Dionysius in conuiuio, vt singuli purpura induti saltarent, saltauit protinus Aristippus: Plato verò noluit: dicens non conuenire philosopho muliebria, & cõtemptus tyranni, Dionisique defensio. Præterea Cabriæ fortissimo duci Crobylus accusator improbus diem dixerat, & capitis iudicium intentauerat. Quocirca cùm à reliquis destitutus ciuibus metu periculi in arcem ascenderet, solus Plato auxilium præstaturus semper illi adfuit. Cùm verò calumniator Crobylus, vt eum à patrocinio deterreret, minitans dixisset: Aliis defensionem præstaturus aduenias,

ignorans quòd te quoque Socratis venenum expectat. Ipse respondit: Olim Crobyle, cùm patriæ dignitati militabam, in tolerandis periculis haud segnis eram: nunc pro officio, & amici salute licet ferrum ac venena mineris & ignem, nullum recuso discrimen. Cùm Socrates carcere iniustissimè inclusus esset, Plato pecunias congregauit, vt redimeret innocentem. Et dum iudicium agebatur, ascendens in suggestum, sic cœpit orare: Cùm minor natu sim viri Athenienses his omnibus qui tribunal ascenderunt. Verùm tyrannici iudices veritis, ne autoritate & eloquentia sua ciues moueret, interpellauerunt repentè, reclamauerũt, descende. Plato domum abiit. Nam quantum illi malæ mentis morbo, tantum hic tunc morbo corporis laborabat. Socratis verò persecutores pœnas paulò post dederunt. Cùm ex condiscipulis quidam instigaretur inuidia, Xenocratem adeò Platoni gratum acceptúmque esse, vt in eum cõflaret inimicitias, multa in Platonem Xenocratis maledicta renunciauit. Plato medio sermone criminationem respuẽs, obaudit. Instat obtrectator, vultus seueritate crimẽ affirmãs. Deniq; deos omnes, ac deas obtestanti, Plato vt ab eius fese pertinacia solueret, Esto inquit. Sed ea Xenocrates fide ac grauitate pollet: vt nisi sic expedire iudicasset, dicturus ea nunquã fuisset. Grauitatem magnanimitatémque Platonis imitatum fuisse Xenocratem dilectum eius discipulum, testis est vita Xenocratis apud Diogenem, quæ quidem est fortitudinis & sanctitatis exemplar. Imitatũ quoque fuisse Dionẽ, Plutarchus est testis. Præterea Philiscus Lycurgi oratoris vitam describens: Magnus vir, inquit, fuit Lycurgus, multáque sunt ab eo gesta præclarè, quæ facere nemo potuisset qui non fuisset Platonis auditor. Demosthenes cùm Antipatrum fugeret, Archiæ blandis verbis se ei vitam seruaturum pollicenti, Absit, inquit, vt viuere turpiter malim,

quàm

quàm honestè mori, postquam Xenocratem & Platonem de immortalitate animi disserentes audiui. Idem scribens ad Heracleodorum quendam condiscipulum suum, atque eum reprehẽdens, quòd postquam Platonem audierat, negligeret bonas artes, & vitam parum honestè duceret. Nónne, inquit, erubescis ea negligere, quæ à Platone accepisti? Dionysius ad Speusippum scribens ait: Plato quidem gratis sua limina terentes docebat. Tu verò tributa exigis, & à volentibus ac nolentibus accipis. Laertius quoque carpit eundem, quòd non sicut Xenocrates Platonis castitatem & fortitudinem, mansuetudinémque fuerit imitatus. Illud verò de fortitudine Xenocratis tacere non possum, quòd cùm Platoni Dionysius diceret, Caput tibi quispiam tollet: Xenocrates qui aderat, inquit, Nemo istud prius quàm meum hoc abscindet.

Sententiæ & prouerbia Platonis.

DE Aristotele & Xenocrate hæc Plato dicebat, Hui qualem equum, qualémque asinum iungendos assumpsi! Aristoteles quidem freno indiget: Xenocrates verò calcaribus. Erat inter discipulos eius lautus nimium & curandæ cutis studiosissimus adolescens, quem Plato rogauit: Quousque tibi carcerem ædificare perges? Quoties hominem amore irretitũ videret, ille aiebat, Proprio in corpore mortuus est, viuit in alieno. Addebat, Qui se ipse alterius gratia deseruerit, omnium esse miserrimũ: quippe qui neq; se possideat vlterius, neque alterum. Platonis quidã familiaris vir doctus, eum orabat vt sibi aures paulisper accommodaret libellum à se editum lecturo. Rogatus subinde à Platone, quæ libri esset inscriptio, respondit, Contradicẽdum non esse. Cui Plato: Cur igitur ipse hoc facitas? Cur contradicentibus

contradicis? Cur me consulis, si tibi prohibes contradici? Leo ciuis potens in cœtu carpebatur, quòd magnas & immodestas in senatu vociferationes habuerat, Plato, hoc ipsum, inquit, est verè leonem esse. Diogeni Cynico dicenti, quòd humana quidem ista videret, ideas verò nequaquam: Cui mirum inquit? Oculos enim quibus ista videntur habes & veteris, mente verò non veteris, qua sola illæ cernuntur. Mirantibus discipulis, quòd Xenocrates in omni vita severus, nescio quid risu excipiendum dixisset: Quid inquit, miramini inter spinas aliquando rosas & lilia nasci? Adiuuenes crebrò dicere solebat: Otio labores anteponite, nisi fortè rubiginem splēdori præstare putatis. Iuuētutem ad beatam vitam hac ratione fæpissimè incendebat, contrariam virtutis ac voluptatis naturam animaduertite. Huius enim momētaneam dulcedinem subita pœnitentia sequitur, dolórque perpetuus: illius autem breues labores, æterna voluptas. Cùm vidisset quendam alea ludentem, arguit: & cùm ille, Quàm parua reprehendis, diceret, Plato respondit, At non est paruum consuetudo. Ebriis & iratis cōsulere solitus erat, sese vt in speculo studiosè intuerentur: ab eiusmodi statim fœditate discessuros. Ebrietatem & somnum valdè detestabatur. Aiebat plurimum referre ad pueritiam educandam, vt honestis solùm gaudere pueri assuescerent. Alioquin voluptatem dicebat escam esse malorum. Addebat sanitatem animi veram esse philosophiam, cæteras verò facultates nō tam philosophiam quàm ornamenta videri. Nihil sanæ menti suauius esse quàm vera dicere & audire. Veritate enim nihil est melius vel durabilius. Interrogantibus quibusdam, quænā possessionum genera filiis essent potissimùm comparanda: Ea dixit, quæ non grandinem, non hominum vim, non ipsum denique Iouem extimescerent. Demodoco de filij eruditione consultanti,

Qualis

Qualis, inquit, in arbusculis plantandis dirigẽdisque, talis & in filiis gignendis, & instituendis cura esse debet. Hîc labor, illic voluptas. Cauendum autem ne in hoc sopiti, in illo plus quàm vigiles videamur. Philedono cuipiam Platonem carpenti, quòd non minùs in discendo quàm in docendo studiosus ac sedulus esset, & quoad discipulus esse vellet interroganti: Quoad, inquit, meliorem ac peritiorem esse me non pœnitebit. Interrogatus quidnam inter peritum imperitúmque interesset: Quod inter meditũ ægrotúmque, respondit. Principibus nullum præstãtius prædiorum genus esse dicebat, quàm eorum familiaritates hominum, qui cauponari nescirent. Principi non aliter necessariam esse sapientiam, quàm corpori animam. Beatissimas fore respublicas, si aut philosophi dominentur, aut saltem qui gubernant, diuina quadam sorte philosophẽtur. Nihil enim pestilentius esse potestate & audacia, quam ignorantia comitetur. Tales quoque subditos esse solere, quales principes videantur. Magistratui non proprium bonum, sed publicum cogitandum: non partem solùm ciuitatis quandam, sed totam esse curandam.

Quantum Plato neglexit humana, quantum diuina dilexit.

REpetebat quotidie sola æterna esse vera: temporalia verò verisimilia. Dormire in corpore animum. Et quæ sensus appetit aut timet, nihil aliud esse quàm somnia. Itaque hæc omnia penitus contemnenda. Et vt mala vitentur quibus plenus est mundus, ad æterna confugiendum: aliter enim deuitari non posse. Ipse quoque quæ præcipiebat, impleuit. Nam cùm & hæreditario quodam iure & ciuium fauore princeps in Republica esset futurus, omnem

prorsus ciuilem respuit dignitatē. Cùm patrimonio ditissimus esset, fratribus largitus est omnia, præter suburbanum prædiolum, quam academiam nominabant. hoc solo contentus vixit. Etsi præceptor amicúsque principum extitit, diuitias tamen ab his nullas accepit. Solebat rex Dionysius dicere, Aristippus semper pecunias petit, Plato semper libros. Adde quòd neque vxorem duxit, neque vixit in vrbe, ab omnibus liber, soli seruiens veritati. Vnde diuus Hieronymus inquit: Plato Ægyptum & Architam Tarentinum eámque oram Italiæ quæ quondam magna Græcia vocabatur, laboriosissimè peragrauit, vt qui Athenis magister erat & potens, cuiúsque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecundè discere, quàm sua impudenter ingerere. Denique cùm literas quasi toto orbe fugientes persequutus, captus à piratis & venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit captiuus, vinctus est seruus: tamen quia philosophus, maior emente se fuit. Hæc Hieronymus.

Pietas & gratitudo Platonis.

GRatus Deo fuit, à quo principium cogitandi, dicendi, agendi, omnibus in rebus, & faciendum dicebat esse, & ipse semper efficiebat. Præterea Deo gratias agebat quotidie quòd homo natus esset, non brutum: quòd Græcus, non Barbarus: quòd temporibus Socratis. Quàm gratus præceptoribus fuerit, omnibúsque amicis, testimonio sunt eius dialogi. In quibus mirificè eos omnes honorat, atque Socrati libros suos attribuit. Non solùm enim illum in omnibus penè dialogis disputantem inducit, sed etiam omnia à se composita, scribit non sua, sed Socratis esse.

Quæ

Quæ Plato affirmauit.

IN his quæ sensibus subiacent, partes Heraclíti tuebatur. Porrò in his quæ ad intelligentiam pertinent, Pythagoræ maximè acquiescebat. In rebus autem ciuilibus Socratem suum amplectebatur. Quæ vbique asseuerabat, hæc sunt: Deum omnibus prouidere. Animas hominum immortales esse. Bonorum præmia, malorum supplicia fore. Augustinus in libro contra Academicos inquit, Christi authoritatem omnibus anteponendam. Si autem rationibus agendũ sit, apud Platonicos reperire se dicit, quòd sacris Christianorum literis non repugnet. Idem Dionysius Areopagita significauit. Eusebius postea & Cyrillus latiùs declarauerunt. Hinc Augustinus in libro De vera religione: Platonica, inquit, paucis mutatis, Christiani fierent. Atque in confessionibus narrat se proœmium Ioannis Euangelistæ fermè totum apud Platonicos reperisse. Propterea in secundo de Ciuitate Dei inquit. Labeo Theologus apud gentiles Platonem inter semideos connumerandum putauit, sicut Herculem atque Romulum: semideos autem heroibus anteponit, sed vtrosque inter numina collocat. Veruntamen istum quem appellat semideum, non heroibus tantùm, verumetiam diis ipsis præferendum esse non dubito. Vnde inquit se Platonicos ante alios elegisse, quia de rebus diuinis atque humanis rectiùs admodum quàm cæteri philosophi senserint. Quod & Marcus Varro antea iudicauerat, & Apuleius Platonem, non tantùm heroibus superiorem fecit, sed diis æqualem, quia videlicet diuinarum rerum adyta penetrauerit. Plato tanta fuit modestia præditus, vt cùm mirabilem sibi autoritatem ante alios comparauisset, tamen interrogatus à quodam, quatenus præceptis suis parendum foret, respondit: Quoad in terris appareat sacra-

rior aliquis, qui fontem omnibus veritatis aperiat, quem denique sequantur omnes. Addidit, nihil suo, sed diuino tantùm lumine reperisse. Quid autem in philosophia senserit, satis in libro de Amore, & Theologia nostra tractauimus.

Reditus Platonis in patriam cælestem & laudes.

NAtali suo decessit, & annũ vnũ atque octoginta impleuit, sine vlla dubitatione. Ideo magi, qui tunc Athenis erant, Platoni immolauerunt, ampliorisque fuisse sortis quàm humanæ rati, quia consummauisset numerum perfectissimum, quem nouem novies multiplicata conficiunt. Atque quod mirum est, adhuc in ea ætate, & in eo ipso die scribebat, de quo Cicero inquit: Est etiam quietè, & purè, atque eleganter actæ ætatis placida ac lenis senectus, qualem accepimus Platonis, qui vno & octogesimo anno scribens mortuus est. Seneca etiam affirmat id Platoni sobrietatis & diligentiæ beneficio contigisse. Alij inter scribendum, alij discumbentem in nuptiis remotis dapibus inter differendum ad superos rediisse. Aristoteles in templo aram Platoni statuámque sacrauit hoc epigrammate: Aram Aristoteles hanc Platoni dicauit, viro quem nefas est à malis laudari. Addit Aristoteles,

Qui solus vita, doctrina, moribus, ore
Admonuit cunctos, & monimenta dedit,
Vt virtute queant felicem ducere vitam:
Nulla ferent talem secla futura virum.

Adiunxerunt & sapientes alij in Platonis laudes carmina plurima: sed præcipua epigrammata trium primi hæc est sententia: Temperantia, iustitiáque excelluit omnibus: tantùm verò sapientia superauit

vt

vt omnem prorsus inuidiam superauerit. Secundi hic est sensus: Plato in deorum numerum est translatus. Longinquæ hunc nationes honorant: qui diuinam vitam ipse nouit, aliisque monstrauit. Tertij sententia est huiusmodi: Phœbus Æsculapium genuit & Platonem, vt ille corporibus, hic animis mederetur. Præterea Mithridates Persarum rex Platonis statuã in Academia ita vocauit inscriptam: Mithridates Rhodobati filius. Peries Musis imaginem Platonis dicauit, Syllanionis opus. Ex his omnibus id Plato est consequutus, vt Græci Aristotelem quidem dæmonium: Platonem verò diuinum cognominauerint. Quia videlicet ille & vita humanus & scientia naturalis maximè fuerit, hic autem scientia simul & vita sese potissimùm ad diuinum contulerit.

Apologia de moribus Platonis.

Finem iam vobis imponam, si pauca quædam rursus addidero. Sunt plebei quidam versificatores, qui immeritò poetarum sibi nomẽ vsurpant. Hi tam morum dissimilitudine quàm malignitate inuidiæ prouocati, in optimum quemque impudentissimèludunt. Quibus summa quædam licentia in bonos potiùs quàm in malos conceditur. Tales igitur olim poeticuli, diuinum Platonem à Græcis, Apollinis filium, & Socratem ab Apolline Græcorum sapientissimum iudicatum, mordere non dubitarunt. Quorũ impietatem Laertius Diogenes summoperè detestatur. Atque vt ipse declarat, ridicula etiam comicorũ conuitia Aristippus auxit Cyrenensis, homo pessimus, optimi cuiusque suorum temporum aduersarius, qui sicut alios plerosque modestissimos doctissimósque ficta quadam historia vituperauit, sic etiã Socratem præceptorem, & condiscipulos suos Xenophontem atque Platonem finxitque horum nomine

carmina quædam in scorta puerósque lasciua, videlicet vt falso magnorum philosophorum exemplo liberiorem ipse peccandi licentiam nanciscer etur. Verùm Aristoteles, cui veritas magis quàm Plato fuit amica, tam falsas in virum sanctum calumnias sustinere non potuit. Nam in elegiis ad Eudemum, illa de Platone quæ in superioribus diximus, cecinit: id illi maximè tribuens, vt prophani nõ solùm vituperare Platonem vllo pacto non debeant: verumetiam sub prætextu laudis sanctum illius nomen ore prophano nominare non audeant. Neque Elegia cõtentus fuit: sed etiam, vt tradit Olympiodorus, præclaram orationem de Platonis laude composuit. Obmutescant igitur apud superos inferni canes, atque apud inferos latratu Cerberum comitentur. Nos autem Platonis vitam & sapientiam iudicio sapientum approbatissimam veneremur, atque vnà cum Apuleio Madaurensi liberè proclamemus: Nos Platonica familia nihil nouimus nisi festum, lætum, cæleste, supernum.

ΕΙΣ ΠΛΑΤΟΝΑ.

Φοῖβος ἔφυσε βροτοῖς ἀσκληπιὸν, ἠδὲ πλάτωνα.
Τὸν μὲν ἵνα ψυχὰν, τὸν δὲ ἵνα σῶμα σάοι.
Δαισόμενος δὲ γάμον, πόλιν ἤλυθεν, ἣν ποτε αὐτῷ
Ἔκτισε, καὶ δαπέδῳ ζηνὸς ἐνιδρύσατο.

PLATO-

PLATONIS HIPPARCHVS, VEL,

De lucri cupiditate, vel, Studio lucrandi.

Marsilij Ficini Argumentum.

PROPOSITVM *Platonis in Hipparcho est, docere nos, omnes homines bonũ appetere, cùm & illi qui propter auaritiã aberrare videntur, bonũ appetant. Illi siquidem lucricupidi sunt: lucrum vtile est, vtile verò bonum: bonũ itaq; cupiunt. Quamobrem cùm illi etiam, qui ab appetitu boni declinare videntur, bonum cupiant, nihil iam repugnat quo minus omnes homines bonum appetant. Bonum autem duplex: vnum finis, ad finem alterum. Illud propter seipsum, hoc propter aliud expetendum. Illius appetitio voluntas, huius electio. Illud veneranadum, hoc vtile. Illo fruimur, hoc vtimur. Illius adeptio beatitudo, huius lucrum vocatur. Lucrum igitur est boni vtilis acquisitio: quod ad venerandi boni constitutionem conducere potest. Quod verò ad hoc non confert, nec ipsum vtile est, nec eius adeptio lucrum. Laudanda igitur lucri cupiditas, quæ omnibus natura inest. Vituperãda autem opinio falsa, quæ dum quod reuera vtile & lucrum est, ignorat, appetitum naturæ ad aduersa retorquet. Hæc omnia Plato latenter docet, dum Socrates desinitiones falsas, quas Hipparchus de lucri cupiditate refert, & inducendo & ratiocinando refellit.*

Dialogi Hipparchi

PERSONAE.

SOCRATES, HIPPARCHVS.

VIDNAM lucri cupiditas est? & qui sunt lucricupidi? HIP. Mihi quidem videntur qui luerandum putant ex rebus nulla æstimatione dignis. SOC. Videtúrne tibi scire, quòd nullius pretij sint, an ignorare? si nesciunt, amentes lucricupidos vocas. HIP. At non amentes voco, sed callidos atque improbos, & victos lucro, conscios nullius esse pretij, è quibus lucrum captant, & tamen lucrantes per impudentiam. SOC. [b] Num huiusce modi lucricupidum vocas? veluti si agricola plantans cognoscénsque nullius pretij plantam esse, dignam tamen putet qua lucretur, talémne vocas? HIP. Vndecunque ô Socrates, lucricupidus quærendum censet. SOC. Ne ita temere verba effundas, veluti alicui ob acceptam iniuriam iratus: sed in me potius attentus respondè, ac si à principio rursus interrogarem. Consentis lucricupidum cognoscere quanti sit vnde lucrandum putat? HIP. Consentio. SOC. Quis est qui circa plantarum dignitatem nouit, qua regione, quo tempore plantare dignum sit, vt & nos aliquid sapientium verborum, quibus elegantes isti causidici [affectant orationis elegantiam,] in mediũ afferamus? HIP. Agricola arbitror. SOC. Num à velle lucrari, vocas aliud quàm lucrandum esse existimare? HIP. Idipsum. SOC. Ne me coneris decipere virum iam senem, tu adeò

[a] *in graeco textu pro ἄξιον περδαίνειν vid. omninò legend. τὸ ἀξιῶν περδαίνειν.*

deò iuuenis, respondens, quemadmodum nũc, quæ ipse minimè sentis: sed quàm verissimè responde. Num agricolam verum eum iudices, qui quam indignam plantatione plantam scit, ex ea lucrandum putat? HIP. Non per Iouem. SOC. Equitem præterea virum, si nouit nullius pretij esse pabulum quod equo præbet, an ignorare censes equum iri perditum? HIP. Nequaquam. SOC. Non igitur putat ex huiusmodi pabulo vitioso esse lucrũ. HIP. Minimè. SOC. Gubernatorem verò qui temone, ac velis nullius pretij nauem munierit, ignorare censes se damno affectum iri, & in periculum venturum, ne & ipsa nauis & quæcunque in naui sunt, perdantur? HIP. Non certè ignorat. SOC. Haud igitur putat se ex istiusmodi nullius pretij instrumentis lucraturum. HIP. Minimè. SOC. Item belli dux exercitũ vilibus armis nixum videns, num speret, dignúmve putet ex his affectare lucrũ? HIP. Minimè. SOC. Eodem modo si tibicen tibiam, citharœdus citharam, sagittarius arcum, & vt breui complectar, artifex, & rei cuiusuis peritus quisque organa, ac reliquum apparatum nullius pretij habeat, putétne ex his aliquando se lucraturum? HIP. Non, vt apparet. SOC. Quos itaque lucricupidos nuncupas? neque enim eos quos suprà retulimus, qui è rebus [quas nullius pretij esse norunt] oportere lucrari rentur. Atqui hoc modo mirande vir, quo tu vis, nullus hominum lucricupidus sit. HIP. At ego. SOC. Eos lucricupidos esse dicã, qui propter inexplebilem auiditatem minima & viliſsima quæque, & nullius pretij mirum in modum sitiunt, & in his etiam lucrũ quærunt. SOC. Non tamen ô vir optime, norunt

nullius ista pretij esse. Huc enim iam nos ipsos adegimus, vt impossibile fateremur. HIP. Mihi sane videtur. SOC. Si non cognoscunt, ignorant igitur: opinantur tamen, quæ nullius pretij sunt, multi facienda esse. HIP. Apparet. SOC. Lucricupidi nónne lucrum cupiunt? HIP. Profectò. SOC. Lucrum verò dicis damno contrarium? HIP. Est. SOC. Estne bonum cuiquam damno affici? HIP. Nemini. SOC. Malum autem? HIP. Prorsus. SOC. Læduntur itaque damno homines? HIP. Læduntur. SOC. Malum igitur damnum? HIP. Malum. SOC. Contrarium damno lucrum? HIP. Contrarium. SOC. Bonúmne igitur lucrum? HIP. Certè. SOC. Bonum igitur amantes lucricupidos nuncupas? HIP. Videtur. SOC. Nõ insanos quidem ô amice lucricupidos dicis. Sed tu ipse vtrùm amas quod bonum est an non amas? HIP. Amo equidem. SOC. An est bonum quicquam quod non affectes, sed malum? HIP. Non per Iouem. SOC. At æquabiliter omnia bona affectas. HIP. Omnia. SOC. Interroga insuper & me, an non ego quoque bona equidem amare me confitebor: sed præter me ac te, nónne reliqui mortales omnes tibi quoque videntur amare bona, mala odisse? HIP. Videntur. SOC. Lucrum autem nónne bonum esse confessi sumus? HIP. Nempe. SOC. Omnes igitur lucricupidi videntur hoc modo: quod verò prius diximus, nullus lucricupidus esset. Vtra igitur istorum rationum sequenda potius, ne erremus? HIP. Si quis ô Socrates, rectè lucricupidum definiat, eum puto lucricupidum arbitrabitur, qui his studet & lucrum ex his quærendum sibi putat, ex quibus boni viri lucrari nunquam instituant.

ſtituant. SOC. At non vides ô ſuauiſſime, quod paulò antè inter nos conuenit, lucrati ſcilicet eſſe vtilitate affici? HIP. Quid tum? SOC. Quia & in hoc conſenſimus, bonum omnes ſemper velle. HIP. Confeſſi ſumus. SOC. Nónne & boni viri lucrum omne expetunt, ſi quidem omne lucrum bonum eſt? HIP. Non tamen ea lucra quibus lædi poſſint. SOC. Lædi vocas damnum pati, an aliud quippiam? HIP. Nil aliud quàm damno affici. SOC. Lucróne damnum patiũtur homines, an damno potius? HIP. Vtriſque etenim & damno, & lucro turpi, damno afficiuntur. SOC. Num tibi videtur aliquid vtile ac bonum turpe exiſtere? HIP. Minimè. SOC. Nónne paulò antè conceſſimus, lucrum damno malo exiſtenti, contrarium eſſe. HIP. Fateor. SOC. Et cùm ſit malo contrarium, eſſe bonum? HIP. Conceſſimus. SOC. Vides igitur vt me conêre decipere, ex induſtria contraria his aſſerens, quæ ſuprà confeſſi ſumus. HIP. Non per Iouem, ô Socrates: ſed è contra, tu me decipis, ac neſcio quomodo diſputans ſurſum deorſúmque omnia conuertis. SOC. Bona verba quæſo. Neque enim rectè facerem, niſi viro bono & ſapienti parerem. HIP. Cuinam? aut quid hoc tandem? SOC. Conciui meo tuo, Hipparcho Piſiſtrati Philædonici filio, filiorum[a] Piſiſtrati natu maximo & ſapientiſſimo, qui cùm alia multa præclara ſapientiæ exempla edidit, & Homeri etiam libros in hanc regionem primus inuexit, & recitatores impulit, vt Panathenæis alternis & ordine pronuntiarent. quod vſque ad hæc etiam tempora obſeruant. [b] Et Anacreonta Teium miſſa quinquaginta remorum naui in hanc vrbem accitit. Simo-

[a] *Hipparchus Filius Piſiſtrati Homeri poemata in Atticam intulit, & vt recitarentur Panathenæis inſtituit.*

[b] *Hipparchus Anac-*

ereonte Athenas accit: Simonidem Chium apud se habuit.

nidem præterea Chium apud se semper habuit, amplis stipendiis & muneribus inductum. Hæc autem agebat omnia, ciues suos eò adducere volens, vt quamoptimè degentibus imperaret, ratus minimè fas esse, sapientiam cuiquam inuidere, quippe qui ipse honestus ac bonus erat. Cùm itaque ciues abunde eruditi essent, atque sapientiam eius admirarentur, ad agricolas conuertit animum & peregrinos erudiendos. Hermas igitur in singulis vrbis triuiis & in vnaquaque tribu erexit: & ex ea sapientia, quam partim didicerat, partim ipse inuenerat, eliciens quæ potiora iudicabat, elegis inclusit, [tum illa, poemata sua & sapientiæ suæ documenta, inscripsit:] primum vt ciues haud amplius egregia illa mirarentur, Cognosce teipsum, Nihil nimis, & reliqua huiusce modi, Delphis inscripta: sed Hipparchi præcepta veluti potiora susciperent. Deinde hac atque illac prætereuntes, ac legendo illius sapientiam degustantes, ex agris ad reliqua doctrinæ instituta discenda pergerent. Erant autem [inscriptiones duæ: altera in sinistra parte vniuscuiusque ª Hermæ, qua quidem inscriptione ipsa Herma] lectorem monebat, quòd in medio vrbis & populi staret: altera in dextra, eiusmodi erat, Hipparchi hoc monumentum est. Mox præceptum additum, Perge quæ iusta sunt curare. Cúmque in aliis Hermis alia præclara carmina inscripta essent, multáque, in via Stiriaca tale erat: Monumentum hoc Hipparchi, Ne amicum decipias. Quamobrem ego te quidem amicum meum fallere nunquam ausim, & illi tanto viro repugnare. Quo vita functo, tres annos sub fratre illius Hippia

ª *Sic appellabantur lapides quadrati, in modum statuæ, quæ esset sine capite, in viis erecti, & Mercurio dicati.*

Athenienses fuerunt. Ipse

verò è maioribus natu omnibus, accepisti, solum hoc triennium in hac vrbe tyrannidem viguisse, reliquis temporibus, eodem penè modo quo Saturno regnãte Athenienses vixerũt. Traditur autem ab elegantioribus viris, mortis eius causam extitisse, non eam quæ vulgò fertur quòd sc. soror eius vna de iis quæ canistrum in sacris Minervæ ferre solitæ erant ignominia affecta esset. nam id credere absurdum est. Sed cùm Harmodius amaretur, doceretúrque ab Aristogitone, magnum quiddam sibi ex hac educatione sperabat Aristogiton: fore namque Hipparchum in amore adolescentis aduersarium suspicabatur: Interim cõtigit vt Harmodius nobilem quendam, cuius nomen non satis teneo, amaret: is primũ Harmodium & Aristogitonem, veluti sapientes admirabatur, postea familiaris factus Hipparco, contemnere illos cœpit: vnde illi indignati, Hipparchum interemerunt. HIP. Videris ergo, ô Socrates, vel amicum me non putare: vel si putas amicum, Hipparcho minimè credere. Nam abs te non decipi differendo, persuaderi mihi nequit. SOC. Atqui volo perinde ac si talis ludamus, retractare quicquid libet, ne te deceptũ existimes. Vísne illud immutari quod diximus, omnes homines bona appetere? HIP. Nólo. SOC. Quid verò illud, quòd damnum ac damno affici, malum esse cõcessimus: HIPP. Neque id volo. SOC. Sed quid illud, quod lucrum atque lucrari, & ipsi damno & ei quod est damnum pati contraria sunt? HIP. Neque istud quidem. SOC. At illud fortasse, quòd lucrari, vtpote malo contrarium, bonum est. HIP. Ne quicquam retractes. SOC. Videtur igitur tibi, vt apparet, lucrum aliquod

a *Causæ necis Hipparchi ab Harmodio & Aristogitone cæsi.*

bonum esse, aliquod verò malum? HIP. Mihi verò. SOC. Retracto itaque tibi hoc. Est enim lucrum aliud bonum, malum aliud, nihil tamen magis hoc, quàm illud lucrum est, nónne? HIP. Quid interrogas? SOC. Dicam: cibus & bonus est, & malus. HIP. Est. SOC. Estne magis cibus alter altero, an similiter cibus vterque est, neque quà cibus alter ab altero differt, sed quà hic quidem bonus, ille verò malus? HIP. Est vt dicis. SOC. Nónne & potus & reliqua omnia, quæcunque formæ eiusdem sunt, ita habent, vt partim bona, partim mala sint, nihilque inter se differant in eo in quo eadem sunt, quemadmodum hominum quidem alius bonus, malus alius? HIP. Sic est. SOC. Cæterùm neuter illorum, vt arbitror, magis aut minus homo est quàm alter, neque bonus malo, neque malus bono. HIP. Vera dicis. SOC. Nónne de lucro similiter iudicabimus? quòd pariter lucrum tam bonum quàm malum lucrum sit? HIP. Necesse est. SOC. Nil igitur magis lucratur, qui lucrum bonum consequitur, quàm qui malum: neque horum alterutrum lucrum magis apparet, vt iam conuenit. HIP. Profectò. SOC. Neutróque aut magis, aut minus adest? HIP. Neutro. SOC. Tali autem in re, cui neutrum horum comperit, ecquis potest magis vel minus aliquid aut agere, aut etiam pati? HIP. Impossibile est. SOC. Postquā lucra æque sunt vtraque, hoc deinceps animaduertendum restat, propter quid vtraque lucrum appellas, quídnam idem in vtrisque aspicis: veluti si me roges, quare cibum, seu bonum, seu malum, cibum vtrunque vocem, respondeam vtique, quoniam vterque ficca est corporis esca, ideo vtrunq; cibum nomino, quod quidē & tu nobis

bis concederes, nónne? HIP. Fateor. SOC. Et circa potum eadem rursus respondendi ratio esset, quòd humidum corporis alimentum, seu bonum, seu malum sit, potum vocamus, & in aliis eodem modo. Enitere itaque me sic respondentem imitari. Lucrum bonum, itémque lucrum malum, vtrunque lucrum appellas. quidnam in lucro bono & malo idem cernis, cuius gratia vtrûque lucrum vocas? Quòd si non habes quod respondeas, at me dicentem attende. Num[a] lucrum appellas omnem possessionem quam quis acquisiuit, vel nihil omnino, vel parum expẽdens admodum, cùm plus accipiat? HIP. Id lucrum vocare mihi videor. SOC. An huiusmodi dicis, ceu si quis nihil expendens abundè epulatus sit, & ex epulis morbum acquisiuerit? HIP. Non per Iouem. SOC. At bonam valetudinem ex epulis adeptus, lucrúmne an damnum assequeretur? HIP. Lucrum. SOC. Non est igitur lucrũ, quodlibet acquirere. HIP. Non certè. SOC. Nunquid ita se habet, vt non lucretur qui quoduis assequitur, siue bonum, siue malum? HIP. Apparet. SOC. Neque in damnum incurrat, qui in quoduis incurrit, siue bonum siue malum? HIP. Mihi quidem videtur. SOC. Cernis ergo quòd circa idem reuolueris? Lucrum enim bonum, damnum verò malum apparet. HIP. Ignoro quid dicam. SOC. Et iure quidem. Sed præterea hoc mihi respondе. Si quis minus expendens plus acceperit, lucrari hunc diceres? HIP. Dico, modò ne malum lucretur, sed vel auri, vel argenti minus erogans, plus accipiat. SOC. Enimuerò hoc insuper interrogabo, si quis dimidiam auri libram erogans, duplum reportet argenti, lucrum, an

[a] *Lucri definitio.*

damnum sit? HIP. Damnum profectò, ô Socrates: nam pro [a] duodecuplo duplum solummodo capit. SOC. Veruntamen plus accepit. An non plus est duplum dimidio? HIP. Non eiusdem dignitatis ac pretij est argentum, cuius est aurum. SOC. Ergo oportet hoc lucro adiicere, æstimationem scilicet ac pretium. Nunc vtique argentum amplius cùm sit, quàm aurum, haud æquè æstimandum ac pretiosum dicis: aurum verò minus existens, pretiosum quoque ac dignum. HIP. Et maximè, sic enim se res habet. SOC. Ipsa ergo æstimatio dignitásque lucrum continet, siue parua res, siue magna sit. Indignum verò æstimatione, lucro caret? HIP. Profectò. SOC. Ipsum pretiosum ac dignum, vocas aliud dignum, quàm acquisitu dignum? HIP. Acquisitu. SOC. Dignum autem quæsitu vtile an inutile? HIP. Vtile. SOC. [b] Vtile nónne bonum? HIP. Est. SOC. Ô vir omnium fortissime, nónne iam tertiò & quartò cõclusum à nobis est, lucrum bonum esse? HIP. Videtur. SOC. Memoria tenes vnde sermo hic incidit? HIP. Arbitror. SOC. At si minus ipse memineris, ego in memoriam reducam. Ex eo enim quòd negares bonorum virorum esse, lucra quælibet acceptare, sed ex lucris bona duntaxat, mala verò nequaquam. HIP. Hinc sanè. SOC. Nónne lucra omnia esse bona, seu magna siue parua sint, ratio nos fateri coegit? HIP. Coegit certè, ô Socrates, me magis, quàm persuasit. SOC. Sed forsitan deinceps persuadebit. Nunc tamen siue persuasus fueris, seu quomodocunque aliter sic affectus, consentis nobiscum lucra omnia & ampla, & exigua bona esse? HIP. Consentio. SOC. Et bonos viros omnes bona

omnia

[a] *Hinc colligitur singula auri pondo tũ valuisse duodena pondo argenti.*

[b] *Qui dicit lucrum, dicit etiam bonum.*

omnia velle fateris? nunquid? HIP. Fateor. soc. Malos autem dicebas omnia lucra tam exigua quàm magna cupere. HIP. Dicebam. soc. Nónne igitur secundum sermonem tuum vniuersi homines, & boni pariter atque mali lucricupidi essent? HIP. Videtur. s o c. Nemo igitur rectè vituperabit lucricupidos, cùm ipse quoque lucricupidus sit.

PLATONIS

DIALOGVS DE PHILOSOPHIA, vel Amatores.

Marsilij Ficini Argumentum.

SVMMA *huius dialogi est, quid sit & quale officium philosophi, definire. Est autem philosophi officium, diuina nosse, gubernare humana: in illo contemplatiua philosophia, in hoc actiua comprehenditur. Philosophus itaque primò diuinam, id est absolutam ipsius boni naturam per sapientiam contemplatur. Deinde ad id bonum velut ad finem humanas operationes dirigens humana gubernat. Hæc autem gubernatio duo requirit. Primum, vt quid humana natura sit, & quo pacto ducatur ad bonum, à malo remoueatur, cognoscat: quod quidem per prudentiam philosophus agit. Alterum, vt sic instituat hominum & affectus & actus, sic temperet atque cohibeat, vt ad bonum quod sapientia ipsa inuenerit, & ad quod prudentia deinde direxerit, facilè tendant. Id verò per morales virtutes efficitur, quas omnes vno iustitiæ nomine Plato complectitur. Atque ex iis duobus*

humanorum gubernatio constat. Eiusdem autem est scire rectè hominem vnum, familiam, ac rempublicam gubernare. Quamobrem qui moralis est, idem dominus, ciuilis, rex idoneus esset. Ex quibus concluditur in ipso philosophantis officio hæc omnia contineri, sapientiam, prudentiam, iustitiam, moralem, domesticam, ciuilem, ac regiam disciplinam. Per sapientiam diuina cognoscit, per prudentiam iustitiámque humana gubernat, dum rem suam, rem familiarem, rempublicam administrat. Eiusmodi est philosophi ipsius officium, quod Plato in libris de Republica latius explicat, in hoc significat breuius.

SOCRATES.

DIONYSII Grammatici ludum ingressus iuuenes quosdam conspexi, qui videbantur facie valde liberali supra cæteros, & claris orti parentibus, cúmque iis vnà eorum etiam amatores. Aderant autem duo quidam adolescentuli inuicem contendentes: quæ verò esset contentio, haud satis aduerteram. Veruntamen de Anaxagora vel Oenopide disceptare videbantur, circulos describentes, & quasdam sphæræ inclinationes depingentes cubito innixi, & intenti admodum. Ego autem alterius illorum amicum, iuxta quem sedebam, cubito tangens, interrogaui quid ita contenderent adolescentes, & num magnum quiddam esset, & pulchrum, illud in quo tantum studium ponerent. Tum ille, quid inquit magnum, & pulchrum? Nugantur enim de sublimibus quidam, & philosophantes garriunt. Huius ego responsum admiratus, ô adolescens inquam, an turpe tibi philosophari videtur?

detur? cúrve tam acerbè respondes? Alter verò, iuxtà enim assidebat æmulus quidam istius, cùm & me interrogantem, & respondentem illum audisset, Non expedit tibi Socrates inquit, interrogare hunc, an turpe existimet esse philosophiam, nécne. An non vides ipsum in tumiditate quadam & saturitate atque somnolentia vniuersam ætatem egisse, vt credas aliud quicquam eum tibi responsurum, quam quòd turpe sit philosophia? Erat autem iste ex amatoribus in musica eruditus, alter autem quem carpebat, in gymnastica. Videbatúrque mihi oportere eum quem prius interrogaueram, missum facere, quòd agêdo potius, quàm disputando exercitatus haberi velle videretur. Interrogandum autem censui illum, qui sapientior videri volebat, vt siquam possem, vtilitatem reportarem. Dixi igitur ad eum, me de re cõmuni quæstionẽ mouisse, quod si putas melius hoc te responsurum, illud idem te nunc interrogo, vtrum videatur philosophari pulchrum esse, an secus? Hæc ferè cum diceremus, audierũt adolescentes, atque missa ea quę inter ipsos erat contentione, ad ea quæ dicebamus audienda seipsos silentio parabãt. At amatoribus quid acciderit, nescio. Ipse certè obstupui: semper enim [dum iuuenes, eósque præsertim formosos aspicio, ita affici soleò] Videbatur itaque mihi alter non minus quàm ego [anxia cupiditate æstuare:] verum enimverò respondit ille mihi, & valde quidem ambitiosé. Siquando, ô Socrates, philosophari tur pe esse ducerem, neq; me hominem putarem, neque quemuis alium sic affectum. Innuens autem in æmulum dicebat hæc ea voce, vt amasij exaudire possent. Hîc ego pulchrum

igitur tibi philosophari videtur? & maximè quidem, inquit ille. Quid ergo, inquam, num videtur tibi fieri posse, vt norit quis turpéne sit aliquid, an pulchrum, nisi prius quid ipsum sit norit? Non. Nosti igitur, inquam, quòd est aliquid philosophari? Noui equidem. Quid est? Quid aliud quàm iuxta Solonem? Dicebat enim alicubi Solo, Discenti assiduè multa, senecta venit. Et mihi quidem videtur semper sic oportere aliquid discere eum homine qui philosophus futurus sit, siue iuuenis, siue senex sit, vt in vita quàm plurima discat. Atq; is primo visus est mihi aliquid dixisse. Deinde mecum reputans, interrogaui, num ei philosophia, idem quod multa discere, videretur. Et ille omnino inquit. Existimas, inquam, pulchrum aliquid solum esse philosophiam, vel etiam bonum? Et bonum inquit. Vtrum philosophiæ id proprium facis, an etiam aliis eodem pacto tribuis? vt verbi gratia, studium gymnasticæ, non modò pulchrum esse, sed etiam bonum? Tunc ille ludens duo protulit. Aduersus hunc, inquit, dico, quòd neutrum sit: aduersus autem te, ô Socrates, & pulchrum & bonum simul esse fateor. Ergo in gymnasiis etiam multum laborem existimas esse gymnasticæ studium? Et maximè quidem, inquit ille, quemadmodum in philosophando, multa discere philosophiam puto. Ego verò, credis inquam, gymnasticæ studiosos aliquid aliud appetere, quàm vt eorum corpora bene se habeant? Idipsum inquit. Num multi labores bonam corporis habitudinem efficiunt? Quóuam pacto, inquit ille, ex paucis laboribus robustum corpus fieri possit? Hîc mihi visus est gymnasticus ille

prouo-

prouocandus esse, qui mihi propter peritiam gymnasticæ auxilium ferret. Illum igitur percontatus sum, Quid vir optime, isto loquente tu taces? Num & tibi videntur homines è multis potius laboribus quàm temperatis robur acquirere? Equidem, ô Socrates, ego illud quod dici solet videre videor: nempe moderatis corpus bene sese habere [laboribus, nõ autem magnis: nam quî efficere id possent? nónne contra reddunt hominem insomnem à cibo abhorrentem] ceruicéque molli & curis extenuatum? Et quum hæc annuisset, delectati adolescentes, riserunt. Alter autem ille erubuit. Tunc ego, quid tu igitur? concedisne, nec paruos, neque magnos labores habitudinem bonam corporis efficere, sed moderatos? an nobis qui duo in eadem sententia sumus, repugnas? Libenter equidem, inquit, huic repugnarem, atque aduersus eum valerem, id quod proposui, defendere, etiam si [sententiam minus validam ista quam modò protuli, proposuissem.] Nullius enim pretij est. Verùm tecum nolim contra opinionem receptam & probabilem contendere: confiteor igitur, non multas: sed temperatas exercitationes bonum corporis habitũ hominibus præstare. Cibi autem inquam multi, an moderati? Et cibi ait. Præterea cõpuli eum, vt cõcederet reliqua omnia quæ circa corpus versantur, temperata quidem prodesse quamplurimũ, pauca verò vel nimia, nihil. Et ille moderata iuuare, cõfessus est. At quæ ad animã spectant, inquã, cùm moderata adhibẽtur, cõducúntne magis an immoderata? Moderata. Disciplinæ autẽ nónne ex iis sunt quæ animæ adhibẽtur & cõferunt?

a *duplex est lectio in Græcis codicibus legitur enim* ἀτρεκῆ *&* ἀτρεβῆ. *Etcin. vid. legisse* ἀτρεβῆ, *si legatur* ἀτρεκῆ: *vertendum erit rigente & inflexibili cervice.*

Consensit. Ex disciplinis itaque quæ temperatæ sunt, non quæ multæ, vtilitatem afferunt? Consensit. Quémnam ergo interrogare meritò conueniat, quales sint labores atque cibi corporibus accommodi? In hoc tres arbitror conuenimus, medicum videlicet, vel pædotribam interrogandum. Qué verò de spargendis seminibus, quantum sit commodũ? Agricolam consentaneum est. At verò de semente & plãtatione disciplinarum in anima, quémnã meritò percontemur, quales quantæve sufficiant? Hîc cùm ambiguitatis pleni essemus, ego iocans inquam, vultísne postquam nos in hoc ambigui sumus, ab iis adolescentibus isthuc quæramus? An forsitan erubescimus, quemadmodum procos inducit Homerus, quũ nolent alium quenquam præter se arcum intendere? Sed cum grauiter ferre viderentur, alia quadam via inuestigare aggressus, Qualia, inquam, esse debere coniiciemus quæ oportet philosophum discere quũ neque omnia, neq; multa sequi debeat? Respondẽs autem sapientior ille, pulcerrimas ait, atque maximè congruas animo disciplinas eas esse, ex quibus maximam quis gloriam in philosophia consequatur: maximam verò gloriam adipiscí, si omniũ artium peritus sit: aut si minus omnium, plurimarum saltem, earúmque præstantia quæ æstimatione sunt dignæ, ea præ cæteris discens, quæ liberos homines decet, quæve intelligentiæ ratione, non manuum ministerio continentur. Tum ego, sic, inquam, dicis, quemadmodum in opificiis contingit? vbi [a] opificem quidem quinque ad summum, aut sex minis emeres, architectum verò ne drachmarũ quidem decẽ millibus: nam per omnem Græciam

[a] *Quid opifex seu faber & architectus differant.*

rari ad-

rari admodum reperiuntur: nunquid tale aliquid ais? Ille assensus idipsum se dicere confessus est. Eum mox interrogabam, vtrum possibile esset, duas eundem duntaxat artes hoc pacto, ne dum permultas magnásque percipere. Et ille, Ne ita me dicere putes, inquit, ô Socrates, quasi philosophantem oporteat singulas artes ad summum prosequi, quemadmodum artifices illos: verùm vt liberum virum eruditúmque decet, vt potis sit percipere quæ ab vnoquoque artifice proferuntur, atque id præ cæteris qui tum adsunt: præterea ita mente omnia coniectare, vt semper ipse elegantissimus, ac sapientissimus omnium in vnoquoque eorum quod è quocunque adducitur, appareat. Atque ego (adhuc enim quorsum tenderet ambigebam) intelligone, inquam, qualem dicis esse virum philosophum? Videris enim mihi talem dicere, quales in certamine sunt pentathli cursoribus, vel iaculatoribus collati. Etenim illi cursoribus, vel peltastis in eorum certaminibus inferiores sunt secundúmque locum tenent, reliquorum verò athletarum primi atque victores. Tale aliquid fortè dicis philosophiæ studium conferre philosophis, vt ab iis qui in quauis arte supremi sunt, in eadem arte intelligentia quidem superentur, secundúmque locum teneant, reliquos verò antecedant, vt philosophus in singulis facultatibus secundæ cuiusdam homo sortis existat. Huiusmodi videris philosophantem virum ostendere. Recte, inquit, ô Socrates, accipis de philosopho dicta, qui cum pentathlo comparaueris. Est enim proculdubio talis, vt nulli negotio seruire penitus velit, neque in aliqua re, vsque ad summum elaborare, ne propter vnius exa-

ctam diligentiam in aliis omnibus superetur, sicuti superantur opifices, sed omnia mediocriter temperatéque attingat. Post hanc responsionem cupiens planius nosse quídnam diceret bonos, inquam, viros, vtilésne, an inutiles esse censes? Vtiles, inquit, ô Socrates. Nónne si boni vtiles sunt, inquam, mali inutiles erunt? Consensit. Quid autem, philosophos viros vtiles vel inutiles putas? Ad hæc ille maximè omnium vtiles esse philosophos asseuerauit. Age igitur, dignoscamus si tu quidem vera dicis, quomodo vtiles nobis sunt isti secundæ sortis homines? Manifestum enim est, quòd vnoquoque artifice inferior est philosophus. Annuit. Age, inquam, si vel tu, vel ex amicis aliquis tibi charissimus ægrotaret, vtrum ad curam valetudinis philosophum illum secundarium domum induces, an medicum? Vtrunque. Ne mihi dicas vtrunque: sed vtrum potius? Nemo, inquit, ambigat, medicú & magis & prius. Quid autem in naui fluctibus agitata, vtrum te & tua gubernatori, an philosopho committeres? Gubernatori, inquit. Et in reliquis omnibus quantisper artifex adest, philosopho non erit locus? Apparet, inquit. Philosophus igitur nunc inutilis est: quum artifices non desint. Confessi verò sumus bonos quidem vtiles esse, malos inutiles. Coactus est confiteri. Quid ergo post hæc abs te petam? An forsitan inciuilius est, vltra perquirere? Quære quicquid lubet, inquit. Nihil aliud peto, nisi vt iterum concedantur iam dicta: habent autem se in hunc modum. Cõfessi sumus philosophiam bonam esse, & extare philosophos, atque eos ipsos bonos, bonos autem vtiles, malos contrà inutiles. Deinde

inde concessimus, dum artifices adiunt, philosophos inutiles esse, & artifices adesse semper. Nónne concessa hæc sunt? Sunt. Confitemur igitur, vt videtur secundum tuam orationem, si quidem philosophari est esse scientem in artibus eo pacto, quo tu idem dixisti, malos philosophos esse, & inutiles, quandiu inter homines artes sint. Verùm non ita habet, ô amice. Neque philosophari circa artes studiosè versari est, nec multis negotiis incumbere, aut multa perdiscere, sed aliud quiddam: si quidem existimo & absurdum hoc esse, & mechanicos rectius appellari, qui artibus incumbunt. Hoc autem modo planius intelligemus, an vera dicam, néene, si hoc respondeas. Quinam equos rectè domare norunt? vtrum qui illos meliores reddunt, an alij? Qui meliores. Quid autem canes, num qui eos meliores reddere, iidem & rectè coercere norunt? Omnino. Eadem ergo ars, & meliores reddit, & rectè coercet? Eadem. Quid autem? Vtrum quæ & meliores facit, & rectè coercet, eadem discernit bonos & malos, an alia? Eadem, inquit. Vis igitur, inquam, idem de hominibus constituamus, quæ optimos reddat homines, eadem sit, quæ & rectè cohibet, & qui boni sint, quíve mali, discernat? Prorsus, inquit. Nónne quæcunque vnum, eadem & multos: & quæ multos, & vnum? Ita. Et in equis præterea cæterísque omnibus eodem modo? Eodem, inquit. Quænam scientia est, quæ intemperantes, & legum transgressores in ciuitate rectè punit? nónne iudiciaria? Prorsus. An vocas iustitiam aliam quandam præter eam? Nullam, inquit. Nónne qua scientia rectè castigant & puniunt,

eadem bonos & malos discernunt? Eadem. Quicũque verò vnum norit, plures quoque cognoscet? Cognoscet. At qui multos ignorat, ignorabit & vnum? Consensit. Si ergo equus existens, bonos ac malos equos ignoret, seipsum ignorabit? Cõcessit. Et si bos cùm sit, haud nouerit qui sint boni aut mali boues, sese etiam qualis ipse sit, ignoret, necesse est? Ita est, inquit. Eodem quoque modo si canis fuerit? Confessus est. Nunc verò cùm homo quispiam existens, ignoret bonos homines, & malos, nónne suipsius etiam ignarus erit, bonúsne sit an malus? Adnuit. Seipsum ignorare, sapere an desipere est? Desipere. Seipsum itaque nosse, sapere est? Est, inquit. Hoc igitur, vt videtur, & scriptum quod[a] Delphis est, præcipit, Prudentiam scilicet & iustitiam colere. Apparet. Hæc eadem & rectè cohibere scimus. Adnuit. Qua ergo rectè cohibere scimus, ea vtique iustitia est. [b]Qua verò & nos ipsos, & alios dignoscere possumus, prudentia. Videtur. Eadé igitur est iustitia atq; prudẽtia. Apparet. Quinetiam ciuitates tunc optimè gubernantur, quum iniusti dant pœnas. Vera narras. Atque hæc[c] ciuilis scientia est. Est, inquit. Quid verò quoties vir vnus rectè ciuitatem instituit, quod nomen illi conueniet, nónne tyranni & regis? Adnuit. Nónne tyrannica aut regia arte gubernat? Imò. Hæ itaque facultates eædem cum superioribus sunt. Videntur. Quid verò quum vir vnus domum rectè disponit, quod huic nomen maximè cõgruit? nónne œconomus ac dominus? Conuenit. Vtrum & iste iustitia bene regit familiã, an alia facultate? Iustitia. Idem est igitur, vt apparet, rex, tyrannus, ciuilis, œconomus, domi-

[a] *Prudentia propriũ munus.*

[b] *Iustitia itẽ quodnam sit munus.*

[c] *Ciuilis scientia quanam sit.*

dominus, prudens, iustus: atque vna quoque ars, regia, tyrannica, ciuilis, dominica, œconomica, iustitia atque prudentia est. Videtur. Quid itaque philosopho viro, quoties medicus de ægrotantibus quicquam dixerit, turpe est non posse dicta illius assequi, nec quicquam conferre, aut similiter, quando aliquis alius artifex] cúmque aut iudex, aut alius quispiam eorum, quos paulò ante retulimus, non absurdum in iis, nec assequi dicta, neque quicquam conferre posse? Quídni esset absurdum, ô Socrates, in tantis rebus nihil habere quod conferas? Vtrum igitur inquam, & [a] circa hæc philosophum, vt pentathlum esse oportere dicimus, & secundas tenentem inutilem esse, quandiu aliquis illorum est; vel primum quidem ipsum oportere domum suam nulli administrandam præbere, neque secundas in hoc partes tenere. sed ex seipso omnia castigare, rectè iudicantem, si quidem familiam suã rectè administrare cupiat? Assentiebatur ille mihi. Atque ego addidi. Tum si aut amicus huic aliquis vitæ suæ rationem, aut ciuitas quicquam discernendum, aut iudicandum committat, num turpe, ô amice, sit secundas eum in his tenere, aut tertias, neque ducem potius existere? Ita mihi videtur, inquit. Absit igitur, ô vir optime, vt philosophari sit plurima discere, artésque tractare. Cùm ista dixisset, sapiens quidem ille ex antedictis rubore affectus tacuit. Indoctus autem affirmauit sic esse, & cæteri omnes dicta collaudarunt.

[a] *Verè Philosophi propriũ munus*

THEAGES, VEL DE SAPIENTIA.

Marsilij Ficini Argumentum.

DISTINGVITVR *in hoc dialogo Sapientia, & vltimum distinctionis membrum sic inuestigandum assumitur, vt quo pacto acquiratur ab hominibus, pateat. Prima partitione Sapientia duplex dicitur. Vna absoluta, conditionalis altera absoluta, quæ simpliciter absque additione aliqua sapientia nominatur. Conditionalis, quæ non simpliciter sapientia, sed sapientia quædam dicta est. illa sic definitur: Cognitio earum rerum de quibus haberi scientia potest. Habetur autem scientia de iis quæ semper eadem, & eodem modo sunt: huiusmodi sunt summa rerum principia & æterna rerum omnium rationes: hæc autem diuina dicitur: quo fit, vt sapientia sit diuinarum rerum scientia: quæ quidem absoluta sapientia est. Conditionalis vero omnibus artibus & facultatibus est communis. Nã summitas cuiusque artis sapientiæ quædam vocatur, vt sapientia gubernatoria, sapientia aurigaria, sapientia militaris. Ex omnibus autem quæ cum additione sapientiæ nuncupantur, præcipua est, qua cæteris vt magistris vtitur, cuiusmodi ciuilis sapientia est. Quæ quidem facultas commune ciuitatis & gentis bonum intellectans, definitur. Hæc tum ciuilis tum etiam regia disciplina vocatur. Cuius subiectum ciuitas est: finis, commune bonum: ministræ, artes omnes. Officia duo, leges condere & conditas exequi: illud per prudentiam nomotheticam, hoc per iustitiam legalem & iudiciariam agit. Verùm quo pacto quis ciuilem sapientiam nanciscatur, in plurimis eius disputationibus Plato dubitat: & in præsenti Theage, vtrum ciui-*

ciuiles homines, an sophistæ, an contemplatiui duntaxat philosophi eam doceant. Quòd à ciuilibus viris, aut sophistis, aut soli contemplationi deditis discatur, in Menone, & hic quodammodo negat: quòd illi ne filios quidem suos vnquam docuerint, quòd isti rationem boni non habeant, quòd hi rerum humanarum experti minimè sint. Restat igitur, vt hæc aut à philosophis, & contemplandi, & agendi apprimè peritis percipiatur, aut diuina sorte contingat. Illi nusquam reperiuntur. Vnde in Menone, & in Theage diuino munere fieri asserit, vt in animos ciuium temperatos Dei prouidentia boni ipsius intelligentiam, & leges ad id ducentes infundat. Quam sanè notionem hic ciuilem sapientiam, in Menone propriori vocabulo vaticinium quoddam nominat, ciuilésque viros furentibus comparat. Sæpe etiam ait nunquam à malis genus hominum cessaturum, nisi aut legitimi philosophi dominentur, aut ij qui gubernant rempublicam, diuina quadam sorte philosophentur.

DEMODOCVS, SOCRATES, THEAGES.

PVs habebam, ô Socrates, quædam priuatim tecum communicare, si quidem otium sit, vel etiam negotium, modò non omnino magnum: velim enim mea causa otium agas. SOCRAT. Equidem otiosus & alioqui sum, sed tui causa maximè. Si quid ergo dicere vis, licet. DEMODOC. Vin' secedamus hinc in proximam Iouis liberatoris porticum? SOCRA. Vt lubet. DEMODOC. Eamus ergo, ô Socrates. Omnes quidem plantæ eodem se modo habe-

re videntur,& quæ è terra naſcuntur, animaliáque omnia, & homines denique ipſi. Vt enim in plantis facillimum hoc nobis eſt qui terram colimus, præparare quidem omnia antequam plantemus, & ipſa etiam plantatio: poſtquam verò quod plantatum eſt, viuit: tunc cultus ipſius varius eſt & difficilis: ſic & in hominibus videtur. Ex meis enim rebus cætera coniicio. Etenim hæc mihi mei filij ſiue plantatio, ſeu generatio appellanda ſit, omnium facilima extitit, [a] educatio autem difficilis, & plena timoris ſemper, maximum metum ipſius cauſa ſubeunti fuit. Et alia quidem multa de hoc dici poſſent: præcipuè verò cupiditas, quæ huic nunc ineſt, vehementer me ſolicitat: eſt enim non ingenerosa, verùm periculoſa. Cupit enim, ô Socrates, vt ipſe ait, ſapiens effici. Et vt mihi videtur, populares quidam eius æquales in vrbem venientes, ſermones quoſdam à ſe auditos ipſi referentes, vehementer illum perculerunt, quos æmulari cœpit, & mihi iam pridem moleſtus eſt, volens, vt eius curam ſuſcipiam, ac pecuniam ſophiſtę alicui, qui ipſum ſapientem reddat, perſoluam. Mihi verò pecuniarum minor eſt cura: verùm hunc exiſtimo ob hoc eius ſtudium in periculum non mediocre incurſurum. Hactenus igitur huic obſtiti, conſolando: ſed vbi diutius nequeo, operæ pretium fore duxi, vt ei obtemperem, ne ſine me frequenter cum aliis viuens, corrumpatur. Nunc autem ad hoc proficiſcor, vt eum alicui eorum qui ſophiſtæ exiſtimantur, commendem. Tu igitur peropportunè nobis obuiam factus es, quem quidem hac in re mihi conſultorem maximè cupiebam. Itaque ſi-

[a] *Recta educatio liberorũ difficilis eſt, & maximam curam requirit.*

quid

quid habes, quod mihi in iis quæ audiuisti, consulere queas, licet & expedit. SOCR. Cæterùm ô Demodoce, vulgò dicitur, [a] consilium res sacra est: & si vnquam vllum aliud, hoc est in primis de quo quæris. Non est enim diuinius aliquid, quo de quis consulere queat, quàm de institutione sui atque suorum. Primùm igitur consentiamus, [b] quisnam hoc esse putemus, quo de consultamus. ne sæpenumero, ego quidem aliud illud existimem, tu item aliud, ac deinde longè dissentiamus: ridiculi quidem existentes ambo, & ego qui do, & tu qui postulas consilium quum nihildum consenserimus. DEMOD. Rectè quidem mihi dicere videris, ô Socrates. Itaque faciendum censeo. SOCR. Rectè inquam, non omnino tamen rectè: nam paulisper id muto: dubito enim ne fortè hic adolescentulus, alia quædam quàm quæ nos rebamur, cupiat: quòd si alia, nos quoque absurdius faciamus de alio consultantes. Rectissimum igitur mihi videtur, vt initium hinc sumentes, ipsum quid maximè instituat, rogemus. DEMOD. Optimum videtur vt dicis. SOCR. Dic igitur mihi, quod pulchrum nomen est puero? quo nomine ipsum vocabimus? DEM. Theages, ô Socrates. SOCRAT. Pulchrum, ô Demodoce, & diui num filio nomen imposuisti. Sed tu dic mihi Theages, cupisne sapiens esse? ac dignum existimas esse: vt pater hic tuus virum inueniat, qui te sua consuetudine sapientem reddat? THEA. Cupio. SOCR. Sapientes autem vtrum vocas homines scientiam habentes, quæcunque illa sint quæ scierint, nécne? THEAGES Scientes equidem. SOCRAT. Quid igitur nónne te pater edocuit, quæ hic nobilium vi-

[a] Cõsiliũ res sacra est.

[b] Definitio eius de quo quæritur ante omnia necessaria est.

rorum filij docentur? scilicet literas, citharam pulsare, palæstram, & alia certamina? THEA. Docuit. SOCR. Putas præterea te aliqua scientia indigere, de qua curam suscipere tui causa patrem deceat? TH. Puto. SOCR. Quæ est igitur ipsa? dic nobis, vt tibi gratificemur. THE. Nouit & hic ô Socrates, quoniam persæpe illi narraui, sed de industria hæc nunc tecum loquitur, quasi nesciat quæ cupiam: hoc enim modo, & in aliis multis mecum pugnat, neque vult alicui me tradere. SOC. Atqui quæ cum illo collocutus es hactenus, testibus carent: nunc autem me adhibe testem, atque coram me denuo recense. Quænam est hæc sapientia quam appetis? Age, si cuperes eam qua homines nauigia gubernãt, & ego te rogarem, quãnam, ô Theages sapientia indigens, patri succenses, quòd te his, à quibus sapiens reddi potes, non tradat, quámnam esse responderes? nónne gubernatoriam? THEA. Certè. SOCR. Sin autem illius cuperes eruditum te fieri, qua currus reguntur, ac patri succenseres, ego verò rogem, quænam ea esset, nónne aurigariam responderes? THEA. Vtique. SOCR. Hæc autem quam appetis vtrum habet nomen an non? THEA. Existimo habere. SOCR. Vtrum illam quidem nosti, nomen autem ignoras? vel nomen etiam tenes? THEA. Etiam nomen. SOCR. Dic ergo quid est. THEA. Quod aliud nomen huic congruere dicas, ô Socrates, quàm sapientiæ? SOCR. Nónne etiam aurigaria, sapientia est? An ignorantia tibi videtur? THEA. Nullo modo. SOCR. An non sapientia? TH. Sapientia. SOC. Qua ad quid vtimur? num qua scimus equorum iuga regere? TH. Profectò. SOC. At gubernatoria, nónne

& ipsa

& ipsa sapientia est? THE. Mihi quidem videtur. SOCR. Num & ea est, qua naues gubernamus? TH. Ea vtique. SO. Eaverò quam nunc optas, quænam sapientia est? quídue eam adepti scimus gubernare? THE. Mihi quidem videtur ea, qua scimus hominibus imperare. SO. Num qua ægrotantibus? TH. Minimè. SO. Ipsa enim medicina est, nónne? TH. Est. SOC. At qua canentibus scimus in choris præesse? THE. Nequaquam. SOCR. Musica enim est. THEA. Ita. SOCRAT. Sed vtrum qua certantibus præesse? THEA. Nequaquam. SOCRAT. Gymnastica enim est. TH. Est. SOCR. Verùm qua quid facientibus, conare exprimere sic, quemadmodum superiora ego. THE. Mihi planè videtur ea, qua his qui sunt in ciuitate. SOCR. Nónne in ciuitate ægroti etiam sunt. THEA. Sunt quidem, sed non istis solùm dico, verùm omnibus qui in ciuitate versantur. SOCRAT. Intelligo quam artem dicis. Videris enim non eam qua præesse nouimus metentibus, aut vindemiantibus, aut plantantibus, aut serentibus, aut triturantibus: ipsa enim per quam iis imperamus, agricultura est. THEA. Est. SOCR. Neque rursus qua vel secantibus, vel perforantibus, vel polientibus, vel torno aliquid facientibus: nam hæc ad fabros pertinet. THEA. Certè. SOCRA. Verùm fortasse qua iis vniuersis, & agricolis, & fabris, & artificibus omnibus, ac priuatis cunctis mulieribúsque & viris imperitamus, eam tu sapientiam dicis. THEAG. Istam ipsam, ô Socrates, iampridem dicere volebam. SOCR. Potésne dicere, an Ægisthus qui Agamemnonem apud Agros interfecit, his omnibus imperauit, quos dixisti, artificibus, priuatis vi-

ris, mulieribúsque vniuerſis, an aliis quibuſdam? THEA. Non aliis, ſed iis omnibus. SOC. Quid autem Pelæus Æaci filius in Phthia, nõne iiſdem dominatus eſt? THEA. Eiſdem. SOCRAT. Periandrum verò Cypſeli, nónne audiiſti apud Corinthios imperaſſe? THEA. Equidem. SOCR. Nónne eiſdem in ciuitate ſua dominatus eſt? THE. Certè. SOCR. Quid verò Archelaum Perdiccæ nuper in Macedonia imperantem, num iiſdem exiſtimas dominatum? THE. Equidem. SOCR. Hippiam autem Piſiſtrati in hac vrbe dominantem, quibúſnam præfuiſſe arbitraris? nónne eiſdem? THE. Quidni? SOC. Bacis verò & Sibylla, & noſtrâs Amphilytus, quónam pacto tibi cognominãdi viderentur? THEA. Non alio, quàm vatum nomine. SOCR. Rectè dicis, eodem modo conare, vt inuenias quo cognomine Hippiam & Periandrum propter eundem principatum nomines. THEA. Quî vocem, quàm tyrannos? SOCR. Ergo quicunque cupit more iſtorum vniuerſis ſuis ciuibus imperare, tyrannidem appetit, & eſſe tyrannus ſtudet? THEA. Ita videtur. SOCR. Hanc tu optas? THE. Videtur ex iis quæ dixi. SOCR. Ergo ſceleſte, more tyranni nobis præeſſe cupiens, iamdudum ſuccenſes patri, quòd te ad aliquem tyrannidis præceptorem non mittit? Et te, Demodoce, non pudet, qui cùm dudum noris quid hic concupiſcas, & habeas quò ipſum mittas, vt artificè ſapientiæ illius, quam petit, facere poſſis, inuideas, & nolis mittere? ſed nunc vides quid rei ſit. Cum verò te coram accuſauerit, conſultemus ſimul ego & tu, éſtne quo mittamus, vt alicuius conſuetudine ſapiens tyrannus efficiatur? DEMO. Per Iouem, ô Socra-

tes,

tes consultemus. Est enim, vt mihi videtur, consilio opus, & maximo. SOC. Sine, bone vir, interrogemus ipsum prius. DEMO. Interroga. SOCR. Quid si Euripide ad aliquid vtamur, ô Theages? Inquit enim ille, Sapiunt tyranni sapientum consuetudine. Si quis Euripidem roget, ô Euripides, qua in re sapientum consuetudine ais sapere tyrannos? quemadmodum si cùm dixisset, sapientes agricolæ sunt sapientum consuetudine, percontaremur, quánam in re sapientum, quid putas ipsum dicturum? an aliud, quàm in re rustica? THE. Nihil aliud. SOCR. Eodem modo si dixisset, sapientes coci sapientum consuetudine, nósque rogaremus, quánam in re sapientum, quid aliud responderet, quàm coquinaria? THE. Idipsum. SOC. Quid si dixisset, sapientes athletæ sapientum consuetudine, & nos in quo sapientum interrogemus, nónne certando responderet? TH. Imo. SOCR. Et quia dixit, Sapientes tyranni sapientum consuetudine, si rogaremus illum, qua in re, ô Euripides, sapientum, quid eum responsurum putas? TH. Per Iouem nescio. SOCR. Vis tibi dicam? TH. Vt lubet. SOC. Hæc sunt quæ ait Anacreo ipsam Callicretem nosse. Audisti carmen? TH. Audiui. SOC. Quid igitur? huiusmodine viri consuetudinem cupis, qui eam artem teneat, quam tenebat Callicretes Cyane nata, quíque sciret tyrannica quæ Callicretem nouisse poeta inquit, vt & in nos, & ciuitatem tyrannidem exerceas? TH. Iandudum me mordes Socrates, atque irrides. SOCR. Quamobrem? nónne ais hanc te sapientiam optare, qua cunctis imperes? Atqui hæc faciens aliúdne, quàm tyrannus fit? TH. Optarem quidem vt arbitror, vel

omnium hominum, vel quamplurimorum tyrannide potiri, quod idem de te ac cæteris omnibus persuadeo mihi, aut etiam Deus esse. Veruntamen hoc non appetere dicebam. SOCR. Quid tandem est hoc quod cupis? nõne ciuibus præesse? TH. Non vi quidem neque vt tyranni: sed volentibus, quemadmodum alij in ciuitate bene morati, ac boni viri. SOCR. Dicis ergo qualis Themistocles fuit, & Pericles, & Cimo, & quicunque alij in administratione reipublicæ floruerunt? TH. Per Iouem, istos inquam. SOCR. Quid verò si nobilis eques esse studeas, & in ea arte sapiẽs, ad quosnam alios accederes, quàm ad equites? THE. Ad nullos alios. SOCR. Quippe ad hos ipsos qui equestri arte pollent, & qui equis tum nostratibus, tum alienis quàm plurimis vtuntur. TH. Scilicet. SOCR. Eodémque modo si sapienter iaculandi artem adipisci cupias, ad eos qui optimè iaculantur, & qui multis tam alienis, quàm propriis vtuntur spiculis proficiscereris. TH. Mihi quidem videtur. SOCR. Age itaque postquam in ciuilibus erudiri vis, vt in iis sapiens fias, ad alios accedendum putas, quàm ad hos ciuiles homines, qui disciplina ciuili summopere valent, & vtuntur tum patria, tum aliis ciuitatibus: versantúrque ob id in Græcis & in barbaris? An putas cum aliis quibusdam conuersans, sapiens euadere in iis in quibus isti sunt sapientes, & non cũ his ipsis? TH. Audiui Socrates, sermones quosdam, quos tuos asserunt, [b] ciuilium virorum liberos nihilo meliores, quam cerdonum esse. Et mea quidem sententia verà dicis. Insipiens ergo sim ego, qui de illorum numero esse

[a] *Tyrãni duplex, vna violentũ imperiũ, altera legitimã & moderatam dominationẽ significat.*

[b] *Ciuiliũ virorum liberi nihilo meliores cerdonũ liberis.*

esse possum, si mihi persuadeam, aliquem istorum suam mihi sapientiam traditurũ, qui quidem suos filios ipsorum minimè iuuent, putémque vel mihi, vel vlli mortalium ad hanc rem posse prodesse. SOC. Quid tu igitur optime hominum agas, si cùm tibi filius esset, huiusmodi negotia exhiberet, ostendens cupere in optimum pictorem euadere, succenseátque tibi quòd nullam in se pecuniã eius gratia collocares, sed ipsos pingendi artifices paruipenderet, neque ab eis aliquid vellet discere, tibicines item tibicen effici volens, vel etiam citharœdos? Habes quod cum eo agas, vel quò tandem illum mitteres, nolentem ab iis discere? TH. Minimè profectò habeo. SO. Nõne igitur eadem hæc faciens, miraris atque succenses patri, cùm dubitat quid tecum agat, & quò te mittat, quem Athenienſium in administranda republica præstantissimorũ cuicunque voluisses commendaturi eramus, qui tecum sine pretio versatus fuisset: simúlque & sumptibus pepercisses, & ab huiusmodi consuetudine plus nominis quæsiuisses, quã omniũ cæterorum. TH. Quid igitur Socrates, nõne tu ex bonorũ & honestorum illorũ hominum numero es? Si me susceperis, sat habeo, neque aliũ quæro. SO. Quid hoc dicis. DEM. Nõ malè dicit, ô Socrates, neq; mihi quicquã hoc iucundius vtiliúsque, vt arbitror, esse possit, q̃ si huic tua cõsuetudo placeat, & si tu cũ eo velit sati velis: & profectò pudore impedior dicere quàm vehementer affectẽ. Itaque ambos vos rogatos velim, & te vt velis hunc susципere, & te ne aliũ, quàm Socratem quæras, méque maximis curis, & formidine plenis obsecro liberetis, quoniam nunc vehementer timeo, ne

hic cuiuspiam alterius consuetudinem quærat, à quo deinde perdatur. TH. Ne vlterius mihi timeas, mi pater, si huic persuadere potes vt me suscipiat. DEMO. Rectè loqueris, & ad te ô Socrates, omnis posthac oratio conuertetur. Ego enim, vt breuissimè loquar, me simul ac mea omnia vel charissima quoque indigeas, tibi libentissimè trado, si hunc Theagem susceperis, eique pro virili tua bene feceris. SO. Equidem, ô Demodoce, studium hoc tuum non admirer, siquidem existimas maximè à me hunc iuuari posse. Non enim video, vbi maiore diligentia opus sit, si quis mentem modò habet, quàm vt filium optimum reddat. Sed vnde tibi hoc ita visum est, me videlicet tuum filium meliorem posse ciuem reddere, quàm tute possis? Atque vnde hic sibi persuasit posse magis à me, quàm abs te ad hanc rem iuuari? Id enim vehementer admiror: tu enim primum me senior es, deis de multis ac maximis apud Athenienses functus es magistratibus, neque te magis quisquam à popularibus Agnagyrusiis ac reliquis ciuibus honoratur. In me autem horum quicquam neuter vestrûm videt. Verùm si ciuilium virorum consuetudines Theages iste contemnit, alióque quærit qui instruere iuuentam profitetur, est hic [b] Prodicus Chius, & Gorgias Leontinus, & Polus Agrigentinus, aliique permulti, qui adeò sapiètes sunt, vt cùm vrbes adeunt, nobilissimos & ditissimos alliciant ad se iuuenes: quibus cum vel optimorũ quorũcunque familiaritate gratis vti liceret, eorum consuetudine relicta, persuasi ad illos conferunt se, pretium atq; id ingès, offerètes vltrò, & gratiam insuper maximam habètes.

[a] *Quanta in liberis rectè instituendis cura sit ponenda.*

[b] *Sophistæ qui mercede sapientiã docebant.*

Ex

Ex his ergo decebat te ac filium tuũ aliquem eligere, me verò ad id elegisse non conuenit. Nullam enim ex istis beatis & pulchris disciplinis, scio [quanquam velim quidem illas habere: verùm illud semper profiteor me (vt ita dicam) nihil scire,] præter exiguam quandam amandi disciplinam, qua vulgò præstantior, tum superioribus, tum etiam præsentibus viris esse videor. THEA. Videsne pater Socratem hunc non admodum vult mecum versari? nam quod ad me attinet, paratus eram, modò ipse voluisset: sed hæc omnia ille ioco aduersus nos dicit. Noui enim meorum æquales, & aliquanto seniorum nonnullos, qui priusquam cum hoc versarentur, nullius erant pretij: postquam autem familiaritate istius vsi sunt, breui omnium supremi eorum euaserunt, quorum infimi prius erant. SOC. Nosti quale hoc sit, ô Demodoci fili? THEA. Noui per Iouem: si voles enim, talis fiam, quales illi fuerunt. SOC. Non ita, ô optime, sed hoc te fefellit, quale sit: ego autem tibi dicam. Adest mihi diuina quadam sorte a dæmoniũ quoddam à prima pueritia me secutum: hoc enim vox est quædam, quæ quum existit, semper eius rei, quam facturus sum, dissuasionem innuit, prouocat verò nunquam. Quòd si quis amicorum mecum quandoque aliquid communicat, venitque vox, hoc illa dissuadet, neque facere finit. Cuius quidem rei vobis testes dabo. Charmidem virum beatum Glauconis filium noscitis: hic aliquando in Nemea stadio se exercitaturus mecum communicabat. Ac statim vbi dicere inciperet quod se exercitaturus esset, affuit vox: ego prohibui, edicens quemadmodum ipso loquente dæmonij

a *dæmonium Socratis.*

vox extiterat, ne se exerceret. Ille verò, fortasse, inquit, significat tibi me victorem non euasurum: sed & si victoria non potiar, tamen hoc tempore me exercens, aliquid proficiam. Atque ita locutus, in certamen abit. Operæ pretium igitur est audire ab eo quid ei ex eo certamine contigerit. Iam si vultis & Clitomachum Timarchi fratrem rogate quid ei Timarchus dixerit, cum iam moriturus esset. is enim & Euathlus quidam cursor, qui illum fugientem susceperit, referet vobis quid ille tunc dixerit. THEAG. Quidnam? SOCRAT. O Clitomache, inquit, equidem ad mortem proficiscor, quoniam Socrati obtemperare nolui. Hoc cur ita dixerit Timarchus, ego exponam. Cùm enim surrexissent ex conuiuio Timarchus & Philemon Philemonidis filius, interfecturi Niciam Heroscamandri filium: soli enim insidiarum ij conscij fuerant: hîc Timarchus, Quid ais, ô Socrates, inquit. Vos quidem bibite, me verò oportet alio ire. redibo autem paulò pòst, si occasio erit. Tum mihi aderat vox. Itaque ne surgas inquam, solitum enim mihi à dæmone signum factum est. Quieuit ille. Deinde paulisper commoratus ardebat iterum eundi cupiditate, dicens, eo iam Socrates. Et quia iterum vocem audiui, rursus illum cohibui, donec ille tertiò latere me cupiens surrexit, nihil mihi dicens, sed obseruans, cùm ego mentem aliò aduertissem: & sic profectus ea patrauit, quæ mortis ei causa fuerunt. Hæc eadem ille fratri quemadmodum nunc ego vobis, dixit, se scilicet ad mortem proficisci, quo mihi credere noluisset. Audietis præterea ex multis qui in Sicilia sunt, quæ de exercitus clade prædixeram.

Et

Et præter id quidem ab his qui illa nouerunt, audire licet. Experiri verò dæmonij signum siquid forte dicat, etiam nunc possumus [sub tempus profectionis Samionis illius formosi in expeditionem exeuntis, mihi adfuit signū:] Is verò proficiscitur nunc cum Thrasylo [a] aduersus Ephesum & Ioniā militaturus. Ego autem illum existimo, vel interfectum iri, vel fore vt in illū aliquid mali irruat, & de reliquo negotio vehementer metuo. Hæc omnia ideo tibi dico, quia potestas omnis ad familaritates cum his qui mecū sunt instituendas penes dæmonium est. Multis enim aduersatur, neque licet his auxilium ferre, qui mecū inuito dæmone cōuersantur: quare impossibile est mihi, cū his viuere. Multis autem hærere nō prohibet, sed consuetudine nostra nihil omnino iuuantur. Quibus autē fauerit in ipsa familiaritate potestas dæmonij, illi sunt de quibus illud animaduertisti, breui enim proficiunt. Sed eorum partim hoc beneficium firmū habent atque durabile, pleriq; verò quoad mecū sunt mirificè pollēt: at vbi discesserint, rursus nihil à cæteris differūt. Hoc quandoque accidit Aristidi Lysimachi filio, eius qui filius fuit Aristidis. Nam mecū cōmorans, breui multum profecit: postea verò in militiam profectus est, rediens deinde offendit apud me agentem Thucydidem Melisſi filium: hic autem Thucydides pridie mihi inter disputandū nescio qua de re obiecerat. Cùm me salutasset, & quædam insuper collocutus esset Aristides, Thucydidē, inquit, ô Socrates, audio gloriari & in quibusdam tecū etiam concertare, tanquā aliquid sit. Est inquam, vt dicis. Tū ille, Non meminit, inquit, antequam tibi adhæreret, quale fuerit

[a] *Vel rectà Ephesum versus.*

mancipium ? Non videtur inquam per deos. At ego, inquit ille, ridiculus sum. Quidnam maximè inquam ? Quoniam priusquam hinc abirem, cum quouis disputare audebam, neq; aliquo videbar in disserendo deterior, adeò vt cœtus præstantium virorum audacter adirem. Nunc autem contrà fugio quemcunque eruditum esse intellexi, adeò pudore adducor ob inscitiam. Vtrum igitur inquam, euestigiò te reliquit illa vis, an paulatim ? Paulatim, inquit. Quando verò te incessit, vtrum illa accidit tibi aliquid à me discenti, an aliter ? Dicam, ô Socrates, rem quidem per deos incredibilem, veram tamen. Nihil vnquam à te, vt ipse scis, didici, proficiebam autem quotiescúque tecum essem, & si in eadem solùm domo essem, non tamen in eodem cubiculo, magis tamen quoties eodem in cubiculo. Et mihi quidem videbar multo magis quando in eodem cubiculo, aliquid te dicentem intuebar, quàm cùm alio essem auersus. Sed longè magis proficiebam, cùm apud te sedens, te tangebam. Nunc autem omnis habitus ille defluxit. Est igitur, ô Theages, huiusmodi nostra consuetudo. Si enim Deo gratum est, permultum quidem & breui proficies : sin contrà, minimè. Vide igitur ne tibi tutius sit ab aliquo illorum eruditi, quibus in sua potestate sita est vtilitas qua cæteris prosunt, quàm à me fortuna quadam id assequi. THE. Mihi quidem sic faciendum, Socrates, videtur, vt consuetudine nostra de dæmonio intelligamus. Quod si nobis annuerit, rectè omnia: sin minus, quid agendum sit consultabimus tum, alterine cuipiam adhæreamus, an hoc diuinum quod tibi insitum est, precibus & sacrificiis

sacrificiis & alio quouis denique pacto, quo vates iubent, placare conemur. DEM. Nihil ad hæc, ô Socrates, huic adolescenti repugnes: bene enim dicit Theages. SOC. Atqui si videtur oportere sic agere, sic agamus.

MENO, VEL, DE VIRTVTE.

Marsilij Ficini argumentum.

QVATVOR esse argumentationum genera, quibus Plato vtitur: exemplum, inductionem, ratiocinationem, & enthymema, & quo pacto fiant, satis in Alcinoi compendio, quod & nos traduximus, declaratur. Vbi etiam [a] tres Platonicorum dialogorum species inuenimus, & quibus argumentationibus in vnaquaque dialogi specie vti soleat. Aut enim solum inquirit, falsáve confutat dialogus, aut solum vera exponit ac docet, aut in vtroque versatur. Primus Inquisitiuus, & contentiosus. Expositiuus alter, postremus mixtus est dictus. Meno autē licet mixtus sit, maiori tamen ex parte contendit & confutat, & omnes argumentationes attingit. Vt nisi qui ex aliis Platonis dialogis, qui ad expositionem magis, quàm ad disceptationem pertinent, seria colligat, & Menoni huic adiciat, difficile summam disputationis huius elicere possit. Est autem hæc, quid virtus sit, & quomodo nobis adsit, inquirere. Id Socrates efficit, dum quatuor Menonis, Aristippi, Gorgiæ, & Prodici de virtute definitiones confutat, & [b] definitionem suam post illas inductam geminis obiectionibus retractat. Veritas quippe ex redargutione falsitatis elucet. Est [b] autem hominis virtus, affectio

[a] Tres dialogorū Platonis species.

[b] Quomodo definiatur virtus hominis.

siue habitus animæ, quo potẽtia naturalis eius, quàm optimè suum opus exercet. quæ definitio in libris de Republica traditur. Opus cuiusque potentiæ tunc optimè exercetur, cùm ad finẽ suum dirigitur. Quod ad finem confert, utile dicitur. Meritò igitur in hac disputatione, commune virtutis officium id esse traditur, vt & actiones & ea quibus agendo vtimur, vtilia reddat. Illa itaque definitio huic dialogo cõsonat, cunctisq; virtutibus est communis. Virtutum profectò species plures sunt, pro viriũ animæ & actuũ diuersitate, in quibus vna tamen quæ dicta est communis virtutis ratio, semper inspicitur. [a] *Prima vis animæ mens est, cuius actus est perpetua contemplatio veritatis. Secunda ratio: cuius actus veritatis inuestigatio. Tertia phantasia, cuius actus collectio eorum quæ sensus eius nuncijs porrigunt: pérque illa discursus. Atque hæ sunt vires animæ, quæ cognitiuæ dicuntur. Restant tres aliæ,* [b] *quas appetitiuas vocant: Voluntas, & irascendi vis & concupiscendi: Voluntatis actus, appetere quæ mens & ratio porrigit. Irascibilis, aggredi quæ ratio & phantasia proponit. Concupiscibilis actus, adscíscere quæ phantasia sensúq; obiiciunt. Sex insuper istis duæ subiiciũtur, mouendi & nutriendi vigor: sed hæ cũ superioribus, aut nihil, aut vix, & parum admodũ in virtute cõmunicant.* [c] *Affectio mentis quæ contemplationem perficit, sapientia est: quæ rationis indaginem, scientia atque prudentia. Scientia quidem indagationem eorum quæ natura facit, prudentia consultationem in iis quæ nos agimus. Quæ phantasiæ discursum, opinio recta, quam sagacitatem quidam vocant. Iustitia voluntatem & liberalitas. Irascibilem fortitudo eiúsque pedissequa. Concupiscibilem continentia simul & temperantia. His omnibus id est commune, vt quælibet earum sit affectio actum potentiæ naturalis perficiens, dum decorum reddit, & vtilem ad finem*

a *Vires animæ cognitiuæ.*

Vires appetituæ.

c *Quã quæque virtus facultatem animi perficiat.*

finem vltimum consequendum: [a] Variæ verò virtutes diuerso modo habentur. Sapientia quidem natura: est enim æterna rationum omnium in mente complexio, perpetuúsque veritatis intuitus. Scientia per doctrinam philosophiæ quæ reminiscentiam præstat, acquiritur, dum ratio quæ pennas olim abiecit, ad mentem conuersa reminiscendo iterum alas recuperat. Prudentia doctrina simul & longo vsu rerum aduenit. Recta opinio exemplis, auctoritate, inductione, sorte, iustitia fortitudóque & temperantia, cæteræq; morales virtutes prudentiæ rectæq; opinionis legibus & exercitatione legitima perficiuntur. Vnde duo hæc moralium virtutum principia Plato posuit, prudentiam & rectam opinionem. Quamobrem prudentia sæpenumero totius moralis virtutis apud Platonem nomen vsurpat. Est & virtus quædam ad rectam opinionem attinens, qua legitimi principes ac ciues, in agendo honesti, contemplationis tamen expertes bonum publicum curant, quam ciuilem peritiam nominant. Eámque Plato facultatem, & in Theage, & in præsenti Menone, haud aliter, quàm sorte diuina, dari ciuilibus hominibus disputat.

[a] Quæ ratione vnaquæq; virtus acquiratur.

MENO, SOCRATES, PVER, ANYTVS.

POTESNE mihi ostendere Socrates doceri virtus possit, nécne, an exercitatione potius acquiratur? Aut num fortasse nec doctrina, nec vsu hominibus cõparetur, sed ipsa natura, vel alio quopiam modo hominibus insit? SOC. Hactenus ô Meno, Thessalici homines inter Græcos illustres, tum equestri facultate, tum etiam diuitiis habiti sunt;

nunc autem, vt mihi videtur, sapientiæ nomine: ac nihilo etiam minus amici tui Aristippi Lariſſæi conciues. Atque eius quidem rei autor vobis Gorgias extitit, qui in vrbē veſtram profectus amicos ſibi ob ſapientiam comparauit cùm Theſſalorum, tum maximè Alcuadarum primos, ex quibus amicus tuus Ariſtippus originem ducit. Quamobrem ſic vos Gorgias aſſuefecit, vt intrepidè & alto animo interrogantibus reſpondeatis, quemadmodum ſcientes decet. quippe & ipſe concedebat [a]Græcorum cuique rogare quicquid quiſque vellet, ac nemini non reſpondebat. Nobis verò, ô amice Meno, contrarium contigit: ſiquidem ſapientia noſtra quodammodo iam exaruit, atque ex his locis ad vos abiiſſe videtur. Itaque ſi quem noſtrorum hominum hoc pacto perconteris, nemo erit qui non rideat ac dicat: O hoſpes, fortè tibi beatus quidam videor, ac noſſe vtrum doctrina, an alia quadam ratione virtus hominibus comparetur. Ego verò vſque adeo ab hac cognitione abſum, vt planè nec quid ipſa ſit virtus intelligam. atqui ipſe quoque ô Meno, ſic affectus ſum: in eadem quippe paupertate animi qua & conciues mei, verſor ac meipſum ſæpe accuſo, vtpote quid ſit virtus penitus ignorans. Cùm verò quid ſit neſciam, quonam pacto qualis ſit norim? Num tibi fieri poſſe videtur, vt qui nullo modo quis Meno ſit, norit, vtrum bonus, diues: generoſus, an contrà ſit, norit? ME. Mihi quidem nequaquam. At verò ipſe reuera, ô Socrates, quid ſit virtus ignoras? Iſta de te domi renunciabimus? SOC. Non id quæſo ſolum Meno domi dices, verum etiam quòd nullum vnquam, vt mihi quidem vide-

[a] *Gorgiæ audax in diſputãdi ſcientia ſibi attribuenda, iactantia.*

videtur, qui id sciret nactus sim. ME. Nunquámne igitur Gorgiam cùm hîc commoraretur conuenisti? SOC. Equidem. ME. An hæc ignorare tibi visus est? SOC. Haud satis, ô Meno, memini: ideóque quid tum mihi visum fuerit, in præsentia referre nequeo. Sed fortè & ille nouit, & tu quid ille docuerit, tenes: refer mihi eorum quæ dicebat memoriâ: aut si minus id placet, tute ipse declara. Nam tibi forsitan cum illo conuenit. ME. Conuenit equidem. SOC. Eum igitur cum absit, omittamus: ipse verò, ô Meno, dic per deos obsecro, quid esse virtutem existimes: dic inquam, nec inuideas, vt fortunati cuiusdam mendacij redarguar: siquidē tu & Gorgias id nosse videamini: ego verò nemini vnquam hoc sciēti occurrisse dicam. ME. At, ô Socrates, nequaquam difficile est id dicere: & primò quidē si lubet, quæ viri sit virtus. Hæc planè est, ad ciuilium rerum administrationem sufficientem esse, iisque tractandis amicos iuuare, inimicos lædere, necnon diligenter cauere ne quid ipse tale aliquando patiatur. Quòd si vlterius quæ sit mulieris virtus nosse requiris, neq; id arduū erit. Est enim mulieris virtus, domū rectè gubernare, dū curat domestica, viróq; obedit. Alia quoque virtus est pueri fœminæq; & masculi, & viri iā ætate grauis: necnon liberi, si velis, alia, & alia item si velis, serui. Atque aliæ permultę virtutes sunt. Quāobrem haud deest, quid de virtute dicamus. Enimuerò in vnaquaq; actione atq; ætate ad vnūquodque opus singulis hominibus virtus adest. Totidē præterea & de vitio, ô Socrates, vt arbitror, dici possent. SOC. Non parū mihi videor fortunatus, ô Meno: siquidē vnā virtutē inuestigans,

examen quoddã virtutum apud te habitãtium reperi. Veruntamen, ô Meno, si eadẽ examinis similitudine percontãti mihi, quę sit apis substantia, multiplices ipsas esse respondisses, ego verò iterum te rogem, nunquid eas multas, & varias, interséque differẽtes eos esse dicis, quo apes sunt, an alio quopiã, veluti pulchritudine, vel magnitudine, aut alio quopiam, quid inquam, sic interrogãti potissimum respondere? ME. Quòd eo quòd apes sunt, minimè inter se differunt. SOC. Et si ego post hæc rogem, quid ergo est, ô Meno, quo nihil inter se differunt, sed idẽ sunt cũctæ? habes quod respondeas? ME. Habeo profectò. SOC. Eadem itaque ratione virtutes quanquam multæ atq; varię sunt, vnam tamẽ speciẽ quandã & formam in omnibus eandẽ habent qua virtutes existunt, in quã respicere decet eum qui respõsurus sit interrogãti cuiquã quid virtus sit. Tenes quid dicam? ME. intelligere videor, nõdum tamen, vt vellem, quod quæris planè comprehendo. SOC. Vtrum verò circa virtutem id solum, ô Meno, tibi videtur, aliam quidem viri esse, aliam mulieris, & aliam reliquorum, an etiam circa sanitatem magnitudinẽmque, & robur eõdem modo, vt alia quidem viri sanitas sit, mulieris alia? an potius eadem vbique sanitatis species est, si quidem sanitas sit, seu viro, siue mulieri, siue alteri cuicunque adsit? MEN. Eadem mihi sanitas & viri simul & mulieris esse videtur. SOC. Nónne igitur si quidem robusta sit fœmina, eadẽ specie roboris robusta erit? Cùm enim eadem dico, nihil differt, quã robur, vt robur sit, seu viro, seu mulieri insit, num tibi differre quicquã videtur? ME. Minimè. SO. Ergo & virtus, vt virtus sit, in-

terésne aliquid, iuuenem, an senem, an virum, an fœminã ornet? ME. Mihi quidẽ, ô Socrates, hoc cæterorũ simile nequaquam esse videtur. SOC. Nónne viri virtutem esse dixisti, rectè Rempublicam gubernare? mulieris verò domum? ME. Dixi equidem. SOC. An potest quisquam ciuitatem, vel domum, aut aliquid aliud rectè disponere, nisi temperatè ac iustè disponat? ME. Non certè. SOC. Nónne si temperatè iustéque instituunt, temperantia iustitiáque instituent? ME. Necesse est. SOC. Vtrisque igitur tam vir, quàm mulier indiget, si boni futuri sint, temperantia scilicet atque iustitia. MEN. Apparet. SOC. Quid verò puer ac senex quatenus intemperati & iniusti sunt, num boni fient? ME. Nequaquam soc. At dum temperati & iusti. ME. Ita. SOC. Vniuersi igitur homines eadem ratione boni fiunt: nam eorundẽ participatione boni semper efficiuntur. MEN. Videtur. SOC. Nunquam eadem ratione boni sint, ni illorum virtus sit eadem? ME. Nunquam. SOC. Quoniam ergo eadem virtus est omnium, conare in memoriam reducere, quídnam hoc esse Gorgias dixerit, ac tu vna consenseris. ME. Quidnam aliud quàm præesse hominibus posse? si quidẽ vnũ quoddam cõmune genus inuestigas. SOC. Requiro equidẽ, attamen eadémne pueri & serui virtus erit, ô Meno, præesse posse domino, ac videtur tibi etiã tum seruus esse, cùm imperat? MEN. Haud certè mihi videtur, ô Socrates. soc. Neq; enim isthuc optimè vir, fas esset: sed hoc rursus considera vtrũ dominari posse aliquẽ putas, si iustè præesse dicamus: iniustè verò nequaquã. ME. Puto equidẽ. iustitia enim virtus est. SOC. Vtrũ virtus, ô Meno, an virtus quędã?

MEN. Quo pacto id ais? SOC. Quemadmodum de quouis alio. vt ecce de rotunditate figuram quandam esse dicerem, non simpliciter figuram, ob eam sanè causam ita loquerer, quia alię quoque figuræ præter rotunditatem sunt. MEN. Rectè inquis. Atqui & ipse non iustitiam tantùm, verum alias quoque virtutes esse dico. SOC. At quas dicis alias, explica obsecro. Equidem si me de aliis figuris interrogasses, vtique respondissem: itaque tu quæ sint aliæ virtutes, ostende. ME. Fortitudo igitur mihi videtur esse virtus, temperantia, sapientia, magnificentia, cæteræq; permultæ. SOC. In idē recidimus. Multas rursum virtutes, dū quærimus vnam, inueniemus, sed alio pacto: vnā verò quę per omnes diffunditur, reperire nequimus. ME. Nondū queo, ô Socrates, quod quæris, vnam in omnibus virtutem quēadmodum in cæteris assequi. SOC. Non ab re quidem: at ego si modò potuero, perducere nos conabor. Vidésne sic in cunctis contingere, si quis à te petat idem quod modò dicebā, quid figura sit, ac tu quòd sit rotunditas responderes: & ille tibi quæ & ego inferret, vtrùm rotunditas sit figura, an figura quædam, an nō illi diceres figuram quandam esse? ME. Prorsus. SOC. Nónne ob id quòd aliæ quoque figuræ sunt? ME. Ita. SOC. Quòd si quales illæ sint quærat, euestigiò respōdebis? ME. Equidē. SOC. Quinetiā si de colore similiter quid sit quærat, & tu quòd albedo sit dicas, ac ille sic deinde roget, vtrū albedo color sit, an color quidā, inferrésne colorem quendā ob hoc esse, quòd alij quoque colores reperiantur? ME. Maximè. SOC. Si iterū colores cæteros referre iusserit, narrabis vtiq; & alios multos, qui nihilominus quàm albedo colo-

colores sint? ME. Narrabo. SOC. Quid si ille sic, vt ego nunc, sermone progrediatur, dicátque quòd in multa semper recidamus, quod ille fieri nequaquã permittat: cúmq; hæc multa vno nomine nuncupes, dicásque omnia figuram esse, inter se contraria sint licet: hoc autem quod non minus rotundum contineat quàm rectũ, quam quidem figuram nominas, & nihilo magis rotundum quàm rectum figuram esse tu dicis an sic dicis? MEN. Sic plane. SOC. Cùm ita dicas, inquam, nunquid rotundum magis rotundum, quàm rectum, aut rectum magis rectum, quàm rotũdum esse dicis? ME. Non certè, ô Socrates. SOC. Vetuntamen asseris rotundum nihil magis figuram esse, quàm rectum, neque rectum magis quàm rotundum. MEN. Vera narras. SOC. Quid igitur sit, cui figuræ nomen competit, declarare enitere. Si itaque sic percontati de figura siue colore, te nequaquam intelligere quid ipse velit, respondeas, vehementer admiretur arbitror, ac dicat, an non intelligis, quod in iis omnibus idem quæro? Non habeas, ô Meno, quod dicas, si quis quærat quid in rotundo sit ac recto, & cæteris quas figuras appellas, in omnibus idem? Explica quæso, vt hoc pacto ad disputationem virtutis te pares. MEN. Nequaquam, sed ipse, ô Socrates, ediſſere. SOC. Vísne tibi gratificer? ME. Omnino. SOC. Vis tu contrà virtutis quæstionem deinde soluére? ME. Equidem. SOC. Expediendum iam est, decet enim. MEN. Et maximè quidem. SOC. Age experiamur quid figura sit exprimere, & vide vtrum istud admittas. Esto itaque id nobis figura, quod solum ex omnibus semper colorẽ sequitur. Satísne tibi hoc est, an fortè aliud exigis? Ego enim

sat habeam, si mihi posthac virtutem ipsam ostendas. ME. At istud absurdum quiddam est, ô Socraces. SOC. Quamobrem? ME. Quoniam figura secundum rationem tuam est, quæ semper colorem sequitur. Si ergo colorem quis nosse negaret, eodem modo quo circa figuram dubitans, quid illi potissimum responderes? SOC. Vera equidem. Nam si qui roget sapientum illorum & contentiosorum ac litigátium aliquis sit, respondeam vtique me dixisse: quòd si minùs rectè dixi, ad te nunc attinet respondere, ac mea dicta refutare. Sin autem quemadmodum nos sumus, illi amici sint, velitque tãtùm disputare, decet profectò mitius, & magis dialectico more respondere. est [a] autem fortasse dialecticum magis, non modò verum proferre, sed iis illud rationibus approbare, quas & ille qui rogat, planè se nosse fateatur. Hoc itaque more nunc tecum disserendo uti conabor. Dic ergo, num finem appellas terminum quendam, atque extremum? Hæc enim omnia velut idē profero: fortè verò Prodicus iis tanquam differentibus uteretur. Tu autem nunc dicis terminari aliquid atque finiri? nihil quippe diuersum iis verbis intelligo. ME. Dico sanè, & quod ais, intelligere arbitror. SOC. Et planum aliquid vocas, & solidum aliud, cuiusmodi quę in geometria tractantur? MEN. Voco equidem. SOC. Iam igitur quid figuram esse dicã, ex iis percipies: in omni quippe figura id asserto, figuram esse id in quod solidum desinit. Atque, vt summatim dicam, [b] figuram appello solidi terminum. ME. Colorem verò quid vocas, ô Socrates? SOC. Haud æquum facis, ô Meno: homini iam seni onus imponis respondendi tibi: ipse autem memor

[a] *Dialecticum est, ex notis & concessis ab eo qui cum disputat quod dubium est, probare.*

[b] *Figuræ definitio.*

memor quid Gorgias virtutem esse dixerit, definire minimè vis. MEN. At postquàm tu mihi hoc declaraueris, ô Socrates, tibi illud referam. SOC. Etiam absconditus hîc aliquis, & loquentem tãtummodo te audiens, intelligat, pulchrum esse te & amatoribus non carentem. ME. Quid ita? SOC. Quòd nihil quàm cõtinuo in sermone imperitas, quod facere delicati isti & formæ fiducia adhuc tyrannidem exercentes solent. Simul ita de me statuis forsitan, [quòd ego capi soleã forma & me quasi captiuum dedere formosis:] gratificabor itaque tibi, & respondebo. ME. Gratificare obsecro. SOC. Visne tibi secundum Gorgiã respondeam? sic maximè assentieris? ME. Quidni velim? SOC. Nónne defluxus quidam secundum Empedoclẽ à rebus manare dicuntur? ME. Et maximè quidẽ. SOC. Ac pori, id est, meatus in quos & per quos etiã defluxus huiusmodi manant? ME. Omnino. SOC. Ex defluxibus autem quosdã poris quibusdam congruere, quosdam minores, aut maiores esse? ME. Sic est. SOC. Nũquid & visum aliquid vocas? ME. Voco. SOC. Ex iis iam quid velim, vt ait Pindarus, accipe. Est enim [a] color defluxus quidã figurarũ, visui congruens atque sensibilis. ME. Optimè mihi, ô Socrates, respondisse videris. SOC. Fortè quia quæ solitus es audire, nunc respõsum est tibi, & simul aduertis, quòd ex hac respõsione facilè etiã definire queas, quid vox, quid odor sit, cæteráque huiusmodi plurima. ME. Prorsus. SOC. [b] Atqui tragica, ô Meno, ista respõsio est: ideoq; tibi magis quàm figurę definitio placet. ME. Mihi verò. SOC. At mihi quidẽ, ô Alexidemi fili, minimè persuadeo: est enim illa altera melior, ac puto neq; tibi ista placebit, nisi for

[a] *Coloris definitio.*

[b] *Coloris definitio modo allata vt vocabulis tragicis, & minimè propriis concepta Socrati minus probatur.*

ſan quod heri dicebas, abeundũ tibi eſt ad myſteria: ſed mane, atque hîc myſteriis initiare. ME. Manerem ô Socrates, ſi huiuſmodi multa diceres. SOC. Nihil vtique prætermittam, quin talia quædam & tui ſimul & mei gratia dicã. Vereor tamen ne minus poſſim huiuſmodi plurima dicere. Cæterùm iam ad promiſſa ſeruãda nobis accingere, ac in commune quid virtus ſit, exprime [& deſine multa ex vno facere, (quod dici ſolet in eos, qui vnam & eandem rem ſubinde terunt & tractant) quin ſanam & integrã virtutem relinquens, dic tandẽ quid ipſa ſit:] ſed integrã atque ſanã: dic tandẽ quid virtus ſit. exẽpla verò loquendi à me accepiſti. ME. Videtur mihi, ô Socrates, a virtus eſſe, vt Poeta inquit, gaudere honeſtis ac poſſe. Atque ego id ipſum virtutẽ voco, honeſta quidẽ appetere, eaq; cõſequi poſſe. SOC. Num honeſta cupiẽtẽ, bona cupere dicis? ME. Omnino. SOC. Nunquid ita loqueris, quaſi ſint, nónnulli qui bona cupiant, quidam verò qui mala? ME. Imò. SOC. Non omnes igitur, ô optime vir, bona tibi appetere videntur? ME. Mihi nequaquam. SOC. b Quidã itaque mala? ME. Ita. SOC. An ita dicis, quaſi quæ mala ſint, bona eſſe opinentur, aut ctiã noſcentes quòd mala ſint, nihilominus illa cupiãt? ME. Vtrunq; aio. SOC. An cẽſes aliquẽ cognoſcentẽ mala quòd mala ſint, illa tamen appetere? ME. Arbitror. SOC. Quid autem exoptare hunc dicis? Num, hæc ſibi adeſſe? MEN. Adeſſe ſanè. nam quid aliud opter? SOC. Vtrùm qui mala deſiderat, mala eſſe cognoſcens, prodeſſe cum adſint, exiſtimant? an vnumquodque potius ſua præſentia lædere? ME. Sũt certè, qui mala prodeſſe putẽt, nec deſunt qui obeſſe cognoſcant.

a *Virtutis alia definitio à Menone allata & ſtatim refutata à Socrate.*

b *Nemo malum, vt malum appetit.*

SOC.

SOCR. Videntur tibi mala nosse quòd mala sint, qui mala prodesse cuiquam opinantur? ME. Haud sanè id mihi videtur. SOCR. Ex iis igitur patet eos non appetere mala, qui illa minimè norint, sed illa potius quæ bona esse putauerint, cùm tamen mala sint. Quapropter ignorantes illa, bonáque existimantes perspicuum est bona potius exoptare. An non? ME. Sic isti se habere videntur. SOCR. At verò qui mala quidem affectant, vt ipse inquis: eáque cuicunque accidunt, obesse censent: nonne ea quòd illorum præsentia damno afficientur? ME. Necessariò sequitur. SOCR. Quid verò damno affectos homines, nónne isti miseros esse quatenus damno affecti sunt, opinantur? ME. Hoc quoque necessarium. SOCR. Miseros autem nónne infelices? ME. Reor equidem. Estne aliquis qui miser & infelix esse velit? ME. Non videtur. SOCR. Nemo igitur mala vult, si quidem talis esse minimè velit. Nam quid aliud est esse miserum, quàm cupere mala in eáque incurrere? ME. Vera loqui videris ô Socrates: nemo enim vult mala. SOC. Nónne paulò ante dixisti virtutem esse bona velle, ac posse? ME. Dixi equidem. SOCR. An non ex eo quod dictum est, voluntas quidem ipsa omnibus adest, atque hac ratione alius alio melior non est? ME. Apparet. SOCR. Ergo si quidem est alius alio melior, nec id secundum voluntatem, sequitur vt secundum potentiam fit melior. ME. Sequitur. SOCR. Secundum igitur rationem tuam, [b] hoc est virtus, bonorũ comparandorum potestas. ME. Sic prorsus se habere videtur, vt nunc accipis. SOCR. Animaduertamus posthac, vtrum id verè asseras nécne. fortè enim bene loqueris. Dic igi-

[a] *Virtus non est bona velle.*

[b] *Alia virtutis definitio ex superioris refutatione nata: quæ & ipsa quoque statim refutatur.*

Virtutis bona non est hæc definitio. Bona adipisci posse.

tur a bona adipisci posse, virtutem esse dicis? MEN. Istuc ipsum. SOCR. Bona verò nónne hæc vocas, ceu sanitatem, diuitias aurúmque & argentum plurimum possidere, honoribus præterea & magistratibus in Republ. fungi? num alia quædam præter ista bona nuncupas? ME. Nequaquam, sed omnia bona huiusmodi esse dico. SOCR. Eia, aurum atque argentum acquirere virtus est, vt inquit Meno, magni regis patrius hospes. Vtrum verò addis huic lucro ô Meno, iustè ac sanctè lucrari? an nihil interest, sed etsi iniustè quis ista possidet, nihilominus quæstum huiusmodi virtutem vocas? ME. Nequaquam ô Socrates, sed vitium. SOCR. Omnino igitur, vt videtur, huic acquisitioni, iustitiæ, vel temperantiæ, vel sanitatis, aut alterius virtutis præsentia opus est. Alioquin virtus minimè erit, quamuis bona sibi vendicet. ME. Quî enim sine iis virtus existat? SOCR. [Atqui non comparare aurum & argentum, quando minimè iustum sit, aut sibi, aut alteri, nónne etiam virtus est hæc inopia?] ME. Videtur. SOCR. Nihilo magis igitur horum bonorum copia virtus erit, quàm inopia. Verùm vt videtur, quodcunque cum iustitia fit, virtus est: quod autem absque illa eiúsque similibus, prauitas. ME. Videtur mihi necessarium esse quod dicis. SOCR. Nónne vnumquodque horum paulò antè virtutis partem esse diximus, iustitiam & temperantiam, cæteráque huiusmodi? ME. Diximus planè. SOCR. Siccine, ô Meno, me deludis? ME. Quorsum hæc ô Socrates? SOCR. Quoniam cum orassem ne amplius virtutem conscinderes, néue discerperes, & exempla respondendi dedissem, hoc neglecto virtutem esse dicis,

bona

bona cum iustitia comparare posse, iustitiam verò virtutis partem esse confessus es. MEN. Sic est. SOCR. Nónne efficitur ex iis quæ iam concessisti, virtutem esse agere cum parte virtutis, quicquid agitur? Iustitiam enim & huiusmodi singula virtutis particulas confiteris. ME. Quid tum? SOCR. Quia cum rogassem vt totam ipsam virtutem ostenderes, quid ipsa sit, nullo modo explicuisti: omnem verò actionem quæcunque cum parte virtutis sit, virtutem esse dixisti, quasi quid tota virtus sit, dixeris atque ipse intelligere tum quoam, si abs te in particulas diuidatur. Eadem igitur quæstio rursus, ô Meno, tibi suboritur, quid virtus sit, si quidem omnis actio cum virtutis parte sit virtus. Id namque tunc dicitur, cùm omnis actio cum iustitia virtus esse definitur. An non eadem iterum quæstione opus esse vides? Num putas quempiam virtutis partem aliquam nosse, qui totius naturam minimè norit. ME. Non videtur. SOCR. Si enim memineris quæ in superioribus de figura tibi responsa sunt, reiecimus vtique responsionem illam quæ per ea fit quibus vlteriori probatione opus est, necdum pro confessis habentur. ME. Et meritò quidem reiecimus. SOCR. Neque tu igitur ô vir optime, quum quæritur, quid ipsa in vniuersum, ac tota sit virtus, [existimato, quum de parte ipsius responderis cuiuis declarasse quid illa sit, aut similiter quidpiam aliud, quum eodem modo ipsum definieris: sed potius eiusdem interrogationis obortura necessitatem: Quid existente virtute dicis quæ dicis?] Num aliquid tibi dicere videor? MEN. Mihi quidem probè loqui videris. SOCR. Responde itaque iterum à principio, quid esse

a *Ad quæsi-ta nõ est respondendum nisi per ea quæ sunt probata & in confesso.*

virtutem & tu & amicus ille tuus asseritis.

Socrates in dubitationē coniicere solitus eos quibus cū disputabat.

ME. Audieram equidem ô Socrates, antequam te alloquerer, morem esse tuum nihil aliud quàm dubitare, & aliis scrupulos dubitationum iniicere. Et nunc quidem, vt mihi videris, me præstigiis, & veneficiis incantationibúsque perturbas, adeò vt ambiguitatis sim plenus. Ac mihi videris omnino, si tamen te iocando mordere aliquantulum decet, quàm similimus esse tum forma, tum cæteris omnibus latissimo illi pisci marino qui Torpedo dicitur: ille siquidem hominem sibi propinquãtem, tangentémque stupidum reddit. Tu quoque nunc tale aliquid feciss videris, vt me stupefacias. Reuera enim & animum simul & os stupidum habeo, hæsitóque, nec quid tibi respondeam inuenio, quanquam decies millies iam de virtute & multa & aduersus quãplurimos, vt mihi visus sum quàm optimè disputaui. At in præsentia nec etiam quid ipsa sit virtus proferre vllo pacto valeo. Itaque cautè tibi consuluisse te censeo, quòd nunquam alio peregrinaris. Nam si aduena in aliena vrbe hæc ageres, vtpote præstigiator quidam atque veneficus, supplicio forsitan afficerêris. SO. Callidus es, ô Meno, ac me prope modum nunc decepisti. ME. Quamobrem, ô Socrates? SOCR. Video enim iam quam ob causam hac imagine me depingas. ME. Quid fuisse causæ arbitraris? SOC. Vt ipse quoque te contrà depingam? Viri enim [formosi] eum effinguntur, delectari solent: illud quippe conducit. formosorum enim pulchræ sunt imagines. At ego [minimè parem referens, vicissim te assimilabo vlli tei.] Equidem si pisces ille stupidus ipse alios reddit stupidos, ei sum persimilis,

Torpedo.

similis, secus autem minimè. Neque enim expeditus ipse, cæteros dubitare cogo, sed maximè omnium dubitans ego, dubitare alios quoque facio. Etenim in præsentia, quid virtus sit, haud certè noui: tu tamen fortè priusquã mihi occurreres, noueras: nunc verò ignoranti mihi similis euasisti. Veruntamen vnà tecũ rem discutere hanc institui, quídue sit virtus inuestigare. ME. At[a] quo tramite id inuestigabis ô Socrates, quod quidem omnino quid sit ignoras? Quale enim tibi proponens, id quod ignoras inquireres? Aut etiam si in illud incidas, quonam signo id quod ignoraueras, esse illud agnosces? SOC. Intelligo quid velis, ô Meno. At tu animaduertísne, quàm litigiosam argumentationem in medium adduxisti? quòd videlicet homo, neque quod nouit, neq; quod ignorat, potest inquirere. Nam si noscit, nulla inquisitione opus est. Sed neque quod nescit inuestigabit: non enim nouit quid quærat. ME. Nónne rectè induci, ô Socrates, hanc rationem existimas? SOCR. Nequaquam. ME. Potes dicere cur tibi non placeat? SOCR. Possum. [b] Id enim à viris ac mulieribus diuinarũ rerum peritis quandoque percepi. ME. Quis istorum sermo? SOCR. Verus, vt mihi videtur, atque præclarus. ME. Quis inquam iste? & quinam testantur? SOCR. Qui hoc asserunt sancti viri sunt, ac sanctæ etiam mulieres, quibuscũque cura extitit, vt eorum quæ profitentur rationem reddere possent. Tradit præterea Pindarus, & cæteri quicunque Poetarum diuini sunt, talia quædam: quæ aduerte quæso, num vera tibi videantur. Ferunt enim hominis animum immortalem esse, cúmque tum decedere quod quidem mori vocant, tum iterum

[a] *Sophisma quo probatur nec incognitarũ, nec cognitarum rerum scientiam acquiri posse.*

[b] *Animorũ immortalitas asseritur*

redire, interire verò nunquam. Quam ob causam vitam quàm sanctissimè agere monent. Quicunque enim pœnas antiquę miserię Proserpinæ iam dederunt, iis illa ad supernum solem nono anno rursus animam reddit, quousque in reges gloria, sagacitate, sapientiáque præstantes euadant Reliquum autem tempus sancti heroes inter homines vocantur. Cùm ergo animus immortalis sit, ac sæpius in hanc vitam redierit, viderítque persæpe & quæ in hac, & quæ in alia vita sunt, omniáque perceperit, nihil vtique restat quin ipse didicerit. Quamobrem nihil mirum est, si eorum quæ ad virtutem & ad alia pertinent, reminisci possit: quippe cùm illa cognouerit. Cùm enim tota natura cognata sit, ac sibimet consona, & animus cuncta didicerit, nihil prohibet hominem vnius cuiusdam reminiscétem, [quod homines vocant discere,] reliqua omnia recuperare, si quis adeò constans sit, vt quærendo minimè fatigetur. Quærere igitur ac discere, reminiscentia est. Quapropter litigiosæ illi argumentationi nequaquam credere decet: pigros enim nos quodammodo redderet. Ea quoque mollioribus hominibus mirificè placet. Ratio autem nostra solertes rerum inuestigatores effecit, qua ipse vtpote vera fretus, vnà tecum quid sit virtus perscrutari desidero. ME. Imò, ô Socrates, sed num absolutè id affleris, nos minimè discere? quam verò disciplinam vocamus, eam reminiscentiam esse? Potésne hoc ita esse me docere? SO. In superioribus quoque, ô Meno te callidum esse dixi, & nunc rogas vtrùm docere te possim, cùm antè nullam esse disciplinam, sed reminiscentiam asseruerim, vt cuestigiò mihi

a nostrũ scire nihil aliud est quã reminisci.

ipsũ

ipsi repugnare videar. ME. Per Iouem, ô Socrates, non hoc instituebam, sed cõsuetudine potius quadam ita locutus sum. Quòd si qua ratione illud mihi ostendere potes, ostende obsecro. SOCR. Haud quaquam facile est, tui tamen gratia conabor. a Verum huc ad me vnum aliquem quem voles ex multis qui te sequuntur, accerse, vt in eo experiamur. ME. Libenter. Heus tu, huc ades. SOCR. Græcúsne est? & Græcè loquitur? ME. Et Græcus est, & in domo mea genitus atque educatus. SO. Attende igitur num illi in memoriam reducam, an do ceam. ME. Attendam certè. SOCR. Dic age, ô puer, cognoscísne hoc tale spatium quadrangulum esse? PV. Equidem. SOC. Habétne quadrangulus has omnes quatuor lineas æquales? PV. Habet. SO. An non & istas quæ per mediũ protrahuntur, æquales habet? PV. Et istas. SO. Nónne hoc spatium &, maius & minus esse potest? PV. Potest. SOCR. Si ergo sit hoc latus duorum pedum, & istud quoque duorũ, quot pedum totum ipsum erit? Sic autem considera, si latus hoc duorũ esset pedũ, illud verò vnius, essétne plusquã semel duorum pedum hoc spatium? PV. Semel. SOCR. Quoniam verò alterum quoque latus duorum pedum est, num aliud quàm bis duorum pedum sit? PVER. Isthuc ipsum. SOCR. Duorum ergo bis pedum efficitur. PV. Ita. SOCR. Quótnam sunt bis duo pedes? computa. PV. Quatuor. SOCR. An non fieri potest spatium aliud ad hoc duplum, habens similiter omnes æquales lineas quemadmodum istud habere vides? PV. Prorsus. SOCR. Quot pedum erit? PV. Octo. SOCR. Age iam conare mihi dicere, qualis est quælibet illius linea: huius siquidem

a *Proximè posita thesis probatur.*

duorum pedum, linea verò illius dupli, qualis? PV. Patet, ô Socrates, esse duplam. SOCR. Cernis, ô Meno, me nihil ex his docere, sed singula potius interrogare? Et nunc iste nosse se putat, qualis ea sit à qua spatium octo pedum conficitur. An non tibi videtur? ME. Mihi quidem. SOCR. Nouit igitur. ME. Minimè. SOCR. Putat autem à dupla. ME. Ita. SOCR. Aspice deinceps hunc per ordinem vt oportet reminiscentem. Tu autem dic, amabo, à dupla linea duplum spatium nasci fateris? tale profectò dico, quod non hac longum, illa breue, sed æquale vndique quemadmodum istud: duplum verò istius, octo pedum. sed inspice an tibi adhuc à dupla fieri videatur. PV. Mihi planè. SOCR. Nónne huius dupla hæc fit, si aliam æqualem huic adiiciamus? PV. Prorsus. SO. Ab hac fore dicis octo pedum spatium, si quidem quatuor huic æquales efficiantur? PV. Aio. SO. Describamus iterum igitur ab hac æquales quatuor, aliúdne quàm quod octo pedum vocas, suborietur? PV. Hoc ipsum. SOC. Nónne in ipso sunt hæc quatuor, quorum quodlibet isti quadrupedali æquale est? PV. Certè. SOC. Quantum itaque fit? an non quater tantùm? PV. Quidni? SOC. Nunc duplum est id quod quater tantùm? PV. Non per Iouem. SO. At quotuplum? PV. Quadruplum. SO. A dupla ergo, ô Puer, non duplum, sed quadruplum spatium procreatur. PV. Vera loqueris. SO. Quater enim quatuor, sex & decem complent, nónne? PV. Sic est. SO. Octo pedum autem spatium à qua linea? nónne ab hac quadruplum? PV. Fateor. SO. Quartum verò hoc ab hac dimidia? PV. Ita. SO. Age igitur, octo pedum nónne huius duplum est, illius verò dimidium

midium. PV. Imò. SO. An non erit ergo à maiori linea quàm hæc tanta, & à minori quàm illa tanta? PV. Mihi quidem videtur. SO. Sic vtique rectè loqueris: quod enim tibi videtur, id respondeas, ac mihi dicas, hæcne duorum pedum, illa quatuor? PV. Ita. SO. Oportet itaque octo pedum spatij lineam maiorem esse linea spatij bipedalis, minorem verò quadrupedali linea. PV. Oportet. SO. Annitere vt nobis qualis sit dicas. PV. Tripedalis. SO. Nónne si tripedalis est, dimidium huius assumemus, erítque tripedalis? Duo nanque ij, is autem vnus: & hinc eodem modo, duo quidem isti, iste autem vnus: sitque hoc quod ais spatium. PV. Ita. SO. Nónne si hæc trium est, & illa trium, totum vtique spatium ter trium pedum conficitur? PV. Apparet. SO. Ter verò tres, quot pedes sunt? PV. Nouem. SO. Duplum autem quot pedum esse suprà oportuit? PV. Octo. SO. Non ergo à tripedali spatium octo pedum exoritur. PV. Non profecto SO. A quali igitur conare nobis liquido exprimere: quod nisi numerare velis, saltem à quali demonstra. PV. Per louem, ô Socrates, haud noui. SOC. Aduertis iterum, ô Meno, quo sit reminiscendo iam progressus. Nam ab ipso principio disputādi nequaquam nouerat quæ sit octo pedum spatij linea, quemadmodum nec in præsentia nouit: verùm tunc se nosse illam opinabatur, & audacter nimium quasi sciens respondebat, nec deesse sibi quicquam putabat: nunc autem egere se iam existimat, & vt ignorat, sic se ignorare fatetur. ME. Vera dicis. SO. Nónne rectius nunc ad id quod ignorat affectus est? ME. Hoc quoque arbitror. SO. Cùm ergo ambigere ipsum compulerim,

& piſcis illius more torpere ipſum fecerim, num aliquid obfuit? ME. Non, vt mihi videtur. SOC. Operæpretium itaque vt videtur, fecimus ad veritatem inueniendam: nunc enim vtpote ignorantiæ ſuæ conſcius libenter & ſponte perquirat: at tunc ſine controuerſia: & ſæpe, & aduerſus quàm plurimos loqui ſe rectè arbitrabatur, dum ſpatium duplum, duplam longitudine lineam habere oportere profiteretur. ME. Videtur. SO. Num cenſes ipſum vnquam dediſſe operam, vt id vel inueniret, vel diſceret, quod cum ignoraret, noſſe rebatur, priuſquam in hanc ambiguitatem incideret, qua & ſuam ignorantiam deprehendit, & ſcientiam appetere cœpit? MEN. Nequaquam, ô Socrates. SO. Profuit igitur ipſi torpor eiuſmodi. ME. Videtur. SO. Conſidera itaque ex hac ambiguitate, quòd iſte vnà mecum inueſtigans nihil me docente, ſed potius interrogante reperiet. Obſerua obſecro, diligenter, num hunc docere aut ei demonſtrare quicquam videar potius quàm eiuſmodi opiniones per ſingula elicere. Tu enim dic, hócne ſpatium quadrupedale eſt? Intellextin? PV. Equidem. SO. Num & hac aliud æquale iſti apponere licet? PV. Licet. SOCR. Et tertium iſtud vtrique iſtorum æquale? PVER. Et iſtud. SO. Nonne hoc quod in angulo eſt complere licet? PV. Prorſus. SO. Hæc inde æqualia ſpatia quatuor naſcerentur? PV. Ita. SO. Totum igitur hoc quotuplum ad iſtud officitur? PV. Quadruplum. SO. Oportebat autem duplum nobis contingere, num recordaris? PV. Maximè. SO. Nonne hæc linea ab angulo in angulum aliquem porrecta, in duo vtrunque ſpatium diuidit? PV. Ita. SO. Ergo

quatuor

quatuor hæ lineæ æquales fiunt, id ſpatium comprehendentes? PV. Fiunt. SO. Conſidera itaque quale eſt id ſpatium. PV. Haud intelligo. SO. Nónne cùm hæc quatuor ſint, dimidium cuiuſque, linea quæque ſecat intrinſecus? PV. Certè. SO. Quot igitur tanta in hoc ſunt? PV. Quatuor. SOCR. Quot autem in iſto? PV. Duo. SOCR. At quatuor ad duo quotupla ſunt? PV. Dupla. SO. Hoc itaque quot pedum fit? PV. Octo. SO. A qua potiſſimum linea? PV. Ab hac. SO. Ab eáne, quæ quatuor pedum eſt, ab angulo protracta in angulum? PV. Ita. SO. Hanc verò diametrum ſophiſtæ nuncupant: & ſi huic nomen eſt diametrus, à diametro, vt ipſe ais, ô puer, Menonis duplum ſpatium naſceretur. PV. Prorſus, ô Socrates. SO. Quid tibi Meno videtur? reſpondítne hic vnquam ex alterius quàm ſuiipſius opinione? MEN. Nunquã, ſed ex ea propria ſemper. SO. Veruntamen haud nouit, vt paulò antè confeſſi ſumus. ME. Vera loqueris. SO. Inerant igitur huic opiniones huiuſmodi? ME. Inerant. SOC. Huic igitur ignoranti opiniones de iis quæ ignorat, veræ inſunt. ME. Apparet. SO. Nunc igitur huic opiniones tales quaſi per ſomnium ſuſcitatæ ſunt, quòd ſi quis interroget hunc talia quædam ſæpe & multa, certè ſcies hunc iſta, ſi quis alius nouit, perfectè cognitura. ME. Videtur. SO. Nonne igitur nemine prorſus docente, ſed interrogante potius iſta ſciet ex ſeipſo ſcientiã ad ſe reuocans? ME. Sic eſt. SO. Recuperare verò ſcientiam in ſeipſo, an non reminiſci dicitur? ME. Prorſus. SO. At verò ſcientiam quam hic nunc habet, aut accepit aliquando, aut ſemper habuit. ME. Verum. SOCR. Et ſi habuit ſemper, ſciens

semper extitit : sin quandoque percepit, has in vita nequaquam. nemo enim hunc geometrica docuit, cùm in cæteris omnibus quæcunque vel ad geometriam, vel ad alias disciplinas pertinent, hæc eadem sit facturus. Estne aliquis à quo hic illa omnia didicerit? Verisimile est, te id scire præsertim cùm apud te & natus & nutritus fuerit. MEN. Ego verò certus sum quòd hunc quidem nemo docuit vnquam. SOCR. Háfne opiniones habet? ME. Necessarium ô Socrates, id apparet. SOCRAT. Sin autem vtpote in præsenti vita minimè adeptus, haud nouit, patet eum alio quodam in tempore habuisse, atque didicisse. MENO. Apparet. SOCRAT. An non tempus iam fuit, cùm nondú homo hic erat? ME. Isthuc ipsum. SO. Ergo si quando tempus sit in quo homo non sit, inerunt tamen ipsi opiniones veræ, quæ sciscitando expergefactæ, scientiæ fiunt, certè per omne tempus hæc hominis animus scietnam omne per tempus aut est, aut non est homo. ME. Videtur. SOCR. Nónne igitur si semper rerum omnium veritas in animo est, immortalis extitit? Quamobrem audacter & magna fiducia oportet quæ in præsentia minimè scis, hoc est minimè recordaris, dare operam vt inquiras, & recorderis. MEN. Bene mihi nescio quomodo ô Socrates, loqui videris. SOCR. Mihi quoque, ô Meno, atque cætera non admodum contendo : quòd autem qui quæ nesciunt inquirenda putant, meliores arrectioréque & pigri ad vestigandum minus sint, quàm qui quæ nesciunt, etiam nõ quæri posse putant, isthuc verò & verbis, & si queam, re ipsa contendam. ME. Hoc quoque rectè dicere videris, ô Socrates. SOCR. Vis

ne

ne igitur postquàm confessi sumus ignota perscrutari licere, quid virtus sit, communiter vestigemus? ME. Quàm maximè: gratius tamen mihi esset considerare & audire prius, quod in principio disputationis interrogaui, [vtrum]virtuti incumbendum sit, tanquam ei quæ doctrina percipiatur, an vt ei quæ natura potius insit, vel quæ alio quopiam pacto hominibus paratur. SOCR. Atqui si tibi, ô Meno, quemadmodum mihi ipsi imperarem, haud prius vtrum doceatur nécne virtus perscrutaremur, quàm quid ipsa sit indagassemus. Posteaquàm verò nec tute tibi dominari contendis vt liber viuas, ac mihi quoque dominari vis, atque adeò dominaris, assentiar ego tibi. quid enim facerem? Videtur igitur considerandum esse, quale sit quod nondum quid est cognouimus. Attamen paulisper[mihi de imperio tuo remitte] idque ex a suppositione considerare permitte, doctrinane an alio pacto virtus possideatur. Ex concessione autem sic dico, quemadmodum geometræ sæpe discutiunt, postquam illos quis interrogauit: veluti de spatio, vt, posítne in hoc circulo triquetrum hoc spatium expandi: vbi si quis dixerit, nondum se nosse an hoc huiusmodi sit permissionem arbitror talem conducere. Si enim est hoc spatium tale, vt quod ad positam eius lineam protendis, ab eo tanto spatio deficiat, quantum ipsum est protensum, aliud quiddam euenturum puto: & aliud item, si talia quædam pati nequeat. Ex suppositione igitur disputare decreui de iis quæ contingunt circa expansionem illius in circulum an fieri possit nécne. Sic & nos de virtute, quoniam nec quid, nec quale sit nouimus, hoc [supposi-

a *Quid sit ex suppositione, hoc est, ἐξ ὑποθέσεως aliquid considerare.*

to.] vtrum doceri possit nécne in hunc modum quæramus. Si virtus est aliquid eorum quæ circa animum versantur, doceri potest, an non? Principiò si aliud est quàm scientia, num doceri poterit an non? vel potius, vt modò diximus, memoria reuocari? nihil referat apud nos, vtro nomine vtamur, sed an doceri poterit? an id omnibus manifestum, quòd præter scientiam nihil homo docetur? ME. Mihi sanè videtur. SO. Sin autem scientia quædam virtus est, doctrina percipitur. ME. Quidni? SO. Hoc ergo statim expediuimus: nam si talis sit, docetur: si non talis, nequaquam. ME. Prorsus. SO. Posthac inuestigandum censeo vtrum virtus scientia, aut aliud quiddam sit. ME. Mihi quoque idem quærendum esse videtur. SO. An virtutem aliud quàm bonum esse dicimus? & hæc nobis positio stabilis permanet, virtutem scilicet esse bonum. ME. Valde. SO. Si quidem est aliquod seorsum à scientia bonum, nónne virtus forsitan scientia nulla erit: sin autem nullum bonum est quin scientia compræhendatur, scientiam esse virtutem suspicantes, rectè vtique suspicabimur? ME. Sunt hæc vera. SO. Quinetiam virtute boni sumus? ME. Sumus. SO. Etsi boni, vtiles? omnia quippe bona, vtilia. ME. Sic est. SO. Ergo & virtus vtile quiddam. ME. Ex iis quæ confessi sumus, necessariò sequitur. SO. Cõsideremus rursus in singulis qualia sint quæ nobis prosunt: sanitásne & robur, formáque atque diuitiæ, cęteráque huiusmodi conferre dicuntur? ME. Iota. SO. Eadem hæc aliquando nocere fatemur. An tu aliter sentis? ME. Sic certè sentio. SO. Vide itaque quo duce hęc obsint, quóue prosint, nõne cũ rectus vsus præest, iuuant, cõtra verò

a Hic incipit tractari quæstio, an virtus doceri possit.

NO-

nocent? ME. Prorsus. S O. Præter ea quæ circa animum versantur consideremus. Temperantiam aliquid vocas, & iustitiam, & fortitudinem, docilitatémque, & memoriam, magnificentiam, & huiusmodi reliqua omnia? ME. Equidem. S O. Aduerte quæso, quæcunque ex iis scientiæ nequaquam esse videntur, sed aliud quiddam præter scientiam, nónne interdũ iuuant, interdum lędunt, vt fortitudo: [si fortitudo non est prudentia, sed tanquam confidentia aliqua, nónne quando cum ratione aliquis quidpiam audet, iuuatur: quum absque ratione, lædatur?] ME. Sic est. S O. Temperantia quoque, & docilitas eodem modo, cum ratione quidem percepta atque condita, emolumento sunt, contrà autem detrimento? ME. Quàm maximè. S O. Vt ergo summatim dicam, omnes animi [conatus & nixus præeuntes] prudẽtia ad beatitudinem tendunt: imprudentia verò ad contrarium. ME. Videtur. S O. Quapropter si virtus aliquid est eorũ quæ consistunt in animo, necessarióq; vtilis est, prudentiã hanc esse oportet: quippe cũ omnia quæ sunt circa animũ ipsa quidẽ secundũ seipsa, nec commoda, nec incommoda sint: adiuncta vero prudentia, vel imprudẽtia, statim aut vtilia, aut noxia fiant. Hac itaque ratione virtutem cũ maximè omnium conferat, prudentiã quandã esse cõstat. ME. Mihi sanè videtur. S O. Quinetiã in aliis quæ modò dicebamus, opulentiã atque similia tum vtilia esse, tum noxia: nónne quẽadmodũ prudentia cæteris animi virtutibus & officiis præsidens vtilia reddit, imprudentia verò contraria: sic & illis animus rectè vtẽs atque ducẽs bona efficit, non rectè autẽ mala? ME. Prorsus. S O CR. Rectè autem ducit animus

prudens [prudentia autem destitutus facit aberrare à recto vsu rerum illarum.] MEN. Sunt hæc vera. SOCR. Quamobrem omnino asserendum est, cætera quidem humana omnia referri ad animum: quæ verò in animo sunt, ad prudentiam, si modò bona futura sunt: eáque ratione prudentia ipsum vtile erit, virtutem verò vtilem esse dudum diximus. MEN. Omnino. SOCR. Ergo[a] prudentia virtus est, aut vniuersa, aut pars aliqua virtutis. ME. Rectè mihi hæc omnia dici videntur. SOCR. Nónne si hæc ita se habent, haud natura boni homines erunt? MEN. Haud mihi videntur. SOC. Id præterea contingeret, si natura boni fierent, adessent profectò nobis qui filios nostros natura bonos dignoscerent, eósque nos illorum indiciis selectos in arce quadam conseruaremus, multo magis quàm aurum custoditos, ne quis corrumpat, mox vbi adoleuerint, vtiles essent Reipublicæ ciues. ME. Consentaneum hoc, ô Socrates. SOC. Cùm verò natura boni minimè sint, num forsitan disciplina? ME. Necessarium id apparet. Ac[b] secundum sententiam nostram sequitur, vt si virtus est scientia, doctrina percipiatur. SOC. Fortassis Hercle, vereor tamen ne id temerè confessi fuerimus. ME. In superioribus planè id rectè dici visum est. SOCR. At non in præterito solùm, sed in præsenti etiam & futuro tempore tale videri debet, si quidem in eo quid synceri futurũ est. MEN. Quidnã igitur est quod cum spectas, tibi displicet, ac diffidis, ne virtus scientia non sit? SOC. Dicam tibi, ô Meno virtutem quidem doceri posse, si quidẽ sciẽtia est, nequaquã reiicio quasi minus recte sit dictum: quòd verò scientia sit, vide an non me-

[a] *Cõclus. Prudentiã esse virtutẽ, aut vniuersam, aut partẽ aliquam virtutis.*

[b] *Alia cõc. virtutẽ doceri.*

meritò diffidam. Age, id mihi respõde. Si quid doceri potest, non de virtute solùm, sed de quolibet alio loquor, an non illius præceptõres, discipulósque esse aliquos necesse est? ME. Mihi quidem videtur. SOC. At contrà, cuius nec doctores extant, nec auditores, si id doceri non posse coniiciamus, nónne probabiliter coniectabimus? MEN. Sic est, sed num virtutis præceptores nullos esse sensesti? SOC. Sæpenumero, aut aliqui huius magistri essent omni studio inuestigauí, nec vnquam inueni, etsi vnà cum cæteris plurimis, atque iis, vt videbatur, huius facultatis peritis id quæsiui. Et nunc quidem opportunè, ô Meno, iste nobis assedit, quem disputationis huius participem faciamus. Ac merito ad id socium adhibebimus. Est enim diuite primum & sapiente patre Anthemione natus, qui profecto non casu quodam, aut muneribus opulentus euasit, quemadmodum nuper Thebanus Ismenias Polycratis pecunias nactus, sed prudentia vigilan. tiáque sua rem auxit. Præterea nec superbus ciuis, neque inflatus aut difficilis, verùm modestus, & frugi, facilísque vir extitit. Deinde hunc bene educauit etudiuítque, cuius rei testis est omnis Athenienfis populus, qui ad summos hunc elegit magistratus. Nam cum viris huiusmodi sintne virtutis magistri aliqui, & qui sint, inuestigare maximè decet. Ergo age, ô Anyte, quære mecum vnáque cum hospite tuo Menone, quínam huius rei præceptores sint, & in hunc modum considera: si vellemus Menonem hunc optimũ fieri medicum, ad quos potissimum doctores perduceremus? nónne ad medicos? ANY. Prorsus. SOC. Etsi sutorem optimum fieri cuperemus,

*Refutatur, quod modò conclusum fuerat.

Virtutem doceri posse.

an non ad sutores? ANY. Ita. SOC. Et in aliis eodem modo? ANY. Omnino. SOC. Sic iterum de medicis mihi dicas: cum diximus mittendum hunc esse ad medicos, si medicũ fore velimus, an non id sentiebamus, vt sisti debeat apud eos duntaxat, qui artem illã profitentur, ac mercedem pro eo palã ab auditoribus capiunt, hoc ipso se esse qui volẽtes docere possint ostendentes, nónne huius ratio habenda est, si modo illum prudenter locaturi simus? ANY. Sic est. SOC. Et de tibiarum cantu, ac cæteris omnib. similiter iudicandum. Neq; enim mediocris insciti a esset, dũ studeremus quempiam tibicinem fieri, commendare iis nolle qui facultatem hanc pollicentur, mercedémq; reportant, sed hoc onus illis imponere, qui neque se magistros profitentur, neq; habent vllum in hac arte discipulum, qua instrui hunc quem mittimus, desideramus. An non isthuc tibi valde absurdum videtur? ANY. Per Iouem non modo absurdum, verùm etiam insciti a quædam. SOC. Probè loqueris. Nunc itaque licet tibi communiter vnà mecum de hoc hospite tuo Menone deliberare, hic enim, ô Anyte, iampridem mihi dixit, se hãc sapientiam virtutémq; appetere, qua ciuitates & domus rectè gubernantur, liberi quàm optimè educantur, ciues & hospites tum admittũtur, tum dimittũtur scitè, & vt bono viro dignum est. Meditare igitur ad quem potissimum huius comparandæ virtutis gratia hunc mittere deceat. An ex his quæ modò diximus, patet: cõmittendũ his esse, a qui se docturos talia pollicentur: séque palàm cuiq; Græcorum discere volenti semper exponũt, huius disciplinæ præscriptum pretiũ capiẽtes? ANY. At quos dicis,

a Sophistæ.

ô Socrates

ô Socrates? SOC. Nosti credo & ipse hos esse qui publicè sophistæ vocantur. AN. O Hercules: bona verba quæso, ô Socrates. [a] Absit vt quisquam vel cognatorum, vel familiarium, vel amicorum, vel ciuium, vel hospitũ, in tantam insaniam incidat, vt istis adhærẽs, perdi se patiatur: eorum quippe consuetudo certa illorũ qui sectantur, pestis est SO. Cur ita dicis Anyte? num ij soli, ex omni hominum genere cùm prodesse hominibus profiteantur, adeò cæteris deteriores sunt, vt non modo non iuuent, quèadmodũ alij, quod ipsis traditũ sit, verùm contrà corrumpant, atque huius gratia vulgo mercedem exigant? Equidem non video qua ratione fidem tibi adhibeã. Noui enim virum vnum[b] Protagoram, qui plures ob hãc sapientiam pecunias cumulauit, quàm aut Phidias ille, cuius tam conspicua pulchráq; opera extant, aut decem alij sculptores. Atqui absurdũ sit, si qui calceos veteres consuunt, vestésq; resarciunt, latere non possunt dies triginta, si vestes calceósue restituant deteriores redditos: sed si talia facerent, breui fame perirent. Protagoras autem annos plusquam quadraginta cum id nemo in Græcia vniuersa animaduerteret, familiares suos peruertit, deteriorésque quàm acciperet reddidit. Nam reor illum vita decessisse, [c] natum annos penè septuaginta: quadraginta verò in hac arte versatum, ac per omne illud tempus vsque in hanc diem clarus extitit. neque Protagoras tantum, sed alij quoque permulti partim priores illo, partim etiam nunc vitam agentes. Vtrum enim iuxta sententiam tuam dicemus eos scientes prudentésque decipere, & lædere iuuenes conari: an seipsos quoque, fallunt, & insanire il-

[a] *Sophistarum vehemẽs infectatio vnde effici virtutẽ ex sophistis nõ posse dicit.*

[b] *Protagoras summas opes cumulauit.*

[c] *Protagoræ ætas.*

los ex eo dicemus, quia nonnulli sunt qui sapientissimos eos esse mortaliũ dicunt? ANY. Longè abest vt insanire dicantur, ô Socrates: sed multo magis iuuenes qui illis argentum tradunt. Atque his etiam deteriores sunt, si qui illos quorum ad se cura pertinet, iis committant. Omnium postremò insanissimæ sunt ciuitates quæ illos recipiunt, neque expellunt, seu aduena, seu ciuis talem rem conetur. SOC. Num aliquis te sophistarum, ô Anyte, iniuria vnquam affecit? vel quid illis ita succensés? AN. Nulla mihi vnquam cum aliquo illorum consuetudo fuit, neque meorum aliquem illis vti permitterem. SOC. Nunquam ergo illorum mores expertus es. AN. Vtinam verò ne experiar. SOC. Quanam ratione, ô diuine vir, dignoscés bonúmne an malum sit, cuius nullum fecisti periculum? AN. Liquidò istos noui quales sunt: siue expertus sim, siue non. SOC. Vates forsitan es, ô Anyte: hoc enim te alia ratione nouisse, ex iis quæ modò dixisti, mirum sit. Verùm nõ quales sint ij, ad quos profectus Meno sceleratus euadat, quærimus: hi namque, si vis, sophistæ sint. Sed opem patrio feras amico: ostendásque tuinam adhærens eorum qui tam amplam vrbem colũt, eam quam narrauimus virtutem adipiscatur. ANY. Cur ipse non indicas? SOC. At quos ego horum magistros existimaueram, in medium iam produxi: verùm iuxta sententiam tuam nihil omnino profeci. ANY. Fortè vera loqueris. SOC. Itaque tu quoque iam partem tuam huius muneris exple. Ostende ad quem Athenienſium proficiscatur. profer cuiuscunque vis nomẽ. ANY. Quid opus est hominis vnius nomen audire? quemcumque Athenienſium

nactus

nactus fuerit ex bonis clarísque hominib. melior illius familiaritate, si modò [ipsi parere voluerit] euadet quam consuetudine sophistarum. SOC. Vtrum verò ij [a] præclari boníque viri ex seipsis nullo instituente, tales effecti sunt, eáque docere cæteros possunt, ipsi licet à nullo didicerint? Any. Ab antiquioribus viris præclaris atque bonis percepisse arbitror. An non tibi videntur in hac ciuitate multi insignes & optimi homines extitisse? SOC. Mihi quidem, ô Anyte, esse hîc viros ciuilis administrationis peritos, nec pauciores olim fuisse videtur. Sed num præceptores idonei virtutis illius suæ fuere? hoc enim est de quo nunc disseritur, non vtrum sint aut fuerint hîc viri boni, sed vtrum virtus doceri possit: & ob hoc vtrum viri boni siue veteres illi, siue qui nunc viuunt, virtutem, eam qua præditi quique sunt, ipsi tradere alteri norint: an fortè, nec tradi alteri, nec recipi virtus possit. Id inquam est, quod dudum ego ac Meno inquirimus. Sic autē ex ipsa tua oratione rem considerato. [b] Num Themistoclem virum bonum fuisse fateris? any. Maximè omnium. SO. Et præceptorem virtutis suæ bonum, si quis omnino virtutis magister fuit, Theomistoclem extitisse? any. Reor equidem, dummodo voluisset. SOC. Num censes ipsum noluisse alios quoque bonos fieri? filium suum præsertim? an putas inuidisse filio, & de industria virtutem partam minimè communicasse? Audistín' quòd Themistocles filium Cleophantum in equestri facultate strenuum reddidit, adeò vt equis ille rectus insisteret, rectúsque ex equo iacularetur, cæteráque permulta stupenda faceret, in quibus illum diligenter pa-

[a] καλοὶ καὶ κἀγαθοὶ.

[b] *Exemplis probatur à viris bonis virtutē doceri nō posse*

rens eruditiuit, sapientémque in singulis quæ [à præceptorum labore & industria penderent,] reddidit? an non hæc à maioribus natu accepisti? any. Accepi. SOCR. Nemo igitur naturam filij vtpote malam culpauerit. any. Nemo arbitror. SOCR. Quid verò ad hoc? audistine ab aliquo seniore aut iuniore, Cleophantum Themistoclis filium, bonum ac sapientem in quibus pater fuerat, extitisse? any. Nunquam. SOCR. Num Themistoclem arbitramur alienis artibus imbuere filium voluisse, paterna verò virtute nihilo vicinis suis præstantiorem reddere curauisse, siquidem doceri virtus vllo pacto posset? any. Fortassis per Iouem minimè. SOCR. Talis igitur hic virtutis magister fuit, quem ipse vnum ex antiquis optimum asseris. Consideremus iam & alium, Aristidem Lisimachi filium, nónne hunc quoque bonum fuisse censes? any. Et maximè quidem. SOCR. An non & iste filium suum Lysimachum in omnibus quæ [in præceptorum industria posita sunt, filium optime instituendum curauit] sed num quouis alio ipsum meliorem fecit? hunc etenim alloquutus es, & qualis sit, optimè nosti. Præterea si vis Periclem virum magnopere sapientem, considera: duos hic, quod te minimè præterit, a filios educauit, Paralum & Xanthippum. any. Noui equidem. SOC. Hos vt nosti, tum arte equestri, & musica, tum etiam athleticè præ cæteris Athenien sibus instruxit. Ac denique in nullo eorum quæ arte percipiuntur, inferiores aliis esse voluit, boni autem vt euaderent, an cupiebat? cupiuisse quidem existimo, sed id doceri minimè potuisse. Ne autem paucos putes quosdam ignobilissimósq;

a *Pericles duos filios & quales reliquerit.*

Athe-

Athenienſiũ id aſſequi non potuiſſe,[a] Thucydidem vide: duos hic filios Meliſiam atq; Stephanum educauit, quos & cætera diligenter edocuit, & palæſtrã in primis, vt in ea Athenienſes reliquos facilè ſuperarẽt: vnũ quidem Xanthiæ, Eudoro alterum commẽdans: atque hi quidem palęſtra cæteris omnibus illis temporibus præcellere putabantur. nónne meminiſti? ANY. Audiui equidẽ. SO. Neq; verò iſte quum quæ ſumptu maximo diſcebãtur, filios callere voluerit, virtutem ſolam quam abſq; pecuniis tradere potuit, ſi modò doceri potuiſſet, doceri noluiſſe putãdus. An fortè Thucydides ignobilis vir erat, nec amicos plurimos tam ciues quàm commilitones & ſocios habebat? Imò & ampla familia ortus, & ſummæ cuiuſdã autoritatis tũ apud cõcives ſuos, tum etiam apud omnes cæteros Græcos erat. [b] Ideóque ſi per doctrinam comparari bonitas potuiſſet, inueniſſet ſaltem, vel ciuẽ aliquẽ, vel peregrinum, qui filios eius bonos effeciſſet, ſi ipſi ad id docendum à reipublicæ negotiis otium deerat. Sed vide, ô amice Anyte, ne fortè virtus doceri nequeat. ANY. O Socrates, liberius quàm decet, homines mihi vituperare videris. Itaque tibi conſulo, ſi modo parere vis, vt tibi caueas: fortè enim adia in vrbe leue eſt, vel iniuria, vel beneficio ciues afficere, in hac autem graue nimium ac periculoſum. neque id te fugere arbitror. SOCR. O Meno, Anytus hic ſuccenſere mihi videtur, neque id miror: primùm quia hos me viros vituperare cenſet, deinde ſe vnum ex iis arbitratur. Verùm hic ſi quando didicerit quid ſit hominibus detrahere, haud vltorius ſuccenſebit, in præſentia verò ignorat.

a *Thucydides idem duos.*

b *Concluſio virtus cum neque à Sophiſtis neque à præclaris & bonis viris doceri poſſit, nulla ratione doceri poteſt.*

[a] *Alia ratio adfertur cur viri boni nõ sint idonei virtutis magistri.*

At ipse mihi dicas vtrum apud nos clari, ac boni viri sint. ME. Sunt certè. SOC. [a] Volúntne isti iuuenibus seipsos præceptores exhibere? atque id profiteri vel virtutem doceri posse fatentur? MENO. Non per Iouem, ô Socrates, sed nunc ab illis doceri posse virtutem, nunc non posse audies. SOC. An hos dicimus huius rei magistros, inter quos nondum id conuenit? ME. Nequaquam mihi videtur, ô Socrates. SO. Quid verò, num sophistas, si quidem ij soli id prædicant, magistros virtutis existimas? ME. Gorgiam in hoc vehementer admiror & amo, quòd nunquam illum hoc pollicentem audias. [b] Imò & alios ridet, quoties polliceri sentit: putat autem hoc duntaxat promittendum esse eloquentes posse scilicet homines reddi. SOC. Non ergo sophistæ huius rei præceptores esse tibi videtur? MENO. Nescio quid dicam, ô Socrates. nam mihi hoc idem quod plurimis accidit: nunc posse puto, nunc posse nego. SOC. Nec soli tibi cæterisue ciuibus euenit, vt interdum doceri virtutem credatis, interdum verò negetis, verùm etiã poëtę Theognidi, eadem enim omnino dicit. ME. Quibusnam carminibus? SOC. In Elegiacis, vbi ait,

[b] *Gorgias nõ erat solitus polliceri se virtutẽ docendo posse tradere.*

[c] *Theognid. dubitatio an virtus doceri possit.*

Assiduis fueris his in conuiua comes,
Qui magnum magna nomen in vrbe gerunt.
Námque boni bona, sed praui te praua docebunt
Mens & recta horum moribus exciderit.

Vides iam quod in iis ita loquitur, quasi virtus disci possit? MEN. Apparet. SOC. Alibi verò paululum immutans, sic inquit, *Si sana mens homini tradi posset, multam sanè magnamq; mercedem qui id efficerent, reportarent, neque bono ex patre filius malus esset prudentibus monitis imbutus: verum docendo nunquam ex malo bonum hominem*

hominem facies. Cernis hunc circa eadem contraria sibiipsi statuere? ME. Videtur. SOC. Potes igitur indicare mihi rem, quancunque tandem, cuius, qui se doctores scribunt, haud aliarum tamen doctores esse, aut eam rem tenere, sed prauos nullósque in eo cuius professores sunt, esse se fateantur: aut si se fateantur esse præstantes, rem tamen eam percipi posse nunc quidem affirment, nũc negent: an tu qui quacunque in re ita ancipites sunt, eius rei doctores rectè voces? MEN. Minimè. SOC. Ergo si neque sophistæ, neque boni clariíque viri huius rei doctores sunt, multo minus cæteri erunt. ME. Certè. SOC. Si non sunt præceptores, neque discipuli etiam. ME. Sicut ais, mihi videtur. SOC. An non confessi sumus, illud cuius nec magistri, neq; discipuli sunt, doceri minimè posse? ME. Confessi sumus. SOC. Et virtutis nusquam præceptores reperiũtur? ME. Nusquam. SOC. Si non præceptores, neque discipuli etiam. MEN. Sic apparet. SOC. [a] Virtus ergo doceri nequit. ME. Sic videtur, siquidem nos rectè diiudicauimus. Quamobrem vehementer admiror, ô Socrates, bonos vllos inter homines reperiri, & quæ sit ratio qua boni fiunt, ambigo. SOC. Videmur, ô Meno, ego simul & tu mali esse. Videtur Gorgias quoque tecum ac me Prodicus haud satis erudiisse. Itaque maximè omnium reuocanda nobis mens est nostra, quærẽdúsque aliquis qui hoc vno modo meliores nos efficiat. Hæc autem dico ad superiorem inquisitionem respiciens. Num isthuc perridiculè à nobis præteritũ est, quòd non sola scientia duce, recta negotia hominibus procedunt: quod quidem nisi concedatur, esse scilicet præter scientiam aliud quid-

[a] *Repetitur amplius cõfirmata, quæ iam posita erat cõclusio virtutem doceri non posse.*

dam *quo duce res humanæ feliciter procedunt*, fortasse fugiat nos, qua ratione viri boni fiant. MEN. Quo pacto id ais, ô Socrates? SOCR. Sic, quòd quidē bonos viros vtiles esse oporteat, probè confessi sumus, cum nunquam se res aliter habeat. nónne? ME. Ita. SOC. Et quod vtiles futuri sint, si rectè agendis rebus præsint, etiam probè inter nos conuenit. MEN. Probè. SOC. [a] Quòd verò nullus rectè præesse possit, nisi sit prudens, haud satis rectè ab vtroq; assueratum esse constat. ME. Quomodò rectè dicis. SOC. Dicam. qui iter vel Larisſam, vel aliò quouis nouit, & eo vel ipse proficiscatur, vel alios ducat, nónne rectè atque bene perducet? ME. Prorsus. SOC. Quid verò, si quis rectè opinatur quæ via ferat Larisſam, nunquam tamen profectus sit, neque sciuerit, nónne iste quoq; rectè duceret? ME. Valde. SOC. Et donec rectam de iisdem rebus opinionem habet, de quibus alter scientiam, duxerit nihilo deterior, existimans quidem vera, sciens verò minimè, quàm is qui ista pernouit? MEN. Nihilo certè. SOC. Vera ergo opinio ad rectè agendū nihilo minus quàm [b] prudentia valet. Atque id est quod in consideratione virtutis in superioribus prætermisimus, dum solam prudentiā, rectè agendi ducē assereremus: hæc autem erat opinio vera. ME. Videtur. SO. Nū igitur nihilo minus recta opinio quàm scientia confert? ME. Hoc vtique minus confert, ô Socrates, quòd quicunq; scientiā habet, semper assequitur: qui verò rectā opinionem, interdū quidē consequitur, nonnunquā vero fallitur. SOC. Quid ais? qui recta opinione incedit, nónne quandiu opinatur recte, semper voti compos efficitur? ME. Necessarium apparet. Quam

ob rem

[a] *Corrigitur supra positū axioma, quod affirmabat sola prudentia seu scientia res cùm publicas tum priuatas rectè geri.*

[b] *Prudentiā & scientiam hic pro eodē promiscuè accipit Plato.*

ob rem miror, quare cum ita sit, scientia tamen longè admodum præstantior habeatur quàm recta opinio: & cur vtraque illarum aliud quiddam sit dubito. SOC. Nostin' quam ob causam id mireris? an ipse vis tibi dicã? ME. Dic prorsus. SOC. Quia [a] Dædali statuas nunquam consideraſti, fortè vero neque apud vos extant. MEN. Quorsum hæc? SOC. Quoniam hæ nisi ligentur, discedunt atque aufugiunt, ligatæ permanent. ME. Quid tum? SOC. Ex eius operibus quod solutum est, haud magni æstimatur, instar fugitiui hominis: neque enim permanet, ligatum vero magno pretio venit: pulcherrima enim opera sunt. Cuius hæc gratia dico? Verarũ opinionum gratia: [b] hę quippe quousq; stabiles perseuerant, pulchra quædam opera sunt, omniáque bona perficiunt. Attamen diu consistere nolunt, sed ex hominis animo confestim aufugiunt: quapropter non multi pretij sunt, donec quis illas ratiocinatione à causis ducta liget. hæc verò, amice Meno, reminiscentia est, vt suprà inter nos conuenit. Postquam verò ligatæ sunt, primò quidem scientiæ fiunt, deinde perseuerantes, propterea{que} scientia recta opinione præstantior est, ab eáque vinculo quodam discrepat. MENO. Per Iouem, ô Socrates, congrua comparatio. SOCRAT. Quinetiam ipse non tanquam sciens, sed vt coniectans ita loquor. Quod verò est aliud quiddam vera opinio quàm scientia, haud omnino planè mihi coniicere videor. Sed etsi quicquam aliud me scire faterer, quæ sanè pauca sunt, vnum hoc iis quæ scio, adnumerem. MENO. Probè, ô Socrates, loqueris. SOCR. Quid verò? nónne hoc quoque rectè, quòd vera opinio opus

[a] *Dædali statuæ nisi ligentur, fugiunt.*

[b] *Opinionis veræ & scientiæ discrimen.*

quodlibet ducens, nihilo peius quàm scientia illud assequitur? MEN. Hoc quoque verum. SOC. Nihil igitur vera opinio quàm scientia deterior, nec minus ad actiones vtilis est, vt neque vir veram opinionem habens quàm scientia præditus. ME. Ita est. SOC. Quinetiam virum bonum vtilem esse inter nos conueniebat. MEN. Conuenit. SOC. Si igitur homines non per ipsam scientiam solùm boni atque vtiles ciuitatibus essent, si modò inuenirentur, sed etiam per opinionem rectam: horum verò neutrum natura hominibus ineſt, neque scientia, neque vera opinio, neque etiam aduentitia hæc sunt: num videtur istorum aliquod natura inesse? MEN. Mihi nequaquam. SOC. Nónne [a] postquam natura non insunt, neque boni etiam viri natura erunt? MEN. Non sanè. SOC. Quoniam verò nequaquam natura, vtrum doctrina considerabimus? MEN. Ita. SOC. Et doctrina comparabilis visa est, si sit prudentia virtus? ME. Est. SOC. Et si comparabilis per doctrinam, prudentia quoque visa est? MENO. Prorsus. SOC. Ac si præceptores essent, doceri posse: si non, minimè? ME. Sic est. SOC. Et præceptores eius esse communi consensu negauimus. ME. Negauimus. SOC. Concluſimus itaque neque doceri illam, neque prudentiam esse? ME. Concluſimus. SOC. Præterea bonum ipsam esse conceſſimus. MENO. Conceſſimus. SOC. Bonum autem & vtile esse quod rectè ducit. MEN. Maximè. SOC. Rectè denique ducunt duo hæc sola, vera opinio atque scientia, quibus homo præditus dux esse aliis verè potest. Quæ enim fortuna contingunt, imperio hominis nequaquam fiunt: quibus autem homo ad rectũ dux est, duo hæc sunt,

[a] *Recapitulatio superiorum.*

opinio

opinio vera, atque scientia. ME. Idem mihi videtur. SOC. Igitur cum virtus doctrina percipi nequeat, nequaquam scientia est. ME. Non apparet. SO. Cùm ergo duo sint bona atque vtilia, alterum illorum reiicitur, scientia scilicet, neque illa [a] in actione ciuili principatum tenet. MEN. Non, vt mihi videtur. SOC. Non ergo sapientia quadam, neque vt sapientes ciuiles isti homines rempublicam administrant vt Themistocles, & quos paulò antè Anytus retulit. Vnde nec cæteros tales quales ipsi sunt reddere possunt, quippe qui scientia nulla huiusmodi sint præditi. ME. Ita vt ais esse videtur, ô Socrates. SOC. Si non scientia, restat [b] vt opinione recta vtentes ciuiles viri ciuitates gubernent, ac haud secus ad prudentiam se habeant quàm vates, diuinóque furore correpti. Etenim hi vera quamplurima nunciant, nihil tamen eorum quæ loquuntur intelligunt. ME. Sic esse videtur. SOC. Nónne igitur, ô Meno, diuinos huiusmodi viros appellare decet, qui mente nequaquam vtentes, multa tamen ac magna faciunt, & agendo & dicendo disponunt? MEN. Prorsus. SOC. Quamobrem meritò diuinos vocabimus, quos modò prædiximus vates furentésque ac poeticos homines vniuersos, ciuiléscq; homines non minus quàm reliquos diuinos existimabimus diuino afflatos numine, deóque penitus occupatos, quandoquidem rempublicam dirigunt, multa maximáque dicentes, quæ nequaquam intelligũt. ME. Maximè. SOC. Mulieres quoque, ô Meno, bonos viros diuinos nuncupant. Et Laconici quoties bonum quẽdam virum commendare volũt, Diuinus hic vir aiunt. ME. Et rectè quidem loqui videntur, ô Socrates, quanquam

[a] *In actione ciuili principatum tenet non scientia: sed recta opinio*

[b] *Recta opinio qua respublicæ reguntur similis furori Poetico.*

Anytus hic tibi fortè talia loquenti succenſet.

SOC. Haud quaquam mihi curæ eſt: cum hoc enim, ô Meno, rurſus diſſeremus. Si autè nos in omni hac diſputatione rectè perſcrutati ſumus, virtus vtique nec doctrina neque natura nobis aderit, verùm diuina ſorte abſq; mente in eum qui illam ſortitus fuerit, influet: niſi forte quis ex ciuilibus talis exiſtat, vt alium quoque ciuilem efficere poſſit. Quod ſi extiterit, talis hic inter viuentes erit, qualem Homerus ait Tireſiam inter mortuos eſſe, ſic dicens, Inter eos qui apud inferos ſunt, ſolus ſapit, cæteri verò vmbræ volitant. Similiter & ciuis hic ad alios tanquam ad vmbras ſe haberet. Vera enim res, ſi virtutem ſpectes, eſſet.

MEN. Optimè mihi dicere videris, ô Socrates.

SOC. Ex hac itaq; ratione, ô Meno, diuina ſorte virtus adeſſe cuicunque adſit apparet. Veritatem tamen de hoc perſpicuã tum denique cõprehendemus, cùm antequã quo pacto virtus adſit quæratur, quid ipſa ſecundũ ſe ipſam ſit, inueſtigare tentemus. Nũc autem hora iam eſt, vt hinc aliò abeam. Ipſe verò quod tibi perſuaſum eſt, Anyto huic hoſpiti tuo viciſſim perſuade, quo mitior ſit. Nam ſi ei hoc perſuaſeris, Athenienſes quoque iuuabis.

ALCIBIADES PRIMVS, VEL, DE NATURA HOMINIS.

Marſilij Ficini Argumentum.

CANDIDISSIMVS *Platonis noſtri liber, qui Alcibiad. primus inſcribitur, Alcibiade ipſo venuſtior, &*

nustior,& omni carior auro,quid homo est,quid eius officium, docet. Est autem homo, anima rationalis, mentis particeps, corpore vtens. Ex hac definitione illius officium trahitur tripartiam distributum. Vt enim rationalis anima est, in seipsam circulo quodam ratiocinationis sese animaduertendo reflectitur. Vt mentis particeps, in diuinam mentem velut riuulus in fontem suum refluit. Vt vtens corpore, humanis negotiis gubernandis incumbit. Perfectum igitur & absolutum hominis officium est,primò quidem vt naturam suam animaduertat,deinde ab illa tanquam ab imagine & affectu ad diuinam mentem exemplar eius & causam conuertatur. A qua hominis animus illustratus, ipsum bonum, ipsum vtile, ipsum pulchrum,ipsum iustum intelligit, suúmque bonum, vtile,pulchrum,iustum perfectè comprehendit. Vnde quid bonum,quid vtile,aliorum hominum quibuscũ versatur, quibúsve imperat, nosci t. cúmque bonum absolutum,bonum sui, bonum aliorum cognouerit, ad se ipsum iam & alium vnumquenque curandum secundum cogniti boni normam debet accedere. Philosophiæ studio, moralis, mathematicæ, theologiæ opus est,vt ad seipsum & ad mentem sui causam redeat. Moralis quippe & mathematica disciplina animum in corpus mersum in seipsum restituit,theologia suprà se rapit, & extra seipsum attollit in Deum. Mentis diuinæ ideárúmque cognitio sapientia dicitur. Suipsius notitia,& sui suorúmque boni vtilísque inuentio ex diuinæ mentis intuitu manans, prudentia nuncupatur. Prudentia sanè vt bonum intelligit, humanas actiones tam publicas quàm priuatas ad finem optimum refert. Vt vtile,per commoda, mediam propriásque vias quibus ad finem perueniat,dirigit. Vt pulchrum,quis ordo,quu modus in hoc progressu quasi quodam itinere sit seruandus,instituit. Vt iustum,quæ distinctio singulorum operum,

quæ obseruantia impositi ordinis, quod supplicium transgredientis, quod præmium legem huius itineris obseruanti præscribit. A philosophia igitur ad sapiẽtiam, à sapientia ad prudentiam fit accessus: prudentia verò magistra vitæ disciplinam sui cuiusque rei familiaris, & reipublicæ tribuit: homo per prudentiam gubernat, domus autem & ciuitas per amicitiam publicam, iustitiámque seruantur. Publicam amicitiam voco consensionem illam qua ciues sub eadem lege & principe libenter conueniunt, & ad eundem finem respiciunt. Iustitiam publicam nominò legitimam distinctionem, qua singuli licet sub eodem principe, & ad eundem finem, hoc est publicum bonum, diuerso tamen tramite proficiscuntur, variámque officiorum distributionem pro natura & dignitate vnuscuiusque à natura & legibus assignatam seruant, propriógue munere. sine vsurpatione alieni funguntur. Insunt in hoc dialogo theologicæ dictiones duæ ipsum idem, & ipsum vnumquodq;. Circa hominẽ illa significat animã vt idem, hæc animam in corpore. Sed de iis latius in commentariis, quæ in decem hos Platonis dialogos scribere iam instituimus.

[a] *Hoc dialogo, in persona Alcibiadis, tãquam luculentissimo exẽplo, quanto fastu turgeat quãque cæcitate, & sui ignoratione genus humanum laboret, docet Socrates.*

SOCRATES, ALCIBIADES.

[a] FILI Cliniæ, admirari te arbitror, quòd cùm primus ipse omnium amare te cæperim, cùm cæteri à tuo amore discesserint, solus in ista beneuolentia perseuerem: cúmque amatores reliqui frequentiori consuetudine tibi assiduè molesti essent, ego tot annis ne compellarim quidem. Huius autem rei causa non humanum quippiam: sed vis dæmonij repugnans quædam fuit, cuius potentiam

potentiam in sequentibus audies. Nunc verò cum non vltra repugnet, huc ita profectus sum. Spero autem nec in posterum nobis aduersaturū. Ferè autem toto hoc tempore considerabam quo pacto erga tuos amicos te gereres. Qui quamuis multi atque superbi erant, nemo tamen illorum fuit, quin fastu abs te superatus abiret. Quā verò ob causam illos contemseris, explicabo. Ais enim te nulla in re hominibus aliis indigere, quippe quæ tibi insunt, ita esse præclara, vt nec ad corporis, nec ad animi bona cuiusquam egeas. existimas te in primis procero atque decoro corporis habitu plurimum excellere. Et sanè cuiuis perspicuum est, te minimè mentiri. Strenuissimo præterea genere ortum te prædicas in hac ciuitate Græcarum amplissima: ex paterno quidem genere amicos atque cognatos esse quàm plurimos & optimos viros, qui tibi omnia cū opus fuerit, subministrare possint. Maternos quoque nec his inferiores neque etiam pauciores. Sed multò maiorem iis omnibus authoritatem afferre tibi ad res agendas a Periclem Xantippi filium, quem tibi pater tuus tutorem tibi fratríque reliquit, qui non in hac ciuitate solùm quæcūque vult potest, sed in omni Græcia, & in multis etiam ac magnis barbarorum gentibus. Adderem quoque amplissimas tuorum diuitias, nisi te scirem in iis minimè omnium gloriari: horum omnium causa fastu elatus, amatores omnes tuos edomuisti. Atque ipsi vtpote inferiores tibi cesserunt. Neque verò ista te latuêre. Quãobrem satis scio admirari te quo animo in beneuolentia tua perseuerarim, quámue spē de te conceperim, qui cęteris fugientibus ego omniū solus perstiti. Ar-

a *Pericles tutor Alcibiadu.*

At istud fortè nescis, ô Socrates, te nunc me paulò præueniſſe. Venerat enim in animũ mihi, vt te prior adortus hæc eadem te rogarẽ. Quidnam vis? Qua tandem ſpe, mihi moleſtus es qui ſemper vbicunque ſum, accuratiſſimè ades? Reuera enim quod ſit conſilium tuum admiror illúdque libenter audirem. SO. Audies igitur hoc à me vt decet quamprimum, ſiquidem vt ais, noſſe & audire deſideras quid cogitem: ego enim tanquam expectanti & auſcultaturo id referam. ALC. Et maximè quidem: dicas modò. SO. Vidè itaque, neque enim mirum videri debet, ſi quemadmodum vix incepi, ita vix deſinam. ALC. Age. dic modò, audiam enim. SOCR. Dicendum eſt profectò. Difficile quidem eſt, cum eo qui amicorum nulli demittat ſe congredi ſermone: audendum tamen, ſententiáque mea exprimenda. Equidem, ô Alcibiades ſi te cognouiſſem iis rebus quas ſuprà narrauimus eſſe contentum, vitámque in illis tuam tranſigere, [iam pridem ab amore tuo (ſic enim mihi perſuadeo) diſceſſiſſem.] Nunc autem alias quaſdam tuas de teipſo cogitationes indicabo tibi, vt intelligas cur ex quo ſemel tibi animum applicui, nunquam poſtea deſtiterim te amare. Videris mihi ſanè ſi quis deus tibi dixerit, ô Alcibiades. Nunquid viuere vis ea ſola poſſidens quæ nunc habes? an ſtatim obire niſi præſtãtiora quædam aſſequi liceat? mortem potius electurus. At [a] verò qua nunc ſpe vitam agas, aperiam, putas enim ſi mox in Athenienſis populi cõcionem aſcenderis, quod quidem paucos poſt dies futurum exiſtimas, Athenienſibus demonſtraturum, te maiori dignum eſſe honore,

[a] *Faſtum & ſpiritus Alcib. ad ſumma quaque tendẽtis, & ſui ſe digniũ putantis, oſtendit.*

re, quàm aut Pericles sit, aut alius quisquam fuerit eorum, qui superioribus seculis floruerunt: quod si ostenderis, maximam te apud ciues tuos authoritatem assecuturum. Atqui si plurimum hac in vrbe possis, omnium quoq; Græcorum atque etiam Barbarorum quicunque eandem quam & Græci incolunt regionem, clarissimus sis, & si Deus idem imperium Europæ concesserit, transire tamen in Asiam, & illic imperium affectare vetuerit, nondũ electurus mihi videris cum his solis vitâ degere, nisi nomen tuum atque potentiam, vt ita dicã, per omnia hominum genera propagaris. Téque arbitror præter Cyrũ ac Xerxem, nemi nem memoria dignũ existimare. Quòd igitur huiusmodi spe nutriris, nõ cõiecto equidẽ, sed certò scio. Dices fortè, vtpote cõscius me vera dixisse, Quid hæc, ô Socrates, ad eã rationẽ quã assignare volebas, ob quã me nõdum deseruisti? Dicã, ô amice Cliniæ & Dinomaches fili: has cogitationes tuas ad optatũ finẽ perducere, absq; me minimè potes: vsque adeò in te ac tua negotia me posse cõfido. Quapropter Deũ ipsum censeo nõ permisisse olim me tecũ differre: atq; ego expectaui donec ille permitteret. Vt enim tu speras ciuitati tuę ostẽdere posse omni te apud eã honore dignũ esse, atq; his demõstratis nihil adeò magnũ restare, quod nõ statim cõficere possis: sic & ipse apud te plurimũ posse confido, quum primum ostendero cunctis me digniorem esse, nec tutorẽ, neque cognatũ, neque alium quẽpiam præter vnicũ me, Deo fauente, tibi eam potentiam quã desideras traditurum. Quãdiu igitur eras iunior, nécdum in spem tantam veneras, mea quidem sententia, Deus tecum disputare prohibuit,

a *Quantopere Alcib. post futura sit cõsuetudo Socratis ad cõsequẽdã amplitudinem authoritatis & nominis quã ipse speret, ostẽdit.*

ne frustra contenderem. Nunc verò impulit. nunc igitur audies. AL. Longè mihi nunc mirabilior videris, ô Socrates, postquàm loqui mecum cœpisti, quàm dum tacitus me sequebaris, quanquam etiam tunc aspectu talis maximè videbare: vtrum igitur ego hæc mente versarem nécne, ita vt videtur pernouisti, vt si etiam negem, nihil tamen amplius habeam ad te ab illa opinione dimouendum: esto. Verùm si hæc ipsa maximè intendo, quónã modo per te consequar, nec sine te ista perficientur? potésne dicere? SOCR. [a] Interrogásne an prolixum sermonem incepturus sim, quales audire solitus es? Neque verò id mei moris est. Imò demonstrare tibi possum, vt arbitror, hęc ita se habere, modò in hoc vno duntaxat mihi paulisper obsequi velis. AL. Nisi durum obsequium est. volo. SO. Nunc difficile tibi videtur ad interrogata respondere? AL. Nequaquam. SOCR. Responde igitur. AL. Interroga. SOCR. An te interrogem tanquam ea quæ cogitare te dixi, deliberantem? AL. Esto si placet, vt tandem quid feras, videam. SOCR. [b] Age itaque, intendis enim, vt suprà dixi, breui adire Athenienses forum populum, aliqua de re monituri. Si tibi igitur iam ad concionem ituro, ego obuius, ô Alcibiades, dicam, postquàm Athenienses deliberare constituerunt, & tu deliberaturus surrexisti de eodem: vtrum de iis quę tu melius quàm illi, calles? quid respondetes ad hæc? AL. Responderem sanè de iis quæ melius noui ego quàm illi. SOCR. Quæ igitur nosti, de iis quoque es consultor bonus? AL. Quidni? SOCR. Nónne [c] hæc sola cognoscis, quæ ab aliis didicisti, vel ipse per te inueneristi? AL. Quæ enim alia? SOCR. Estne aliquid quod didi-

a Socrates solitus fuit, non continua oratione sed interrogationibus agere cum iis, quos vellet instituere.

b Hunc potissimum fructum ex Socratis cõsuetudine & colloquio percepturus erat Alcib. quod per illum grauiss. morbos falsa nẽpe sui opinione, qua detinebatur, liberandus erat.

c Alcibiades ignorat ea de quibus se consilium dare posse Athenienses spe rat.

didiceris, vel inueneris iam quondam quum inuenire vel discere nolles? AL. Non est. SOC. Nunquid voluisti vnquam inquirere, siue discere quæ te scire putabas? AL. Nunquam. SO. quæ non scis fuit quando que tempus quando te ignorare putabas? AL. Necesse est. SOCR. Atqui quæ didicisti, fermè & ipse cognouisti quòd si quid me fugerit dicas. Didicisti enim, vt memini, literas, citharam pulsare, palæstram inflare tibias noluisti. Hæc sunt quorum tu scientiam habes: nisi fortè aliquid me inscio didiceris. puto autem nec noctu, neque die exisse te domo me inscio. AL. Nullos præterquam horum trium præceptores audiui. SOCRAT. An quoties Athenienses de literis consultabunt, quo pacto scribi debeant, ad consilium accedes? AL. Non per Iouem. SOC. At quum de lyra pulsanda? AL. Nullo modo. SOCRAT. Neque de palæstris etiam in concione disceptare consueuerunt? AL. Minimè. SOCR. Quando igitur, & qua de re consultabimus? non enim quum de ædificiis? AL. Non certè. SOCR. Ædificator enim melius quàm tu consulet. AL. Ita. SOC. Neque tamen quũ de vaticinio disceptabant. AL. Nequaquam. SOCRAT. Fatidicus enim hæc melius quàm tu. ALCIB. Melius. SOCR. Seu paruus, seu magnus, seu formosus, seu deformis, vel nobilis, vel ignobilis sit. AL. Certè. SOCR. Scientis enim esse arbitror non diuitis, de vnoquoque consulere. AL. Quidni? SOCRA. Atque ideo seu diues sit, siue pauper ille qui monet, nihil intererit apud Athenienses, quando deliberabunt, qua ratione ciues rectè habeant, sed quærent duntaxat vt medicus sit consultor. AL. Et meritò. SOCR. Quando igitur, & in qua de-

liberatione idoneus consultor eris? AL. Quando de negotiis suis deliberabunt. SOCR. An quum de re nauali quærent, quales oportet naues fabricare? AL. Non, ô Socrates. SOC. Naues enim, opinor ædificare nescis. Estne hæc causa, an aliud quiddam? AL. Nil aliud. SOCR. At verò de quibus eorum negotiis dicebas? AL. Quum de bello, ô Socrates, vel pace, aut alio quopiam ciuitatis negotio. SOC. Num dicis quum disputabunt quibuscum pax retractanda sit, & aduersus quos bellum gerẽdum, & quo pacto? AL. Profectò. SOC. Oportet autem quibus operæpretium est hæc indicere? AL. His ipsis. SO. Et tunc solùm quando melius? AL. Omnino. SO. Atque tandiu quandiu præstat? AL. Certè. SOCR. Si ergo quærent Athenienses aduersus quos palæstra vel [a]summis digitis reliquo corpore intacto, & quemadmodum certandum sit, ecquid ipse melius quàm gymnasij magister consuleres? AL. Gymnasij magister melius. SOCR. Potes dicere quónam respiciens ille admoneat quibuscum luctandum sit palæstra, vel non, & quando, & quo pacto? Sic dico, nónne cum iis certandum, quibuscum operæpretium est? AL. Vtique. SO. Et quantum præstat? AL. Et quantum præstat. SO. Et tunc quum melius? AL. Prorsus. SO. Quinetiam cantorem oportet pulsare citharam, & saltare ad cantilenam? AL. Oportet. SO. Nónne tunc quum est melius? AL. Tunc certè. SO. Et tantum quantum melius? AL. Confiteor. SOCR. Quid ergo postquam melius quiddam in vtrisque dixisti, & in citharæ cantu, & in palæstra, quid vocas in recto ad cantum sono melius? Nam ego quidem in palæstra gymnasticum voco,

[a] ἀκροχειρίζεσθαι.

Tu

Tu autē quid? AL. Haud intelligo. SO. Sed conare me imitari. Equidē melius ipsum vocē ego, id quod per oía rectè se habet. Rectè verò se habet, quod secundū artē fit, nónne? AL. Idipsum. SO. Nónne ars gymnastica? AL. Quídni? SO. Id sanè quod melius in palæstra, vocaui gymnasticum. ALC. Vocasti quidem. SOC. An non rectè? ALC. Mihi videtur. SO. Age igitur & tu: decet enim te quoque recte differere. Dic primùm quæ ars est, ad quam pertinet rectè canere, sonare, saltare. Vniuersa hæc ars quomodo nuncupatur? nondum potes exprimere? AL. Nondum. SOC. Verùm sic enitere, quænam huius artis dea? ALC. Musáfne, ô Socrates, ais? SOC. Equidem. vide iam quódnam ab his cognomentum ars illa trahat. AL. Musicam dicere videris. SOCR. Dico vtique. Quid igitur est, quod secundum hanc rectè fit? quemadmodum modò in illa iam arte ego tibi, quod secundum artem recte fieret, gymnasticum vocaui. Tu quoque in hac eodem modo melius quid vocas, & quomodo fit? ALC. Musicum mihi videtur, & musicæ. SOC. Bene dicis. age iam, bello melius & pace melius quid vocas? quemadmodum superius dixisti, in vnoquoque quid melius esset, ostendisti: in hoc quidem quod musicum magis, in illo verò quod magis gymnasticum. Conare in iis similiter quid melius pronunciare. ALC. Non habeo quid dicam. SO. At verò turpe sit, si quis te de cibis asserentē meliorem hūc illo esse, & quando, & quantus, mox si quis roget, quid melius ipsum, ô Alcibiades, vocas? nihil habere quod

respondeas, videlicet quod salubrius, quamuis te medicum esse non profitearis: in illo verò te cuius peritum esse gloriaris, & tanquã eruditus consultum surgis, de esse quod respõdeas interrogatus. Nónne inquam turpe hoc est? AL. Turpissimum. SOC. Considera itaque & conare nobis ostendere quorsum tendit melius in pace quibuscum oportet instituenda, & bello etiam contra quos oportet? AL. Et si quæro nequeo tamen inuenire. SO. Animaduertisti, quum bellum [gerunt homines, quid sit illud de quo conquerentes, & se inuicem accusantes homines ad bellum proficiscuntur] & quomodo id cuius gratia suscipitur bellum, vocemus? AL. Animaduerti equidem ad arma nos prouocari, quum vel decepti, vel coacti, vel aliqua re spoliati sumus. SOCR. Age, dicas quo differt pati illa hoc vel illo modo? AL. Quum dicis hoc vel illo modo, idémne significas ac si diceres, iustè vel iniustè? SOCR. Idipsum. AL. Omnino quidem & hoc totum differt. SOCR. Aduersus quos vt bellum ineant Athenienses hortaberis? Aduersus iniuriósne an iustos? AL. Durum est id quod interrogas: nam & si quis cogitet bellum aduersus eos gerendum, qui iustitiam colunt, nõ hoc tamen confitebitur, sub. *bellum gerendum aduersus eos qui iustitiam colunt.* SOC. Non enim legitimum hoc, vt videtur. AL. Minimè nec honestum quidem apparet hoc. Hîc igitur tu de iusto verba facies. AL. Necesse est. SOCR. Aliúdne igitur, vt modò quærebam, in bello gerendo aut non, & quibuscum oportet vel non, & quando oportet, vel nõ, melius est quicquam quàm id quod est iustum magis?

AL.

AL. Hoc melius videtur. SOCR. Vnum igitur, ô amice Alcibiades, te præterit quod hoc ignoras: vel si me inscio ad præceptorem profectus es, vnde diiudicare didiceris quid iustius, & quid iniustius, age & mihi illum ostende, vt ei me discipulum te interprete adiungam. AL. Cauillaris, ô Socrates. SOCR. Non per Deum mihi & tibi amicum, quem iureiurando minimè fallerem: sed si habes, dic quis est. AL. Quid si non habeam? nónne putas aliter me iusta atque iniusta dignoscere posse? SOCR. Imò siquidem inueneris. AL. An non censes inuenisse me? SO. Et maximè quidem, modò quæsieris. AL. Deinde non credis me quæsisse? SOCR. Credo equidem, modò te ignorare putaueris. AL. An fuit tempus, cùm sic me non haberem? SO. Bene dicis. sed potes assignare nobis id tempus, quando non rebaris te iustorum atque iniustorum cognitionē habere? Age, anno superiori quæsisti hæccine nécne? & existimabas te scire nécne? AC vera responde, ne frustra disputatio instituatur. AL. Putabam scire. SO. Tertio verò anno ante id tempus, & quarto, & quinto, nónne eodem pacto? AL. Eodem. SO. Atqui ante hæc tempora eras puer, nunquid? AL. Eram. SOCRAT. Scio equidem te tunc nosse putauisse. ALC. quomodo scis? SO. Sæpenumero te puerum audiui cùm apud magistros, & alibi in calculorum iactu cæterisque puerilibus studiis exercereris, tanquam de iustis atque iniustis minimè dubitantem: verùm audacter loquentem de quocunque puero sermo incidisset, quòd malus & iniustus esset, & iniustè ageret. Num vera loquor? AL. Quid me oportebat facere, quum quis me iniuria afficeret?

* *Hîc ostēditur Alcib. quid sit iustum vel iniustum ignorare, cum à nemine didicerit, nec ex seipso inuenerit, nō inuenisse autē, quia non quæsuerit, nō quæsiuisse, quia nūquam putauerit se ignorare.*

SOC. Tu verò si ignorans esses, siue iniuria inferatur, siue non, tum quid te facere oporteat quæras? ALC. Per Iouem non ignorabam ego, sed planè intelligebam iniuriam mihi fieri. SOC. Ergo putabas etiam dum esses puer, iusta & iniusta dignoscere. ALC. Et sciebam equidem. SOC. Quo in tempore inueneras? Non enim illo cùm te scire credebas. ALC. Nequaquam. SOC. Quando igitur hæc ignorare putabas? Considera: non enim id tempus inuenies. ALC. Per Iouem, ô Socrates, quod dicam non habeo. SOCR. Non ergo per inuentionem ista cognoscis? ALC. Non videor. SOC. Sed paulò antè neque per disciplinam etiam percepisse dicebas, quòd si nec inuenisti neque didicisti, quónam pacto, & vnde tenes? ALC. Fortè haud rectè respondi, cùm scire me per inuentionem asserui. SO. Id verò quo pacto habet? ALC. Didici ipse quoque, vt arbitror, quemadmodum cæteri. SO. Rursus in idem relabimur: dic mihi enim à quo didicisti. ALC. A vulgo SOC. Non ad probatos refugis præceptores, cùm ad [a] vulgus te refers. ALC. An non sufficiunt ad docendum etiam hi? SOC. Ne ea quidem quæ ad talarem ludum attinent, aut non attinent? etsi viliora hæc sunt, quàm iusta. An non sic tu quoque putas? ALC. Puto. SO. Ergo maiora docere possunt, viliora non possunt? AL. Arbitror equidem. Enimuerò multa docere possunt meliora ludo talari. SO. Quænam ista? AL. Vt est Græcè loqui. Ab iis enim didici, nec præceptorem vllũ habui præter istos, quos tu magistros haud satis probatos esse dicebas. SOC. O generose, hu-

[a] *Vulgus nõ est idoneum ad docendũ quid sit iustũ, quia secũ nõ consentit de ipso.*

huius quidem rei vulgares homines idonei præceptores sunt, & meritò in hac doctrina laudantur. AL. Cur? SOCR. Quoniam habet quod bonos decet præceptores habere. AL. Quid hoc? SO Nónne scis oportere eos qui aliquid docturi sunt, prius quàm doceant, intelligere? nunquid? AL. Quidni? SOCR. Et cùm intelligant, consentire sibi neque dissidere? AL. Ità. SO. In quibus verò igitur dissentiant, ea scire illos dicamus? ALC. Minimè. SO. Horum ergo quomodo boni essent magistri? ALC. Nullo modo. SO. Videtúr ne tibi dissentire multitudo, si quando interrogetur quid lapis, & quid lignum? An non idem fatentur, in idémque feruntur omnes, cum lignum volunt aut lapidem capere? atque eodem pacto in cunctis huiusmodi? Intelligo enim fermè per Græcè scire, hoc te significasse, nónne? ALC. Significaui equidem. SOCR. Atque idcirco in iis nónne conueniunt, vt diximus, & priuatim & publicè ciuitates inuicem, neque dubitant, hæ quidem hoc, hæ verò aliud quiddam vocantes? AL. Non dubitant. SOCR. Meritò ergo istorum idonei præceptores essent. ALC. Nempe. SOCR. Itaque si quidem in his vellemus eruditum euadere, rectè hunc in doctrinam multitudinis mitteremus. ALC. Prorsus. SOCR. Si autem nosse vellemus non modò qui homines & qui equi sunt, verùm etiam qui ex illis maximè cursu valeant, & qui nō, nunquid vulgus erudite poterit? AL. Nequaquam. SO. Sufficiens hæc tibi coniectura erit, quòd nec sciat vulgus, neque aptus horum præceptor sit, quoniā de iis secum nō cōsentit.

AL. Videtur. SO Si nosse cupiam non tantùm qui sint homines, sed qui valeant, qui ægrotent, nunquid multitudo docebit? AL. Non. SO. Multitudinem hæc docere non posse facilè aduertes, si discordes opiniones consideraueris. AL. Sanè. SO. De iustis autem hominibus atque rebus multitudo secum ipsa sibi consentit? AL. Minimè per Iouem, ô Socrates. SO. At in iis magnopere discrepat? AL. Summopere. SO. Arbitror nec vidisse te vnquam, nec audisse homines de sanis & ægrotis inter se adeò dissentire, vt ob ista bellum gererêt, séque inuicem interimerent. AL. Nunquam. SO. Cæterùm de iustis atque iniustis quàm acriter dissentiant, & si ipse, vt arbitror nõ vidisti: audisti tamen cùm ex aliis multis, tum etiam ex Homero, nam Odysseam atque Iliada audiuisti. AL. Omnino, ô Socrates. SOCR. Nónne igitur hæc omnia poëmata sunt de iusti atque iniusti discrimine? AL. Sunt. SOCR. Pugnæque & interitus ob eandem profectò dissensionem inter Achiuos Troianósue fuerunt, eademque ratione inter procos Penelopes & Vlyssem. AL. Vera refers. SOCR. Reórque & inter Athenienses, Lacedæmonas, atque Bœotios, qui priùs in Tanagra, deinde ad Coroneam perierunt, vbi etiam pater tuus Clinias oppetiit, nulla alia de re quàm de iusti, iniustiue differentia pugnam illam acerbissimam extitisse. AL. Vera loqueris. SOCR. Eos itaque dicemus illa sciuisse, de quibus tam acriter concertarunt, vt de iusto & iniusto altercantes omnia extrema subirent? AL. Non videtur. SOCR. Ergo ad eos præceptores te refers, quos ipsemet ignorare consentis? AL. Videor. SOC. Quónam pacto conueniens est, te

a Clinias pater Alcib. ad Coroneã oppetiit.

te iusta & iniusta cognoscere, in quibus sic aberras, nec didiciſſe ab aliquo videris, neque per te etiam inueniſſe? AL. Ex iis quæ tu dicis, non eſt conſentaneum. SOCR. Vides[a] iterum Alcibiades hoc te non rectè dixiſſe? AL. Quid? SOCR. Quòd me aiebas hæc dicere. ALC. Quid? non tu dicis me iuſti & iniuſti ignarum eſſe? SOCR. Nequaquam. AL. Egóne igitur? SOCRAT. Tu inquam. AL. Quónam modo? SOCR. Sic intelliges, ſi te interrogem vtrum vnum aut duo plura ſint, reſpondebiſne duo? AL. Duo. SOCR. Quanto? AL. Vno. SOC. Vter igitur noſtrûm eſt, qui dicit duo vno plura quàm vnum? AL. Ego. SOCR. Ego igitur interrogabam, tu reſpondebas? AL. Ita. SOCR. De iis ergo vter noſtrûm dicere videtur, num ego interrogans, an tu reſpondens? AL. Ego. SOCR. Quid autem ſi quæram quot ſunt in Socrate literæ, tu verò reſpondeas, vter noſtrûm erit qui dicet? AL. Ego. SO. Age dic vno verbo, quoties interrogatio fit atque reſponſio, vter eſt qui dicit? interrogánſne an reſpõdens? AL. Reſpondens, mihi videtur, ô Socrates. SO. Ego in ſuperioribus ſemper interrogaui. AL. Semper. SOCR. Tu verò reſpondiſti? ALC. Reſpondi. SOCR. Quæ igitur dicta ſunt hactenus, vter noſtrûm dixit? AL. Ex iis quæ cõceſſa ſunt, ego dixiſſe videor. SOC. Nónne dictum eſt, quòd Alcibiades pulcher Cliniæ filius iuſtorum atque iniuſtorum inſcius, ſe ſcire putabat, erátque concionem Athenienſium aggreſſurus, ea conſulturus quæ neſciret? Sunt hæc vera? AL. Sunt. SOC. Euripidis illud nũc nobis ô Alcibiades occurrit. *Abs te quippe iſta videris audiſſe non à me.* Neque ego hæc, ſed tu dixiſti: me autem fruſtra accuſas. AL. Et pro-

[a] *Quũ inter rogatus aliquis reſpõdẽ do affirmat vel negat, id ipſe affirmaſſe vel ne gaſſe cenſetur, non autẽ is qui interrogat.*

fectò bene dicis. SOC. Furiosum enim quiddam aggredi, ô vir optime, statuisti, docturus illa quæ nec scias, neque discere cures. AL. Reor, ô Socrates, Athenienses & alios Græcos rarò quænam iustiora, quæue iniustiora sint, quærere: talia enim putant esse perspicua. His igitur omissis, quæ conducant agentibus, inquirunt. [a] Neque enim eadem esse iusta & vtilia puto, quin multis iniustè agentibus iniustitia profuit: alios contrà iustè agentes nil ipsa iustitia iuuit. SO. Quid igitur si vel maximè diuersa, alia quidem iusta sunt, alia verò vtilia, an tu rursum scire te putas quæ vtilia sint hominibus, & quam ob causam? AL. Et quid prohibet Socrates? nisi rursus exquiras à quo didicerim, aut quomodo ipse inuenerim. SO. Vide quid agas, quod non rectè dicis, cùm possit id ostendi per eandem rationẽ qua superiora: ipse tamen noua quædam existimes audienda, nouáque demonstrationes in medium adducendas, quasi priores sint instar apparatuum atque vestium quibus in scena vtuntur, contritæ, quibus quidem tu non amplius induaris, nisi quis aliud aliquod argumentum purum immaculatúmque afferat. Ego autem missa faciens sermonis tui præludia, nihilominus interrogabo, vnde vtilia hæc esse didiceris, & quis magister fuerit, & reliqua cuncta quæ prius, vna interrogatione requiram. Veruntamen eôdem, vt arbitror, reuolueris, neque ostende re poteris vtilia, disciplináne an inuentione cognoueris. Quando verò adeò delicatus es, vt non libenter sermonem eundem gustaturus videare: hoc quidem mitto, notísne an non, quid vtile, quídue inutile Athenienſibus

[a] *Thesis ab Alcibiade proposita nõ eadẽ esse iusta & vtilia.*

[b] *Eadem ratione quæ supra adhibita fuit quũ de iustu ageretur, ostenditur Alcib. nescire quid sit vtile.*

bus sit. Vtrùm autem eadem sint iusta & vtilia, an diuersa, cur non demonstras, aut ipse me interrogans, vt ego te, aut si ita placet, oratione perpetua vtens? AL. Haud scio, ô Socrates, an aduersus te disputare valeam, nécne. [a] *Ludit Socr.* SO. At, [a] ô bone vir, concionem me in præsentia, populúmue esse puta: nonne illic te vnicuique persuadere oportebit? AL. Oportebit. SO. Nónne eiusdem est posse & vni seorsum aliquid, & multis simul eorum quæ nouit, demonstrare? Sicut grammaticus vnum pariter in literis ac multos erudit. ALCIB. Est. SO. Et in numeris eodem modo quis poterit vni ac multis ostendere? AL. Certè. SO. Hic autem est arithmeticus. AL. Est. SO. Et tu ergo quæ pluribus, eadem vni persuadere potes. AL. Consentaneum est. SO. Sunt autem hæc videlicet quæ cognoscis. AL. Profectò. SOCR. Hoc verò duntaxat differt rhetor qui apud populum loquitur, ab eo qui in huiusmodi congressu: quòd ille simul vniuersis, hic seorsum singulis persuadet. AL. Videtur. SO. Age cùm eiusdem esse appareat multis atque vni ostendere, meditare nunc corã me, atque enitere, vt ostendas mihi quòd iustũ est, aliquando non prodesse. AL. Contumeliosus es, ô Socrates. SO. Nunc per contumeliam demonstraturus sum tibi contraria eorum quæ tu mihi non vis. AL. Dic. SO. Respõde modò interroganti. AL. Minimè, sed tu ipse dicas. SO. Nónne vis quàm maximè persuaderi? AL. Prorsus. SO. Si dixeris hæc ita se habere, an nõ eris maximè persuasus? AL. Mihi quidẽ videtur. SOC. Respõde igitur: nã nisi à te ipso audieris iusta omnia vtilia esse, alteri dicẽti ne credas. AL. Non credã: sed iã respondendũ est: nihil

enim periculi esse existimo. SOCR. Vates profectò es: verum dic. [a] Iustorum alia conferre asseris, quædam minimè? AL. Assero. SOCR. Quid autem horum partim esse pulchra, partim contra? AL. Quomodo hoc interrogas? SO. Vtrùm quispiam tibi aliquando visus sit turpia quidem facere, sed tamen iusta? AL. Mihi nunquam. S O. Omnia itaque iusta etiam pulchra. AL. Ita. S O. Rursus, pulchra vtrùm omnia bona, an partim bona, partim mala? AL. Arbitror equidem, ô Socrates, nonnulla ex pulchris mala esse. S O. Et turpia quædam bona? AL. Certè. S O. Nunquid tale quiddam dicis, perinde ac si nonnulli dum in prælio amico vel propinquo cuidam opem ferre vellent, vulnerati perierint: qui verò auxilium cùm debuissent, non tulerunt, incolumes discesserint? AL. Et maximè quidem. S O. Nónne auxilium huiusmodi pulchrum appellas, vbi quis seruare conatur quos oportebat? eáque fortitudo est. AL. Profectò. S O. Malum verò vocas ob interitus ac vulnera nunquid? AL. Voco. S O. An non est aliud fortitudo, aliud mors? AL. Aliud. S O. Non ergo secundum idem pulchrum simul ac malum est, amicis opem ferre. AL. Non videtur. S O. Vide itaque vtrùm qua ratione pulchrum, etiam bonum sit, quemadmodum in iis. Quia enim fortè concedis pulchrum esse auxilium ferre. Ipsa autem fortitudo bonúmne an malum? Sic verè considera, vtra eligeres adesse tibi, bona an mala? AL. Bona. S O. Nónne maxima bona maximè optares? AL. Maximè. S O. Ac minimè omnium his priuari velles? AL. Quidni? S O. Quid de fortitudine dicis? quanto illam pretio commutares? AL. Ne viuere quidem vellem, si timidus esse[m].

[a] *Thesis superius posita ab Alcibiade refutatur, & ostenditur eadē iusta & vtilia esse.*

essem. SOC. Extremúmne malum tibi videtur esse timiditas? AL. Mihi verò. SOC. Æquè ac mori, vt apparet. AL. Æquè. SOC. Morti atque timiditati vita & fortitudo cõtraria sunt? AL. Sunt. SOC. Et hæc quidem maximè oportet adesse tibi, illa minimè? AL. Certè. SO. An non ex eo quòd hæc optima, illa pessima esse censes? AL. Prorsus. SO. Igitur auxilium ferre amicis in prælio, pulchrum quidem vocabas secundum boni, id est, fortitudinis actionem. AL. Videor sanè. SOC. Secundum verò actionem mali, id est, mortis, malum. AL. Mihi quidem videtur. SOC. An non congruum est, sic vnamquamque actionem denominare? si enim eam prout malum fert, malam appellas: contrà, prout fert bonum, bonam vocare decet? AL. Videtur. SO. Nónne etiam quà bonũ, pulchrũ: quà malum, turpe? AL. Maximè. SO. Cùm ergo dicis auxilium ferre amicis in bello, pulchrum esse, sed malum: perinde est ac si dicas, ipsum bonum quidem, malum tamen. AL. Vera mihi dicere videris, ô Socrates. SOC. Nihil igitur pulchrum, quatenus pulchrum, malum est, neque turpe quicquam, quatenus turpe, bonum. AL. Non videtur. SOC. Præterea hunc in modum considera, quisquis pulchrè agit, nónne bene agit? AL. Vtique. SOCR. Bene autem agentes, nónne felices? ALC. Quidni? SOC. An non felices propter bonorũ possessionem? AL. Et maximè. SOC. Acquirũt autem hæc ex eo quòd pulchrè ac bene agunt? ALC. Certè. SOCR. Igitur bene agere bonum. AL. Quidni? SOC. Nónne pulchrum actio bona? AL. Certè. SOC. Idem itaque rursus apparet nobis pulchrum ac bonum. AL. Apparet. SOC. Quicquid igitur inueniemus pulchrum

esse, idem quoque bonum existere hac ratione reperiemus. AL. Necesse est. SOC. Bona autem conferunt nécne? AL. Conferunt. SOCR. Meministi quid suprà de iustis confessi simus? AL. Reor iusta agentes necessarium esse pulchra facere. SOC. Pulchra verò agentes, nónne etiam bona AL. Ita. SOC. Et bona prodesse? AL. Penitus. SOC. [a] Iusta igitur, ô Alcibiades, vtilia sunt. AL. Videtur. SOC. Hæc nónne ipse dixisti ego autem interrogaui? ALC. Apparet. SOC. Si quis igitur surgat Athenienſibus vel Peparethiis consulturus, putas iusta se & iniusta dignoscere, dicatq; scire se iusta interdum esse mala, nónne ipsum irrideres, cum tu asseras eadem iusta & vtilia esse? AL. [b] Per deos, ô Socrates, quid dicam nescio, sed absurdo quodam modo habere me videor. Nam & alia videntur mihi interrogante te, & nunc alia. SOC. Ignoras, ô amice, quænam hæc affectio sit? ALC. Ignoro SOC. [c] Si quis te interrogasset duósne an tres oculos habeas, manúsue duas an quatuor, aut aliud quiddam huiusmodi, putas illi te nunc hoc, nunc illud, an idé semper responsurum fuisse? ALC. Etsi de me ipso iam vereor, puto tamen eadem responsurum. SOC. An non huius causa est, quia cognoscis? AL. Arbitror. SOC. De quibus igitur initus contraria respondes, constat illa te ignorare. AL. Consentaneum est. SOC. Nónne circa iusta & iniusta, pulchra & turpia, bona & mala, vtilia & inutilia respondendo te errasse fateris? deinde nónne manifestum est, ex eo errauisse, quod ignoraueris? AL. Videtur. SOC. Num ita se res habet, vt si quis ignoret, illius animum circa id errare necesse sit? AL. Quidni? SOC. [d] Scísne quo pacto in cœlum ascédas?

[a] *Cõcl. quidquid iustum est illud vtile esse.*

[b] *Miratur Alcibiad. se subinde redargui à Socrate & quod modò posuerit statim cogi tollere.*

[c] *Causa cur quis verè redarguatur, est ignorantia.*

[d] *Erroris magna ex parte causa est, quod ea quæ nescimus putamus nos scire.*

ALC.

ALC. Minimè per Iouem. SO. Aberrat circa hæc opinio tua. AL. Non certè. SOC. Scis autem huius causam, an me dicere mauis? ALC. Dic. SOC. Quoniam cùm nescias non putas te scire. ALC. Quomodo, ô amice, rursus id ais? SOC. Cogita tu quoque mecum quæ nescis, cognoscisque te ea nescire, num in illis laberis, quemadmodum de parandis obsoniis nosti sanè quod nescis? AL. Penitus SO. Vtrum circa hæc opinaris quomodo parare conueniat, atque erras? an potius scienti cõcedis? AL. Hoc pacto. SOC. Quid si nauigares, nunquid opinareris gubernaculum nunc ad interiora, nunc ad exteriora flectendum, ac nescius, errares, an potius gubernatori concederis, quiescere? ALC. Gubernatori. SO. Non igitur erras in iis quæ nescis, si nescire te noueris. ALC. Non videtur. SOC. Cernis errores in actionibus esse ob hanc ignorantiam, quòd qui nescit scire se putat? ALC. Quo pacto id ais? SOC. Tunc agere aggredimur, cum nosse putamus quod agimus. ALC. Ita est. SOC. Contrà, qui ignorãtiæ suæ conscij sibi sunt, aliis se cõmittunt. AL. Quidnis? SO. Quapropter ex ignorantibus hi soli sine culpa vitã agunt, ex eo quòd aliorũ curæ se credunt. AL. Profectò. SO. Quinam peccãt? non enim scientes AL. Nõ certe. SO. Postquã neq; scientes, neq; ex ignorãtibus ij qui ignorãtiæ suæ cõscij sibi sunt, errãt. quinam alij reliquũt, quàm ij qui cùm nesciant, scire se putant? AL. Soli. SO. Hæc igitur ignorantia malorum causa est, & vituperanda inscitia. AL. Nempe. SOC. Et quando circa maxima est, tunc deterrima atque turpissima. AL. Maximè. SO. Num habes quicquam maius quàm iustum, bonum, vtile? AL. Nequaquam. SOC.

a *Ecce grauissimũ morbum Alcibiadi detegit Socrates quod cùm in ea quæ ad Remp. gerendam spectant se callere arbitretur, ea tamen maximè ignoret.*

Nónne circa hęc errasse te asseris? AL. Affero. SOC. Quod si erras, annónne ex superioribus perspicuum est, quòd non modò in maximis rebus inscius es, verumetiam cum sis ignarus, scire te putas? AL. Videor. SOCR. Papę, ô Alcibiades, quo pressius es morbo? hunc equidem nominare horresco. Verùtamen cùm soli simus, dicendum est? In turpissima namque insciția, optime vir, versaris, id quod ipse oratione tua satis declaras: qui prius te ad ciuilia confers, quàm sis gubernandi peritus. Neq; te solum morbus hic tenuit, verumetiă omnes qui hanc Rempublicam administrarunt, præter admodum paucos, ac fortasse præter tutorem tuum Periclem. AL. Fertur, ô Socrates, nõ casu quodam sapiens euasisse b Pericles, sed multis ac sapientibus viris familiariter vsus cum sit. Pythoclide in primis & Anaxagora etiam, nunc etiam tam grandis natu, sapientiæ gratia Dæmone vtitur SOCR. Num quem vidisti sapientem, qui in ea re in qua ipsi sapit, alium sapientem efficere non posset? veluti qui te in literis eruditit, ipse quidem erat sapiens, téque pariter reddidit sapientem: & eodem pacto quemuis alium poterat. AL. Profectò. SOC. Et tu quoque eruditus ab illo, alium instituere poteris. AL. Potero. SOCR. Similiter citharœdus & magister gymnasij. AL. Penitus. SOC. Optima igitur hæc coniectura est, quosdam esse, qui cùm ipsi sciant, ostendere quos docuerunt possunt. AL. Mihi quidem videtur. SOC. Habes quem dicere possis à Pericle sapientem factum à filiis incipiens? AL. c Quid si Periclis filij stolidi sunt? SOC. At verò fratrem tuum Cliniam? AL. Quid Cliniam commemoras hominem insanum?

b *Pericles sapiens euasit consortio Pythoclidis, Anaxagoræ & Damonis.*

c *Periclis filij stolidi.*

num? SOC. Postquam Clinias quidem fuerit, filij verò Periclis stolidi nati sunt, tibi quam causam adscribemus, propter quam te cùm talis, sis, negligat? AL. Ego ipse, vt arbitror, in culpa sum, cum illi mentem non adhibuerim. SOC. Verùm ex Athenienſibus hoſpitibuſque cæteris, dic quem vel ſeruum vel liberum ſapientiorem ſua conſuetudine fecerit, ſicuti ego tibi oſtendere poſſum propter[a] Zenonis familiaritatem Pythodorum Iſolochi, & Calliam Calliadæ filios factos eſſe dignos ſapientéſque viros, quorum vterque centum minas Zenoni tradidit. AL. Per Iouem non habeo quem dicam, SOCRAT. Esto. Quid ergo de te ipſo cogitas? num qualis nunc es, matureſcis, an aliquid conaris potius? AL. Communi conſilio opus eſt, ô Socrates. Etenim tua dicta intelligo, eiſque aſſentior. Nam qui Rempublicam adminiſtrant, præter admodum paucos, ineruditi mihi quoque videntur. SOC. Quid tum? AL. Si periti eſſent, oporteret eum qui cum illis decertaturus eſt, poſtquam eandem artem didiciſſet, ac ſeipſum exercuiſſet: tunc demum tanquam ad athletas ire: nunc autem poſtquam & iſti imperiti ad rempublicam acceſſerunt, quid exercitatione opus eſt mihi? quid diſciplinæ ſtudio? Noui enim quòd naturæ dotibus longè hos ſuperabo. SOC. Papæ, quidnam optime vir dixiſti? quàm indignum indole tua, ac reliquis iſtis tuis dotibus. AL. Quorſum hæc, ô Socrates? SOC. Dolet enim mihi tum propter te, tum ob mutuam noſtram beneuolentiam. AL. Quidnam? SOC. Quod putaueris aduerſus homines, qui hîc ſunt, tibi certamen fore. AL. Aduerſus

[a] *Zenonis familiaritate & conſuetudine qui ſapientes euaſerint.*

quos igitur? SOC. Decétne, vt id quærat vir qui tanti se facit? AL. Quid ais? nónne aduersus istos mihi certamen? SOC. Si pugnaturam triremen gubernare statuas, satísne tibi putes, tuis te connautis gubernãdo præstare? an cùm hoc ita esse oportere intelligas, in strenuos aduersarios potius, non vt nunc facis, in propugnatores tuos respicis, quibus te tantùm oportet excellere, non vt contra illos quidem pugnandum existimes, sed parui potius pendens, seu ministris aduersus hostes vtaris, si quidem reuera egregium aliquod facinus edere velis te ac repub. tua dignum? AL. At id quidem cogito. SOC. An decet igitur vt satis putes, si tuorum militum præstantissimus tu scis, non autẽ respicias ad hostium duces, qua ratione illis potius excellas, in hos intentus semper, & contra eos te muniẽs? AL. Quos dicis, ô Socrates? SOC. Nostin' vrbem nostram cum Lacedæmoniis, ac magno Persarum rege vndique bellum gerere? AL. Vera dicis. SOC. Nónne, cùm in animo sit tibi huius ciuitatis ducem fieri, rectè facias, si putes aduersus Lacedæmoniorum Persarúmque Reges certamen te subiturum? AL. Vera dicere videris. SOC. Non, ô bone vir: sed in Midiam coturnicum nutritorem te decet intentum esse, & alios huiusmodi, [a] qui (seruilem (vt aiũt mulieres) capillum adhuc in animo præ rusticitate circumferunt nec dum illum abiecerunt,) rempublicam tamen tractare aggredientur adhuc barbariem redolentes: atque ita affecti prodeunt adulaturi ciuitati, non autem imperaturi. In istos inquam, intuentem te, num de teipso secutum esse decet, neque discere quæcunque ad eruditionem pertinent,

[a] *Proverbiale loquendi genus.*

cùm

cùm sis tantum certamen aditurus, neque in quibus oportet exercerì, & quæ sunt præparanda parare, vt ita institutus ciuilem tãdem administrationem capessas? ALC. O Socrates, vera mihi dicere videris. Arbitror enim Lacedæmoniorum duces regémque Persarum nihilo ab aliis discrepare. SOC. At, ô vir optime, animaduerte quæso, qualis hæc sit opinio tua. ALC. Qua in re? SOC. Num te existimas diligẽtius tui ipsius curam habiturum, si illos tanquã potentissimos esse credens, formides, an si minimè eos timeas? AL. Si potẽtes illos existimauero. SOC. An censes curã quam tute de te habes, alicubi tibi posse nocere? AL. Nullo modo: at contrà, maximè prodesse. SOC. [a] Vnum quidem hoc imprimis tantum malum ista tua opinio habet. ALCIB. Vera dicis. SOCR. Secundum verò, quòd falsa sit, quod ita tibi probabile efficitur. ALCIB. Quomodo? SOCR. Vtrùm consentaneum est, meliores esse naturas[b] nobili in genere, quàm ignobili? ALC. Manifestum quòd in nobili. SOCR. Nónne bene nati, si bene etiam educantur, ita demum ad virtutem perueniunt? ALC. Necesse est. SOC. Consideremus itaque illis nostra comparantes: primùm quidem, vtrùm Lacedæmoniorũ Persarúmq; reges ignobiliori, quàm nos genere orti videantur.[c] An ignoramus illos quidem ab Hercule, [d]hos autem ab Achemene genus ducere? Herculis autẽ, & Achemenis origo ad Persem Iouis filium refertur. ALC. Et[d] nostrum quidem, ô Socrates, in Euryfacem, Eurysacie in Iouem. SOC. Atqui nostrũ ô generose Alcibiades, in Dædalum etiam, Dædalus autẽ in Vulcanum Iouis filium. Verùm istorũ maiores ab

[a] *Contẽptus aduersariorum quo laborabat Alcibiades, & nociturus erat ipsi plurimũ & præterea falsus fuit.*

[b] *In nobili genere meliores esse naturas consentaneũ est quàm in ignobili.*

[c] *Lacedæmoniorũ reges genus vnde ducunt.*

[d] *Persarum item, vnde.*

[e] *Alcibiades ad Eurysacem genus suum referebat.*

[f] *Socratis genus à Dædalo.*

iis incipientes, reges sunt ex regibus vsque ad Iouem. Illi quidem Argiuorum & Spartæ. Hi verò Persidis semper, sæpe etiam, vt nunc, Asiæ. Nos autem maiorésque nostri priuati. Quòd si te oporteret progenitores ac patriam Eurysacis ostendere Salaminam, vel Æaci etiam prioris Æginam Artaxerxi Xerxis filio, quo te prius exceptum iri putas? Sed vide, ne & generis dignitate, & educatione præterea, illis inferiores simus. Nūquid audisti quanta sit Lacedæmoniorum regum dignitas? quorum vxores publicè obseruātur ab Ephoris, vt quoad fieri potest, rex non ex alio, quàm Heraclidarum genere latenter oriatur. Persarum verò rex adeò excellit, vt nemo suspicetur regem ex alio quam ex ipso genitum esse: quamobrem regis vxor nō ab alio, quàm metu custoditur. Postquàm verò natus est primogenitus qui succedit in regno, primò quidem eum diem omnes qui sub regno sunt celebrant, atque ita in posterum quotannis natalem regis diem factis ac festis omnis Asia colit. Cùm verò apud nos quis nascitur, ne vicini quidem, vt ait Comœdus, sentiunt, ô Alcibiades. Deinceps nutritur puer, non à muliere nutrice parum honorifica, verùm ab eunuchis, qui reliquorum circa regem optimi videantur, quibus & alia, quæ spectant ad curam pueri demandantur, ac præcipuè, vt natum quàm pulcherrimum reddant, componentes membra eius atque dirigentes. Atq; hæc facientes magno in honore habentur. Cùm autem pueri septimum ætatis annū impleuerunt, ad equestris artis magistros proficiscuntur, deinde in venationem tendunt. Anno verò quartodecimo puerū suscipiunt hi,

a *Lacedæmoniorum regum dignitas.*

b *Cirrea Persarum regis liberos quāta cura adhibeatur.*

c *Apud Persas regū pædagogi qui.*

hi quos regios pædagogos appellant. Sunt ij præfectò ex omnibus Persis ea ætate electi præcipuíq; quatuor, sapiétissimus, iustissimus temperatissimus, atque fortissimus aliquis vir. Quorum primus[a] magica Zoroastri Oromasij filij docet: est autem illa deorum cultus: atque idem tradit institutа regia. Secundus admonet, vt in omni vita sit verax. Tertius ne vlla cupiditate superetur, vt liber viuere consuescat, ac reuera rex imperans iis ante omnia quæ in ipso sunt, nec vlli seruiens. Quartus denique impauidum illum, & intrepidũ reddit, nequando quippiam metuens seruus fiat. Tibi autem, ô Alcibiades, Pericles adiunxit pædagogum Zophirum Thracem, omnium seruorum suorum præ senio inutilissimum. Narrarem præterea tibi reliquam educationem, & disciplinam aduersariorum tuorum, nisi longum sit. Iam verò satis hæc clara sunt ad cætera quæ hinc sequuntur ostendenda. Tuæ verò aliorúmue Athenienſium generationis, educationis & disciplinæ nulli, vt ita dicam propinquorum cura est, nisi fortè amatores id curent. Iam[b] verò diuitias, delicias vestium luxuriosum ornatum, vnguentorum odores, ministrorum sequentium turbam, reliquámque Persarum mollitiem, si considerare voles, pudebit te tui vbi intelliges quantum ab illis relinquare. Contrà[c] si considerare Lacedæmoniorum temperantiam, modestiam, facilitatem, mansuetudinem, magnanimitatem, moderationem, compositionem, fortitudinem, constantiam, tolerantiam, victoriæ cupiditatem, & amorem gloriæ, velis, puerum te iis omnibus in rebus iudicabis. Si quid prorsus opulentiæ tribuis, & hîc aliquis esse

[a] *Magicæ Zoroastri deorum cultus est.*

[b] *Persarum delicia, luxus & mollities.*

[c] *Lacedæmoniorum insititia.*

putas, neque hæc à nobis silentio prætereantur. Modò sentias vbinam sis, & Lacedæmoniorum diuitias intuearis, cognosces profectò nos ab illis longè admodũ superari. Quicquid enim, aut sui agri, aut Messanienſis possident, nemo vtique dubitet, quin amplitudine & vbertate ac seruorum, tam aliorum, quàm Elotorum frequentia, & equorum prætereà, aliorúmque pecorum, quæ fert Messania, copia nostros superet. Cæterùm hæc omnia in præsentia omitto. Auri verò & argenti apud [a] Lacedæmonas copia tanta, quantam ne vniuersa quidem reliqua Græcia possidet. Multa enim iam secula inferetur quidem illuc ex vniuersa Græcia, sæpe etiam ex Barbaria, effertur autem nusquam. Sed reuera quemadmodum in Æsopi fabula vulpes leoni dixit de ferarum vestigiis, sic & nummorum vestigia ingredientium Lacedæmonem trita quidem in puluere videntur, egredientium verò nusquam apparent. Vnde coniectare licet Lacedæmonios auri atque argenti Græcorum omnium esse ditissimos. Quinetiam rex illorum pecuniosissimus. Ex iis enim maxima pars ad ipsum peruenit. Tributum præterea regi pergrande impenditur. Et res quidem Lacedæmoniorum quo ad reliquos Græcos, amplæ, quo ad verò Persas regésque Persarum, angustæ. [b] Retulit quippe nobis vir quidam grauis, vnus eorum qui ad Persarum regem profecti erant, se quandoque integrum penè diem, latam ac fertilem peragrasse prouinciam, quam incolæ vxoris regiæ Zonam appellarent: esse quoque aliam nomine Calyptram, atque ita multas alias regiones pulchras ac fertiles ad ornatum reginæ solius pertinere, nominúmque singulis locis à singulis ornamen-

[a] *Lacedæmone ingens auri copia.*

[b] *Persarum opes.*

ornamentis expositа esse. Quam ob rem, opinor, siquis Amastridi Xerxis quidem vxori, regis autem matri dicat, Dinomaches filium in animo habere, cum ipsius filio contendere, cum Dinomachæ mundus ad summum quinquaginta fortasse sit minarum, filio verò agri plethra in Erchiasis minus, quàm trecenta, eam admiraturam qua re fretus Alcibiades audeat cum Artaxerxe contendere Reórque illam arbitraturam hunc virum in nulla alia re, nisi diligentia sapientiáque confisum id aggredi: & quippe solo apud Græcos æstimatione digna esse. Quod si inelligat alicunde, Alcibiadem istum, certamen tantum inire, primò quidem nondum viginti annos prorsus natum, deinde omnino indoctum, nec amatori suo, monenti, vt prius discat curámque adhibeat, seséque exerceat, quàm tantum regem inuadat obedientem, ac dicentem [se vt nunc est, satis instructum, ad contentionem illam sui cum illius filio rege Persarum, suscipiendam:] arbitror illam admiratione concitam, interrogaturam, quidnam sit quo adolescens iste cõfidat. Cui si respõderemus, pulchritudine, proceritate, nobilitate, diuitiis, animo te fidere, nos, ô Alcibiades, insanire putaret arbitror, hæc apud suos omnia potiora sciens. Eodémq; modo Lampidonẽ Leotychidæ filiã. Archidami verò vxorẽ, Agidis autẽ matrẽ qui omnes reges extitere, miraturã, cùm norit, qualia circa se sint, te tã malè instructũ cũ filio suo non dubitare [in certamẽ & cõtentionẽ descẽdere.] Atquinõne turpe videtur, si hostiũ mulieres rectius iudicẽt, quàm nosmetipsi, quẽad modũ contra illos accingi debeamus? a Cæterũ, ô beate mihi obsequẽs, & illi quod in Del-

a *Adhortatur Alcibiadem Socrates, vt seipsum cognoscat.*

phis est, elogio obtemperans, nosce teipsum: quoniam ij sunt aduersarij nostri, non quos ipse rebaris, quos quidem nulla re alia, nisi industria, & arte superare licet. Quibus profectò si inferior fueris, gloria quoque apud Græcos, & Barbaros tibi deerit: quam sic ardenter videris appetere, vt nemo vnquam aliquid ardentius concupierit. ALCIB. Quam igitur curam adhibendam censes, ô Socrates? An potes ostendere? Mihi enim suprà quàm dici possit, vera dixisse videris. SOC. Posstum quidem, verum communi consilio opus est, qua ratione quàm optimi efficiamur. Ego enim non te tantùm, verùm etiam me ipsum disciplina indigere dico. Nam vnum solum est, quo à te differo. ALC. Quid? SOC. Curator meus melior est & sapientior, quàm tuus Pericles. AL. Quis hic, ô Socrates? SOC. a Deus, ô Alcibiades, qui me vetuit ante hunc diem tecum differere, cui credens, asserò te per nullum alium, quàm per me claritatem consecuturum. AL. Iocaris, ô Socrates. SOC. Forsitan, vera tamen loquor, quòd vterque curatione indigemus, imò homines vniuersi, cæterùm nos quàm plurimum. AL. Quòd quidem ego indigeam, haudquaquam falleris. SOC. Neque etiam quòd ego ipse. ALC. Quid igitur agendum? SOC. Nec hæsitandum, neque etiã mollitiæ indulgendum est, ô amice. AL. Non decet, ô Socrates. SOC. Non certè, sed in commune considerandum. Verùm dic mihi, an optimi esse volumus? AL. Certè. SOC. In qua facultate? ALC. Qua videlicet viri boni. SOCR. Quánam in re boni? AL. In rebus agendis. SO. In quibus? num in re equestri? AL. Non. SO. Ad equites enim iremus. AL. Profectò. SOC.

a *Deum, hic appellat quẽ supra dæmonium.*

Nunquid

Nunquid in nauis gubernatione dicebas? AL. Nequaquam. SOCR. Ad nautas enim iremus. AL. Iremus. SOC. In quo ergo negotio, & quorum hominum officio? AL. In iis quæ clarè boníque Athenienſium viri agunt. SO. Claros ac bonos, prudentéſne, an imprudentes appellas? AL. Prudentes. SO. In quo vnuſquiſque Sapiens eſt, in eodem bonus eſt. AL. Certè. SOC. Inſipiens autem malus? AL. Malus. SO. Calceorum ſutor ſapiens ad calceorum opus? ALC. Prorſus. SOC. Bonus ergo ad hæc? AL. Bonus. SOC. Quid verò veſtibus conficiendis, nónne ſutor hic imprudens? AL. Ita. SOC. Malus ergo ad hæc? AL. Ita. SOC. Idem itaque ſecundum hanc rationem etiam bonus atque malus erit. AL. Videtur. SO. An dicis viros bonos malos etiam eſſe? ALC. Nequaquam. SO. Quos tandem bonos vocas? AL. Eos qui in ciuitate imperare poſſunt. SO. Non tamen equis? AL. Non certè. SOC. At hominibus? AL. Hominibus. SOC. Num hominibus ægrotantibus? AL. Non. SOC. An fortè nauigantibus? AL. Non iis dico. SOC. Metentibúſne? AL. Neque his. SOC. Aliquidne vel nihil facientibus? AL. Facientibus. SOC. Quidtandem facientibus? id mihi declara. ALCI. Commercia inquam agitantibus, atque mutua opera vtentibus quemadmodum in ciuitatibus ætatem agimus. SOC. Nunquid imperare eos dicis hominibus, qui hominibus vtuntur? ALCIB. Aio. SOC. An gubernatoribus qui remigibus vtuntur? ALC. Non SOC. Hæc enim gubernatoriæ facultatis virtus eſt. AL. Eſt. SOC. Fortaſſe imperare dicebas tibicinibus, qui canentibus præſunt, choreiſque vtuntur. ALC. Neque his. SOC. Hoc

namque ad facultatem chori magistram pertinet. AL C. Omnino. SOC. Quid denique vocas imperare posse hominibus qui vtuntur hominibus? AL C. Imperare hominibus communicantibus inuicem [ciuitatis communitate] atque commerciis. SOC. Quænam hæc ars est? quemadmodum si te iterum rogem, quæ facultas efficit, vt præesse naui gando communicantibus sciamus? AL. Gubernatoria. SOC. Communicantibus autem in cantu, vt paulò antè dicebatur, quæ scientia præesse docet? AL. Quam tu nuper aiebas, chori disciplina. SOC. Ciuitate verò communicantibus, quam scientiam vocas? AL. Boni consilij facultatem, ô Socrates. SO. Num tibi videtur gubernatorum ars carere consilio? AL C. Minimè. SOC. Est ipsa quoque bonum consilium. AL. Mihi sanè videtur. SOC. Ad nauigantium salutem. AL. Rectè loqueris. SOC. Quod verò bonum consilium vocas, quò spectat? AL. Ad meliorem ciuitatis institutionem salutémque. SOC. Quánam re præsenti, vel absente melius disponitur atque seruatur? Ceu si ipse me rogres, quo præsente, aut absente bene se habent corpora: responderem vtique sanitate præsente, morbo verò remoto. Idem & tu existimas? AL C. Idem. SOC. Quòd si idem quæras de oculis, eadem ratione respondebo, pulsa cęcitate, quum adest visus. Et aures curari fugata surditate, quum adest auditus. AL. Rectè. SO. [a] Ciuitas autem quo remoto, quóue adhibito melior fit, ac melius instituitur? AL. Mihi videtur, ô Socrates, quando amicitia est inter ciues: odia verò & seditiones absunt. SO. Amicitiam vocas consensionem an dissensionem? AL. [b] Consensionem. SO. Per quam artem ciuitates, circa

[a] *Amicitia fouet & conseruat ciuitates.*

[b] *Amicitiæ definitio.*

ca numeros consentiunt? A L. Per arithmeticam. SO. Priuati verò, an non propter eandem? A L. Nempe. SO. Et vnusquisque secum ipse? A L. Certè. SO. Per quam artem quisque secum ipse consentit de palmo, & cubito vter maior sit? nónne per metiendi peritiam? A L. Quidni? SO. Nónne scilicet priuatim & publicè. A L. Imò. SO. Et de ponderibus eodem pacto. A L. Assentior SO. Consensus igitur, quē dicebas quisnam est? circa quid? quæ ars eum præstat? Etenim iste consensus talis est, vt insit Reipubl. & priuato vnicuique ad seipsum, & ad alios. A L. Consentaneum. SO. Quis igitur est? ne pigeat respondere, ac promptè dic. A L. Reor equidem esse amicitiam, & consensionem qua pater, ac mater filium, & frater fratrem, & vxor virum amantes consentiunt. SO. Putásne, ô Alcibiades, virum cum vxore circa lanificium conuenire, imperitum cum perita? A L C. Nequaquam. SOCR. Neque oportet quidem: muliebris enim hæc disciplina est. A L C I B. Profectò. SOC. Quid verò mulier cum viro circa opus militare conueniet, cùm id haudquaquam didicerit? ALCIB. Minimè. SOC. Virile enim id rursus esse dicere. ALCIB. Equidem. SOC. Sunt ergo disciplinæ quædam mulierum, quædam virorum, iuxta hanc sententiam tuam. ALC. Quidni? SOCR. In iis itaque mulieribus, cum viris consensus est nullus. ALCIB. Nullus. SOCR. [a] Neque amicitia igitur: siquidem amicitia consensio quædam est. ALCIB. Non videtur. SOCR. Idcóque quatenus mulieres officia sua exercent, non amantur à viris. ALC. Non apparet. SOCR. Neque viri etiam à mulieribus, dum virilia tractant. AL. Non. SOC.

[a] *Duæ proximè positæ theses quarũ vna quid esset Amicitia, altera Amicitia fœueri ciuitates affirmabat, refelluntur.*

Non ergo tunc optimè ciuitates instituuntur, cùm singuli operibus suis incumbunt. AL. Ego tamen id, ô Socrates, arbitror. SOC. Quomodo hoc ais amicitia sublata, qua præsente confessi sumus bene constitui ciuitates, aliter verò contrà? AL. Atqui mihi videtur ob hoc inter homines consistere amicitiam, quòd quisque suum officium exequatur. SOC. Atqui aliud paulò antè dicebas: nunc autem quo pacto rursus ais consensione adhibita amicitiam fieri, an potest circa hæc consensus existere, quorum ij quidem periti, ij verò imperiti sunt? AL. Fieri non potest. SOC. Iustane an iniusta faciunt, cùm singuli quæ ad se attinent, exequuntur? AL. Iusta profectò. SOC. Iustè igitur agentibus ciuibus, in ciuitate non est amicitia. ALCIB. Necessarium hoc itidem videtur, ô Socrates. SOC. Quam itaque dicis amicitiam siue consensionem, circa quam nos sapientes, & consultores esse oportet, vt boni viri simus? Neque enim percipere possum quænam sit, aut quibus in rebus existat: cùm ex oratione tua interdum in eisdem inesse, nonnunquam ab eisdem abesse videatur. ALCIB. Per Deos, ô Socrates, ne ipse quidem quid dicam, intelligo: videórque iampridem ignorasse me in turpissimo statu esse. SOCR. Confidere decet. [a] Nam si hoc demum animaduertisses, annos quinquaginta natus, arduum sanè foret teipsum curare: nunc verò in ea es ætate, in qua id aduertere decet. ALC. Quid igitur hoc aduertentem facere oportet? SOC. Respondeo ad ea quæ interrogabo te, Alcidiades. Quòd si feceris, ac Deus voluerit, si qua modò fides meis est vaticiniis adhibenda, tu simul, & ego

[a] *Desperabundũ Alcibiadem, quod se ita tractari videret, & misèrè redargui erigit Socrates, & bono animo esse iubet.*

& ego melius habebimus. AL. C. Ita erit quod ad me respondentem attinet. SO. Age,[a] quid est seipsum curare, ne sæpe nosipsos fallamus, non curantes nosmetipsos, cum belle curare putemus. Et quando id homo facit, non quoties suorum, toties & sui curam habet? AL. Mihi quidem videtur. SOC. Quid? num pedes tunc quis curat, cùm ea quæ pedum sunt curat? AL. Non intelligo. SOC. Dicisne esse aliquid ipsius manus, quemadmodum annulus est? Num alterius membri, quàm digiti annullum esse censes? AL. Minimè. SOCR. Et pedis calceum eôdem modo? ALCIBIAD. Ita. SOCR. Cùm calceorum curam gerimus, num & pedum cura est? ALC. Haud multum intelligo, ô Socrates. SOCR. Quid verò, ô Alcibiades, vocáne aliquid rectam alicuius curationem? AL. Voco. SOC. An non cum quid melius fit, tunc rectè curatum dicis? AL. Dico. SOC. Quæ ars calceos meliores efficit? AL. Cerdonica. SOC. Cerdonica igitur calceorum curam habemus? AL. Hac ipsa. SOC. Nunquid & pedes etiam cerdonica? vel ipsa potius qua pedes reddimus meliores? AL. Illa. SOC. Pedes autem meliores, nónne qua & reliquum corpus? AL. Videtur. SOC. Hæc nónne gymnastica? AL. Maximè. SOC. Ergo gymnastica pedes curamus, cerdonica vero illa quæ pedum sunt. AL. Prorsus. SOC. Et gymnastica quoque manus, annularia vero illa, quæ sunt manuum. AL. Sic est. SOC. Et gymnastica corpus, textoria autem & aliis facultatibus, ea quæ corporis sunt. AL. Omnino. SOC. Alia igitur arte vnumquodque, alia quę illius sunt, curamus. AL. Videtur. SOC. Non ergo cùm

[a] *Quid sit seipsum curare.*

sua quis, tunc etiam se curat. AL. Nullo pacto. SOCR. Non enim eadem ars, vt videtur, quæ nos, & quæ nostra curat. AL. Non apparet. SO. Age itaque quandam arte nosipsos curare possumus? AL. Non habeo quid dicam. SO. At hoc tamen inter nos conuenit, quòd non quæ nostrorum aliquid melius efficimus, nos curamus: verùm qua nosipsos ad melioré frugẽ corrigimus. AL. Vera narras. SO. Nósne vnquã licet, quæ ars meliorem faciat calceum, nisi calceum ipsum nouerimus? AL. Fieri nequit. SO. Neque etiam quæ anulum efficit meliorem, ignorantes anulum. AL. Verum. SOCRAT. [a] Sciműsne vnquam qua arte meliores euadamus, quandiu nosipsos ignoramus? AL. Nunquam. SO. Vtrùm facilè [b] quiddam sit seipsum cognoscere, ac ridiculus fuerit, qui templo Apollinis id inscripsit, an potius arduum quippiam, nec cuiusuis hominis est? AL. Mihi quidem, ô Socrates, aliquando visum est facile, & cuiusuis esse, nonnunquam verò omnium difficilimũ. SO. Sed siue facile hoc sit, ô Alcibiades, siue difficile, nobis sanè sic se habet, vt hoc intelligentes, etiam qua ratione curandi sumus, intelligamus: ignorantes verò contrà. AL. Est vt dicis. SO. Age, quomodo illud ipsum inueniemus: sic enim fortassis quid simus ipsi inuenire poterimus. At hoc ignorãtes nunquam. AL. Rectè loqueris. SO. Attende ergo per Deum, cùm alióne, quàm mecum tu disputas? AL. Tecum. SO. Et ego nónne tecum? AL. Et tu mecum. SO. Socrates igitur est qui disputat. AL. Est. SOCR. Alcibiades verò qui audit. AL. Ita est. SOCR. Nónne ratione Socrates disputat? AL. Quídni? SOCR. [c] Disputare autem & ratione vti, idem quodammodo

[a] *Homo sui curam gerere rectè non potest, nisi seipsum cognoscat.*

[b] *Seipsum cognoscere difficillimum.*

* αὐτὸ τὸ αὑτὸ, quidã significari volunt Deum ipsum, sed simplicius fuerit, & magis ex mẽte Platonis vt ex sequentibus coniicere licet, id referre ad illã partẽ animæ quæ excellit, quæ verè est ipsa Anima, & diuina est, & qua cognita Anima seipsã cognoscit, ac proinde etiã homo seipsũ cognoscit.

[c] *Disputare & ratione vti idem.*

do vocas? ALCIB. Idem. SOCR. Vtens autem & quo vtimur, nónne aliud? ALCIB. Quomodo dicis? SOC. Quemadmodum cerdo incidit quidem circulari, & semicirculari organo, atque aliis instrumentis. ALCIB. Est vt dicis. SOC. Nónne aliud quiddam est qui diuidit, & quo diuiditur quicquam? ALC. Quidni? SOCR. Item aliud citharœdus, aliud quo citharam pulsat? ALCIB. Aliud. SOCR. Hoc paulò antè interrogabam, an vtens & quo vtitur, semper aliud esse videatur? ALCIB. Videtur. SOCR. Cerdonem incidere dicimus instrumentis tantùm, an etiam manibus? ALCIB. Et manibus. SOCR. Et iis ergo vtitur. ALCIB. Vtitur. SOCR. An non & oculis vtens coria incidit? ALC. Prorsus. SOCR. Vtentem verò aliud quiddam ab iis quibus vtitur, esse concessimus. ALC. Concessimus. SOCR. Cerdo igitur & citharœdus aliud quiddam sunt, quàm oculi & manus quibus vtuntur. ALC. Apparet. SOCR. Nónne toto corpore homo vtitur? ALC. Penitus. SOCR. Aliud vtique vtens, & quo vtitur. ALC. Sic est. SOCR. Homo ergo à suo corpore aliud est. AL. Videtur. SO. Quid est igitur homo? AL. Ignoro. SO. Scis esse quod corpore vtitur. AL. Scio so. Aliúdne vtitur ipso, quàm anima? AL C. Nihil aliud. SO. An non imperans? AL C. Imperans. SO. Quinetiam neminem hoc aliter æstimaturum puto. ALC. Quidnam? SO. Quin ex tribus, vnum aliquid homo sit. ALC. Ex quibus? SOC. Aut animam videlicet, aut corpus, aut totum ipsum ex vtrisque cõpositum. AL. Quidni? SO. Veruntamen id quod imperat corpori, hominem esse confessi sumus. AL C. Confessi

[a] *Aliud est id quod vtitur, & quo vtitur.*

[b] *Homo aliud quam corpus suũ.*

sumus. SOC. Quid igitur homo? Num sibiipsi corpus imperat? AL. Nullo modo. SOCR. Subiici enim illud diximus. AL. Certè. SOC. Non est igitur hoc quod quærimus. ALCIB. Non vt videtur. SOC. At vtrunque simul forsitan corpori dominatur, atque id homo est. AL. Fortè. SOC. Imò minimè omnium: nam altero illorum non [dominante, nulla ratione effici potest,] vt simul vtrunque dominetur. AL. Rectè loqueris. SOCR. Cùm verò nec corpus, nec simul vtrunque sit homo, restat vt arbitror, [a] aut nihil omnino hominem esse, aut si quid est, nihil aliud, quàm animam esse. AL. Prorsus. SOC. Adhúcne liquidius monstrari tibi oportet, animam esse hominẽ? AL. Non per Iouem: hæc enim sufficere mihi videtur. SOC. Et si non in integrum hæc discussa sunt, mediocriter tamen inducta in præsentia sufficiunt. Nam tunc demum penitus compræhendemus, cùm inuenerimus quod nunc, quia ampliorem indagationem requirebat, prætermisimus. AL. Quid istud? SO. Paulò antè sic est dictum, quòd prius considerandum sit * ipsum idem, nunc verò pro eo quod quidem est ipsum idem, cõsiderauimus ipsum * vnumquodque quid est. Idq; fortè sufficiet. Nihil enim in nobis ipsis esse maius, quàm animam dicere possemus. AL. Non certè. SOC. Nónne sic putandum est, me scilicet ac te [simul colloqui sermonibus inuicem vtentes anima *vid. mea* animam *vid. meam* alloquente] AL. Et maximè quidẽ. SO. Hoc itaq; erat quod paulò antè dicebamus, quòd Socrates cum Alcibiade disputat, oratione vtens non ad personam tuam, vt apparet, sed ad Alcibiadem verba dirigens: hoc autem anima est. AL. Mihi sanè vi-

[a] *Homo non aliud est quàm anima.*

* αὐτὸ τὸ αὐτὸ vid supra.

* αὐτὸ τὸ ἕκαστον videtur autem intelligere totum concretum ex suis partibus, & accidentibus cui oppositum est αὐτὸ τὸ αὐτὸ. Forma ipsa pura puta qua vnaquæque res est id quod est.

nè videtur. SOC. Animam igitur nosse iubet, qui præcipit, Nosce teipsum. AL. Videtur. SO. Quicunque igitur corpus cognoscit, sua quidē, non seipsum nouit. AL. Sic est. SOCR. Atque ideo nullus medicus, vt est medicus, neque gymnasticus, vt gymnasticus, sese nouit. AL. Non vt videtur. SOC. Multò minus agricolæ aliique opifices se cognoscunt: neque enim se, neque sua, sed remotiora quædam artium suarum expendunt: iis enim intenti sunt, quibus corpus curatur. AL. Vera narras. SOC. Quare si prudentia est seipsum nosse, nullus istorum secundum suam artem est prudens. AL. Non vt videtur. SOC. Ob hoc mechanicæ artes istę, non autem boni viri disciplinæ videntur. AL. Prorsus. SO. Nónne rursus quicunque corporis curam habet, sua quidem, non seipsum curat? AL. Apparet. SO. At verò cui pecuniæ curæ sunt, nec se, nec sua, sed quæ procul à suis sunt, curat. AL. Videtur. SO. Non ergo suis rebus studet, qui pecunias cumulat. AL. Rectè. SO. Quisquis etiam corpus Alcibiadis amauit vnquam, non Alcibiadem ipsum, sed quæ Alcibiadis essent, amauit. ALC. Vera loqueris. SOC. Qui verò te amat, amat animum. AL. Necessariò sequi ex ratione tua videtur. SOCR. Nónne tui corporis amator, cùm primùm species defloruerit, abiens deserit? AL. Apparet. SOC. At verò [a] qui animum tuum diligit, nunquam deserit, donec ad meliorem frugem peruenias. AL. Consentaneum. SO. Hanc ego ob causam te minimè desero, verùm in amicitia perseuero, reliquis senescente corpore abeuntibus. AL. O quam bene facis, mi Socrates! ne in posterum me deseras obsecro. SOCR. At enitere, vt quàm pulcherrimus fias.

a. *Amare Alcibiadu animum se profitetur Socrates.*

AL. Conabor. SOCR. Sic se tua res habet: nec fuit vnquam, nec est, vt opinor, Alcibiadis Clíniæ filij amator vllus præter vnum & illum quidem amabilem Socratem Sophroniſci & Phænaretæ filium. AL. Vera dicis. SOCR. Nónne dixisti me aliquantulum præueniſſe, cùm te salutatũ veniſſem? nam statuiſſe te qui prior meipsum conuenires, interrogaréſque quamobrem solus ego te non reliquerim. ALC. Sic erat. SOCR. Hæc proculdubio causa, quoniam amator tui solus eram, cæteri verò tuorum. Tua sanè labuntur tempore, tu autem nunc primùm floreſcis: ac deinceps quidem niſi ab Athenienſi populo corrumparis, ac turpior euadas, nunquam te deſeram. id enim vehementer timeo, ne amator populi factus nobis corrumparis. Multis enim & ingenuis quidem apud Athenienſes id vſu venit. Nam [ſpecioſo vultu eſt & formæ illecebris valet] magnanimi Erechthei populus: ſed illum nudatum cõtueri oportet. Adhibe igitur hanc quam dico cautionem. AL. Quam? SOCR. Exue illũ prius, ô beate, ac diſce quæcunque ſcienda ſunt: antequam tractentur ciuilia, aut rempubl. adeas, ferens tecũ alexipharmacum, ne quid aduerſi patiaris. AL. Bene mihi dicere videris Socrates: verùm conare iam nobis exponere, qua ratione noſmetipſos curemus. SOCR. Nónne ſatis iam à nobis in ſuperioribus definitũ eſt? Quid enim ſimus, communi conſenſu definimus. Timebamus enim ne in hoc decepti noſipſos forſitan falleremus, alicuius alterius, nó noſtri curam habentes. AL. Eſt vt dicis SOC. Deinde conceſſum eſt animæ curam habendam, ſempérque ad ipſam reſpiciendum. AL. Manifeſtum eſt. SOC. Corporum verò pecunia-

niarúmque curam aliis relinquendam. AL. Quídni? SOCR. Quónam igitur pacto ista perspicuè noſceremus, ſiquidem hoc intellecto nos quoque ipſos intelligimus? an fortè per deos Delphicã illam inſcriptionem rectè monentem, cuius ſuprà mentionem fecimus, nõdum intelleximus? AL. Qualem? Quídnam cogitas, quum ſic loqueris, ô Socrates? SO. Dicam tibi quid ſuſpicer hanc inſcriptionem nobis conſulere. neque verò paſſim cius exemplar, ſed in viſu ſolum inueniri poſſe videtur. AL. Quomodo id ais? SOC. Conſidera tu quoque, ſi oculo noſtro quemadmodum homini conſuluiſſet, Vide teipſum quomodo id admonuiſſe putemus? nónne vt in illud inſpiceret oculus, ex cuius intuitu ſeipſum viſurus eſſet? AL. Conſtat. SO. Conſideremus itaque in quid potiſſimùm intuentes, illud ſimul ac noſipſos videremus. AL. Sine dubio, Socrates, in ſpecula, & alia huiuſmodi. SOCR. Rectè loqueris: ſed oculo quo videmus, an non ineſt huiuſmodi quiddam? AL. Valde. SOCR. Num aduertiſti quòd facies hominis in oculum intuentis in oppoſiti viſu relucet velut in ſpecule, quam *ſummam vocamus pupillã, ſimulachrum inſpicientis exiſtens? AL. Aduerti. SO. Oculus igitur ita demum ſeipſum cernit, cùm in oculum inſpicit, in ſdque præterea intendit, quod oculi optimũ eſt, & quo oculus ipſe videt. AL. Apparet. SO. Si autẽ in aliud quoddã hominis mẽbrum reſpexerit, vel in quoduis aliud, præterquã id cuius hoc eſt ſimile, haudquaquã ſeipſum percipiet. AL. Verũ. SO. Oculus ergo cũ ſeipſum viſurus eſt, in oculũ reſpicere debet, atque in eũ oculi locũ, in quo virtus eſt oculi. Is autem viſus atque pupillæ acies eſt.

* κόρη.

AL. Sic est. SO. Eodem pacto & anima, ô Alcibiades, [a] si seipsam noscere vult, in animam intueatur, in eúmque præcipuè locum animæ, in quo ineſt virtus animæ, ſapientia, & in aliud cuius hoc eſt ſimile. AL. Mihi quidem videtur, ô Socrates. SOC. Num reperire poſſumus quippiam in anima diuinius illo, circa quod intelligentia ſapientiáq; verſatur? AL. Nequaquam. SOCR. Id igitur animæ [b] diuini ſimile eſt, in quod ſanè qui intuens, & omne diuinum, Deum ſcilicet & ſapientiam cernens, ita & ſeipſum agnoſcet. AL. Apparet. SOCR. Seipſum verò cognoſcere, prudentiam eſſe concedimus. AL. Prorſus. SO. Si autem nec nos ipſos cognoſceremus, nec prudentes eſſemus, poſſemúſne noſtra ſeu mala, ſeu bona eſſe? AL. Quomodo poſſet fieri, ô Socrates? SOC. Impoſſibile tibi fortè videtur, quenquam qui non norit Alcibiadem, tamen quæ Alcibiadis ſunt, quòd ſint Alcibiadis noſſe? AL. Impoſſibile per Iouem. SO. Nec noſtra quòd noſtra ſint, niſi prius noſipſos? AL. Nullo modo. SO. Si noſtra ignoremus, nec ea quæ noſtrorum ſunt intelligimus? AL. Non, vt videtur. SO. Non igitur rectè omnino conſenſimus, cum ſuprà quoſdã eſſe aſſereremus, qui ſe ignorãtes, ſua tamẽ dignoſcerẽt. Atqui nec ea etiã quæ ſuorũ: hæc enim cũcta dignoſcere, vnius atq; eiuſdem artis officium eſſe videtur, ſeipſum ſcilicet, & quæ ſua ſunt & quę ſuorũ ſunt noſſe. AL. Videtur. SOC. At qui ſua ignorat, ignorat itidem & aliena. AL. Quid ita? SOCR. Num igitur ſi aliena, etiam quæ reipubl. ſunt, ignorabit? AL. Neceſſe eſt. SOCR. Nunquam ergo vir iſtiuſmodi ciuilis ſit. AL. Non certe. SOCR.

Nec

[a] *Anima ſeipſam cognoſcit quando optimã ſui partem, in qua ſita eſt ſapietia intuetur.*

[b] *Vide quæ ſupra ad vocem illam αὐτὸ τὸ αὐτὸ annotauimus.*

[c] *Qui ſeipſũ nõ cognoſcit nec ſua nec ea quæ aliorum ſunt poteſt rectè cognoſcere.*

Nec œconomicus etiam. AL C. Neque hoc. SOCR. Nec quod agit, intelliget? AL. Minimè. SOC. Ignorans autem, nónne errabit? AL. Maximè. SOCR. Qui aberrat, an non malè aget, & priuatim & publicè? AL. Quídni? SO. Malè agens, nónne miser? AL. Et maximè quidem. SOCR. An verò & ij quibus cum hæc agit? AL. Et hic quoque. SOCR. Nemo [a] itaque felix esse potest, nisi sapiens bonúsque sit. AL. Nemo. SOCR. Sequitur, vt mali homines miseri sint. AL C. Apprimè. SOCR. Non ergo qui diues sit, sed qui prudẽs, miseriam vitat. AL. Videtur. SOCR. Quamobrem nec mœnibus, nec nauibus, triremibúsque, atque naualibus, ô Alcibiades, nec multitudine, nec amplitudine absque virtute ciuitas ad[b] felicitatem opus habet. AL C. Non profectò. SOCR. Si rectè & præclarè ciuitatem gubernaturus es, virtute imbuendi sunt ciues. AL C. Quídni? SOCR. Num dare quis potest aliis, quod ipse non habet? AL C. Qui possit? SOCRAT. Ergo virtute prius ornatus ipse debet esse, quicunque non sibi tãtùm ac suis, sed reipubl. etiam & iis quæ ad eam spectant imperaturus est? AL. Vera dicis. SO. Nec igitur principatus, neque licentia quodlibet faciendi aut tibi, aut reipubl. verùm iustitia potius & prudentia comparanda. AL. Apparet. SOCR. Iustè enim ac prudenter agentes, & tu simul & tua respubl. [c] Deo gratum opus facietis. AL. Decet. SOCR. Et sic quemadmodum suprà diximus, in diuinum splendorem intuentes agetis. AL. Videtur. Quinetiã illuc respiciẽtes vosmetipsos vestráque bona perspicuè discernetis. AL. Certè. SOC. Ergo etiã rectè & prosperè agetis? AL. Agemus.

[a] *Nemo felix nisi sapiẽs.*

[b] *Virtus felices reddit ciuitates & singulos homines.*

[c] *Qui sapientiã & iustitiam colunt, Deo grati sunt.*

SOCR. Enimuerò fideiubere paratus sum vos, si ita vixeritis, felices fore. AL. Locuples certè fideiussor. SOC. Contrà, si iniustè vixeritis, intuentes in tenebras diuinitatis expertes cõsimilia tenebris opera, quemadmodum necesse est, facietis, vosipsos penitus ignorantes. AL. Videtur. SOC. Cui enim, ô amice Alcibiades, potestas adest: quodcunque libuerit faciendi, mente verò captus est, quidnam putas illi continget? siue priuatus ille quidem, siue respubl. sit? Veluti si ægrotanti cuidam libera licentia sit, ratione medici nullam habendi, sed tanquam tyrannidem exercendi sic, vt nemo hominem absterrere valeat: quid illi euenturum putas? Nónne verisimile est corpus iti corruptum? AL. Vera loqueris. SOCR. Quid verò, si in naui apud quempiam omnis licentia sit, quodcunque videatur agendi, mente tamen & gubernandi peritia careat, num cernis quæ eis & sociis euentura sint? AL. Opinor equidem illum & seipsum & vna socios perditurũ. SO. Nónne igitur omni reip. omnique imperio & dominationi vbi virtus abest, contingit, vt male agat? AL. Necesse est. SO. Non ergo tyrannis optime Alcibiades, aut nobis aut reip. paranda est, sed virtus, siquidem felices esse volumus. AL. Vera dicis. SOC. Cæterùm antequam virtus adsit, conducit viro, non solùm puero, regi à meliore, quàm regere. AL. Apparet. SOCR. Nónne quod melius est, idem & pulchrius? AL. Sic est. SOCR. Quod pulchrius decentius? AL. Quídni? SOCR. Decet itaque improbũ seruire: melius enim est. AL. Decet. SOC. Improbitas enim seruile quidpiam est? AL. Apparet. SOCR. Virtus contrà liberale quiddam atque ingenuum. AL. Ita est. SO. Nónne, ô amice, ser-

uitus fugienda? AL. Maximè quidem, ô Socrates. SOCR. Aduertis quomodo te nunc habeas? vtrũ liberè, an contrà? AL. Et maximè quidem, vt mihi videor, hoc sentio. SOC. Nostine quo pacto id quod nunc te occupat, fugare queas? nolim enim istud in claro homine nominare. AL. Noui equidem. SOCR. Quomodo igitur? AL. Si ipse volueris, ô Socrates. SOCRA. Haud rectè loqueris Alcibiades. AL. At quomodo dicendum est? SOCR. Si Deus voluerit. AL. Dico equidem, atque hoc insuper addo, periculũ esse, ne figuras inuicem mutemus, tuam quidẽ ego induens, tu autem meam: fieri enim non potest, quin ego te deinceps ducam, tu autem à me ducaris. SOCR. O generose, nihilo igitur meus in te amor à ciconia differt, si posteaquã prope te velut in nido amorem alatum fouerit, ab illo iterum nutriatur. AL. Profectò sic se res habet, & incipiam hinc iam iustitiã meditari. SO. O quã te perseuerare velim! Timeo autẽ naturæ tuæ diffidens, huiúsque ciuitatis vim intelligens, ne ea me simul, ac te vincat.

ALCIBIADES II.

VEL, DE VOTO.

Marsilij Ficini Argumentum.

Q[a] *Voniã secundus Alcibiades liber profectò sanctissimus de voto inscribitur, summatim colligẽdũ est, quid votũ, quid in voto petendũ, & quãdo, & quomodo. Diffinitio voti partim ab Orphæo, partim à Platone sumpta hæc est: Votũ est ardẽs affectus casti animi, deo deditus, & ꝙ bonũ videtur exoptãs. Huic affectui Zoroaster & Orphæ⁹ suffumigationes & characteres adhibuerũt, quoties ad secũda numina pre-*

[a] *Quid votũ*

ces dirigerētur. Mercurī ac Plato,cū supremi numinis maiestatē venerabātur,externas oēs ceremonias auferebāt,solam ac puram fragrantiam animi relinquentes. Sed de his omnibus in nostris commentariis diligentius. In[a] voto petendum Plato vult bonum: idque ex eo patet, quod petitionem hanc posse Lacedæmoniorúmque testimonio comprobat, eámque tutam & prudenti & imprudenti esse putat,votúmque huiusmodi, & à quolibet & semper fieri posse. Petitionem verò certi cuiusdam & proprij boni tunc demum esse securam cum prudentiam quis fuerit consecutus, alias autem periculosam.

a *Quid petēdū in voto.*

SOCRATES, ALCIBIADES.

b *Occasio dialogi.*

[b]DEVMNE, ô Alcibiades, precaturus accedis? AL. Et maximè quidem ô Socrates. SOC. Tristitiam quandam præ te ferre videris, & oculos in terram figere, tanquam aliquid ipse tecum altè cogitans. AL. At quid cogitem,ô Socrates? SOC. Maxima vt mihi videtur profundæ cogitationis occasio est: nam dic per Iouem obsecro, nónne putas deos,eorum,quæ vel priuatim,vel publicè precamur, nonnunquam concedere partim, partim negare, atque id his quidem annuere, illis verò minimè? AL. Omnino quidem. SOCR. Nónne igitur tibi videtur [c] magna prouidentia opus esse, ne quis seipsum fallat, dū magna petit mala, credens bona se petere: Deorum autem hic sit habitus, eáque ratio, vt largiantur, quæ quis postulat? quemadmodum Oedipum ferunt obsecrasse Deum, de regno paterno, vt filij ferro decernerent. Cúmque ei licuisset tunc instantium malorū

c *Quanta in precibus & votis concipiendis cautio adhibenda.*

auersionem poscere, alia insuper imprecabatur. Vnde & ista euenerunt, atque ex iis alia multa & grauia, quæ referre singula nequaquam opus est. AL C. At tu furentem quidem hominem in exemplum adduxisti: nam quem putas sanæ mentis hominem audere talia petere? SOC. Insanire nónne contrarium est ei quod est prudentem esse? AL. Prorsus. SO. Num ex hominibus, alij prudentes esse, alij imprudentes videntur? AL. Videntur sanè. SO. Age itaque consideremus quínam isti sint. Esse enim alios quidem imprudentes, alios verò prudentes, nonnullos insanos, iam conuenit. AL. Conuenit. SO Præterea bene valentes aliqui sunt. AL. Sunt. SOCR. Ægrotantes alij. AL. Omnino. SO. Non ergo iidem sunt. AL. Non certè. SO. Súntne alij quidam qui neutrum istorum patiantur? AL. Nequaquam. SO. Necesse est enim hominem vel ægrotare, vel non ægrotare. AL. Videtur. SO. De prudentia verò & imprudentia idem iudicas? AL. Quomodo dicis? SOC. Hominem aut prudentem aut imprudentem, aut tertiũ præterea velut medium quiddam esse oportere putas, quo nec prudens, nec imprudens sit? AL. Nihil profectò. SO. Necesse igitur alterum istorum pati. AL. Apparet. SO Recordaris concessisse te insaniam [a] prudentiæ contrariam esse? AL. Equidem. SO. Et medium nullam rem esse tertiam quæ hominem nec prudentem, nec imprudentem efficiat? AL. Consensi quidem. SOC. Quinetiam duo esse eidem rei [b] contraria quo pacto possunt? AL C. Nullo, SOC. Imprudentia igitur atque insania idem esse videntur. AL. Videntur. SO. Si ergo omnes insipientes insanire dixerimus, rectè di-

[a] *Prudentia hoc loco & alibi pro sapientia promiscuè.*

[b] *Vnt duo cõtraria esse non possunt.*

cemus. AL. Sanè. SOCR. Et ex tuis æqualibus, nécnon ætate maioribus si qui sunt imprudentes (vti re vera sunt) insanos esse. Nonne putas perpaucos esse in hac vrbe prudentes, imprudentes plurimos, quos insanos appellas? AL. Equidem. SOC. An censes nos tutos inter hos insanos ita versari, quin ab eis percutiamur, ac verberemur, & quæcunque furiosi facere consueuêre patientes, iampridem pœnas dederimus. a Sed vide, ô beate, ne aliter se res habeat. AL. Quo pacto se habet, ô Socrates? Apparet enim non ita esse, vt putaram. SOCR. Non certe, vt mihi videtur, sed hoc fortasse pacto cogitandum est. AL. Quonam? SOC. Dicam tibi. Ponimus aliquos ægrotantes esse, nécne? AL. Omnino quidem. SOC. Nunquid necessarium opinaris omnem ægrotum cruciari duntaxat podagra, vel febri, vel lippitudine? An etiam si nihil istiusmodi patiatur, posse tamen aliis morbis affici, cùm multæ sint morborum species præter istas? AL. Sic mihi videtur. SOCR. Omnis lippitudo morbus tibi videtur? AL. Mihi certè. SOCRAT. Et omnis morbus etiam lippitudo? AL. Non mihi quidem, nescio tamen quid asseram. SOCR. Si dicenti mihi mentem adhibeas, & ambo simul inuestigemus, ferè quod volumus consequemur. AL. Adhibeo, quàm maximè possum. SO. Nónne conuenit inter nos lippitudinem omnem esse morbum, non omnem tamen morbum lippitudinem esse? AL. Conuenit. SO. Et rectè quidem consensisse videmur. Etenim febricitantes ægrotant omnes, non tamè quicunque ægrotant, etiam febricitant, vel podagra aut lippitudine afficiuntur. Sed omne quidem huiusmodi cõmuniter morbus est? at ij quos

a *Corrigitur superior conclusio & probatur insipientiã esse genus cuius species est insania.*

quos Medicos appellamus, differre dicunt illorũ curationẽ: non enim oẽs, aut similes sunt, aut similiter pertractantur, verũ secundũ vim propriam singuli, morbi tamen sunt omnes. Quemadmodũ opifices aliquos esse ponimus, nónne? AL. Prorsus. SO. Et cerdones & fabros, sculptoréſque, & quãplurimos alios, quos referre singulos nihil opus est, quíue partes opificij discretas habent: ac oẽs quidem opifices sunt: non tamen fabri omnes, neq; coriarij, neque sculptores, at cuncti generatim opifices. AL. Sic est. SO. [a]Eadẽ quoque ratione imprudentiam inter se plurimi patiuntur, & qui maiorem sortiuntur imprudentiæ partem, insani furentéſque vocantur: qui verò aliquanto minorem, stolidi, atque attoniti. Qui autẽ honestioribus vocabulis eadem significare volunt, partim quidem magnanimos appellant, partim ineptos: quidã non malos, innocuos, & inexpertos, & stupidos. Inuenies quoque multa alia nomina, quibus omnibus imprudentia significatur. Discrepant autem, vt in superioribus discrepare apparuit, ars ab arte, & à morbo morbus. Tibi verò quid videtur? AL. Idipsum. SO. Sed vt redeamus vnde digressi sumus, proposítũ fuit in disputationis exordio, qui prudẽtes, quíue imprudẽtes essent diiudicare. Cõuenimus autẽ tales aliquos esse, nónne? AL. Cõuenimus. SO. [b]Prudẽtes existimas quicũque agẽda dicẽdáque cognoscunt. AL. Equidẽ. SO. Imprudentes eos qui neutra vident? AL. Eos ipſos. SOC. Nónne qui vtraque hæc ignorant, seipſos latent, & agẽtes & loquẽtes quæ nõ oportet? AL. Apparet. SOC. Ex his hominibus vnum, ô Alcibiades, [c]Oedipum esse dicebã. Reperies quoque nostris temporib. plurimos no

[a] *Insipientiæ multæ ſpecies.*

[b] *Prudentes qui.*

[c] *Oedipus amens fuit, dum filiis imprecatus eſt.*

ira concitatos, vt ille, nec qui mala se, sed bona potius exoptare putent. Ille siquidem vt non optabat, ita nec putabat. Sunt verò nonnulli, qui horum contraria patiuntur. Reor equidem te primum, si fortè Deus ille ad quem exorandũ accedis, sese oculis offerens, te prius quàm aliquid obsecrares, interrogaret, satísne tibi sit Atheniensium dominatu potiri: quod si hoc vile & exiguum quiddam ęstimares, adderet & Græcorum omnium, & si viderit te neque istis etiam acquiescere, nisi totius etiam Europæ adiiciat, neque id tantum adiiceret, sed quum cuperes vt, vno eodémque die sentirẽt omnes Alcibiadem Cliniæ filium omnium dominum esse, atque ideo hæc tibi concederet omnia: reor inquam ab eo te ingenti cum lætitia rediturum, ac si maxima bona esses feliciter consecutus. AL. Arbitror, ô Socrates, & quemcunque alium, quisquis eandem sortem assequeretur. SO. Vitam verò tuam, an cum Græcorum omnium, atque etiam barbarorum regione & dominatu commutares? AL. Non vt opinor, quippe cùm nullo modo illis rebus vsurus essem. SO. Quid si vsurus quidem sis, male tamen, & cũ nocumento? Neque sic quidem? AL. Non profectò. SO. [a] Cernis ergo tutũ nõ esse, aut quę offerũtur, temere acceptare, aut optare, si quis propter illa incõmoda subiturus sit, vel vitã protinus amissurus. Multos autem referre possemus, qui cum tyrannidem affectassent, dúmque illa potirentur, ardenti studio contendissent, vtpote bonum aliquid adepturi, propter tyrannidem circonuenti insidiis perire. Puto etiam audiuisse te nonnulla heri ac nu diustertius gesta, [b] quum Archelaum Mace-

a *Nõ omnia sunt à diis optanda & petenda.*

b *Archelai Macedonũ tyrãni mors.*

Macedonum tyrannũ, amasiusque eius, qui non minus tyrannidem appetebat, quàm ille amasiũ suũ, interfecit, sperãt hoc pacto se tyrannũ beaturumque futurum.] Verùm cùm is triduũ aut quatriduum tyrannidem tenuisset, rursus ab alijs ex insidijs & ipse oppressus perijt. Vt autem referamus, quæ non ex auditu percepimus, sed ipsi nos præsentes inspeximus, videsque insuper ex nostris ciuib⁹ quicunq; præfecturam exercitus affectantes nacti illã sunt, partim etiam his temporibus exules oberta re, partim morte damnatos esse. Etsi qui fortasse extremis periculis, & timoribus aditis strenuè rem gessisse visi sunt, non modò in ipso exercitu, verum etiam postquam in suas sedes redierẽ, non minoribus à sycophantis & calumniatoribus insidijs oppressi sunt, quàm ab ipsis hostibus, vt plerique illorum optauerint denique se priuatos vixisse potius, quàm cũ imperio. Quòd si pericula & labores huiusmodi, aliquam nobis vtilitatem afferrẽt, profectò hoc studium nonnihil rationis haberet. Nunc verò longè contrà res se habet. Inuenies præterea eodem pacto nonnullos homines, qui filios votis exoptant. at cum filios adepti sunt, in calamitates dolores̃que maximos incidunt. Nã plerique cùm liberi per omnem ætatẽ improbi perseuerent, vniuersam vitam in mœrore conficiunt. Qui verò probos filios nacti aduersò quodam casu illis orbantur, nihilominus, quàm superiores illi miseri sunt, vt prorsus præoptarent nunquam se filios genuisse. Et quamuis hæc atque alia multa huiusmodi manifesta sint, rarò tamen inueniatur, qui vel à datis abstinere velit: vel si orãdo impetraturus sit, votũ

a *Plurima eorum, quæ vulgò petere & optare solent à dijs homines, illis maximè pernicioſa esse, exẽplis multis probatur.*

propterea omittat. Permulti etiam, neque à quæsita tyrannide, neque à parta prætura, neque ab aliis innumeris, quæ cum possidentur, lædunt potius, quã prosint, discederent: quin potius orarent sibi illa concedi, siquando nõ adsint. Interdum breue post tempus præterita vota damnant, ad cõtraria recurrentes. Quam obrẽ vereor equidẽ, ne homines temerè deos incusent, quasi mala ab iis inferantur: ij verò seu proteruitate quadam, siue insipientia sibiipsis dolores morte acriores pariunt. Quare prudens mihi videtur poeta ille qui amicis insipientibus vsus, dum eos videret & agẽtes & orantes, quæ illis minimè conducebant, cùm tamen eis vtilia viderentur, pro omnibus sic ait: [b] *Iupiter rex, optima quidem nobis & conuentibus, & non conuentibus tribue. Mala autẽ posse ntibus quoque abesse iube.* Rectè igitur & caute loqui poeta mihi videtur: tu verò si quid habes in animo, quod aduersus hæc proferas, ne sileto. AL. Difficile est, ô Socrates, iis quæ bene dicta sunt, contradicere. Illud autem cogito, quãtorum malorum causa sit hominibus [c] ignorantia: quandoquidem propter hanc nos latet, quum malè quid agimus, & quod deterrimum est, ob eam pessima nobis quandoque precamur: quod quidem nemo putet. Sed illud quilibet opinetur, posse videlicet se sibiipsi non pessima, sed optima petere: hoc enim reuera execrationis cuiusdam non voti simile esset. SO. At fortè, ô optime, diceret quispiam te simul ac me sapientior, haud satis rectè nos loqui, dum sic temerè ignorãtiam vituperamus, nisi hæc adijciamus, quæná & quo tum ignorantia sit. Quibusdam neque certo modo affectis bonũ fortè est ignorantia quẽ-

a *Immeritò conquerun-tur homines sibi à Dijs mala euenire, cùm ipsi sibi longè plura optent & petant.*

b *Bene precandi forma la ex veteri poeta.*

c *Ignorantia quantorum malorum causa.*

admo-

admodũ aliis malũ. AL Quid ais? Estne quicquam, quod alicui quomodocũque se habenti ignorare aliquãdo pręstet, quàm cognoscere? SO. Mihi sanè videtur nũquid & tibi? AL. Nõ per Iouẽ. SO. Enimuero nec illud te aduersus matrem patrasse vnquã velle iudicabo, quod Orestẽ, & Alcmęona, & si qui tales fuêre, commisisse ferũt. AL. Bene ominare per Iouem, ô Socrates. SO. Nõ decet ô Alcibiades, eum qui inquit, te nolle ista fecisse, iubere vt *, benè ominetur, sed potius si quis contraria diceret. Postquã facinus tam horrẽdum tibi videtur, vt ne pronũciari quidem facilè debeat, putas Orestẽ, si prudens fuisset, & quid bonum sibi nouisset, scelus tantũ ausurũ fuisse? AL. Nõ certè. SO. Neque aliũ vt arbitror vllũ. AL. Nullum. SO. [a] Malũ igitur vt videtur ignorãtia optimi, & quod optimũ est ignorare. AL. Mihi sanè videtur. SO. Nónne & illi, & cæteris omnib.? AL. Fateor. SO. Cõsideremus præterea & hoc, si in mentẽ tibi melius esse putãti, subitò veniat, Periclem tutorem atque amicum tuum interficere, ac sumpto gladio ad fores illius properans interrogares num intus sit, volens illum duntaxat, nec alium quenquam occidere, domestici autem illum intus esse responderẽt. Neque dico te quicquã huiusmodi conari, sed an videatur tibi, quod quidẽ nihil prohibet, ignorãti quid sit optimũ, adesse posse interdum opinionẽ, vt iudices quod est pessimũ, nonnunquam optimum esse. An nõ tibi videtur? AL. Omnino quidem. SO. [b] Ergo si domum ingressus, vidénsque illum non tamen agnoscas, sed opineris alium esse num ipsum perimeres? ALC. Non per Iouem, vt mihi videor. SOCRA. Non enim

* Benè ominari.

a *Quædam ignorantia bona, quædam mala. Ignorantia eius, quod optimum, est mala.*

b *Ignorare & non cognoscere eum, cui iniustè nocere cogites, bonũ est*

quem sors offerret, sed quem statueras, nónne? ALC. Profectò. SOC. Num & si frequenter facinus aggrediare, semper autem ignorares Periclem esse, vnquam in eum irrueres? ALC. Nunquam. SO. Orestem verò putas vnquá manus illaturum fuisse matri, si eam non cognouisset? ALC. Non arbitror. SO. Neque enim ille quæcunq; occurreret mulier, nec quamcunque matrem suam duntaxat necare decreuerat. ALC. Sunt hæc vera. SOC. Itaque hominibus sic affectis, & in iisdem opinionibus inuolutis, ignorare talia præstat. ALC. Videtur. SOC. Vides iam quòd ignorãtia quædam hominibus certo quodam modo dispositis bonum quoddam est, non autem, vt tibi videbatur, malum? ALC. Apparet. SOC. Præterea si volueris quod deinceps in medium afferetur mirabile dictu, discutere, fortè probabile tibi videbitur. ALC. Quid istud ô Socrates? SOC. Videtur sanè cæterarum omnium scientiarum possessio, nisi quis scientiam optimi nactus fuerit, rarò quidem prodesse, obesse plerunque illi qui sic huiusmodi scientiis præditus. Sic autem considera. Nónne necessariũ tibi videtur, quum aliquid facturi, vel dicturi sumus, oportere nos prius quidem, vel putare cognoscere, vel verè cognoscere quod promptius agere & loqui debemus? AL. Mihi planè videtur. SO. [2] An non oratores statim cùm vel sciunt consulere, vel saltem scire se putant, consulunt nobis passim: hi quidem de bello & pace, illi verò de mœnibus construendis, vel de portubus præparandis muniendísque, &. vt summatim dicam, quicquid ipsa ciuitas agit aduersus aliá ciuitatem, vel secum ipsa, oratorum consilio per-

2 *Oratores Athenienses Remp. dando consilium publicè. & in cõcione regebant.*

perficit? AL. Vera narras. SO. Vide & quæ sequuntur, si fieri potest. Vocas aliquos prudẽtes, imprudentes alios? AL. Voco. SOCR. Et multos quidem imprudentes, prudentes verò paucos? AL. Profectò. SOCR. Nónne ad aliquid respiciens, vtrosque nuncupas? AL. Imò. SO. Au a eum qui ista consulere norit, nisi sciat docere vtrum melius, & quid melius, prudentem dices? AL. Nequaquam. SO. Neque vt arbitror, quicunque pugnare norit, ignoret tamen quando, & quantum melius. AL. Sic est. SO. Neque si quis quempiã perimere sciat, & pecuniis spoliare, ac exulem à patria facere, nisi sciat etiam quando & quem melius sit. AL. Minimè. SO. Quicunque igitur horum aliquid nouerit, modò adsit etiam scientia optimi, quæ quidem eadem & vtilis scientia est, hunc forte prudentem vocabis. AL. Hunc ipsum SO. Prudentémque ipsum dicemus sufficientem esse sibi & patriæ consultorem, imprudentem verò contrà: quídnam tibi videtur? AL. Idem. SOC. Quid autem si quis equitare, aut sagittare sciat, vel palæstrã, vel pugillariam, vel aliud quoddam certamen exercere, aut aliud aliquid eorum quæcunque per artem nouimus, quo nomine appellas eũ qui intelligit quid in arte melius fiat? an non secundum equestrem artem equitem, secundũ pugillariam pugilem, tibicinariam tibicinem, atque in aliis eodem modo? an secus? AL. Sic certè. SO. Num tibi videtur, qui horũ aliquid intelligit, vir prudens appellandus? an longè adhuc abesse? AL. Longè per Iouẽ. SO. Qualem igitur ciuitatẽ eam putabis, quę ex peritis sagittariis, & tibicinibus, athletisque, ac cęteris artificibus cõstet, sint insuper his quos diximus

a *Sapiens ne mo sine cognitione eius, quod optimum est.*

admisti militarē callentes artē, & qui ad interi
mendū prompti, nec nō etiā adsint ii qui ciui-
li scientia turgēt: deſit autē optimi scientia, &
qui norit quādo, & ad quem vnoquoque illo-
rū vti præſtat? AL. Peſſimā quidem ō socra-
tes. so. Maximè hoc vt arbitror diceres, ſi quā
do [cerneres vnūquemque illorū ambitioſe
affectātem ſui artificij principatū & maximā
ciuilis adminiſtrationis partem, in hoc occu-
pātem, vt ipſe ſe ſuperet, & plurimū valeat, plu
rimū inquā in illa ſua arte], in eo verò quod
ſibi & Reipublicæ optimū eſt, crebrò hallu-
* ſine ratiõe cinantem, quippe qui opinioni * ſine mente
credideris. Cūmque hæc ita ſe haberēt, nónne
rectè diceremus hanc Rempūblicam tumultus
quamplurimi iniquitatiſque pleniſſimā? AL.
Rectè per Iouem. so. An non neceſsariū no-
bis viſum fuit, primum quidē putare nos co-
gnoſcere, vel reuera cognoſcere hoc quod pō
prè facturi dicturiue ſumus? AL. Viſum eſt.
so. Nónne ſi quis agit quidē quod nouit, aut
noſſe exiſtimat, addit autē ſcientiā optimi, ſe-
quitur vt vtiliter agat & ſibi & reipubl. ALC.
Quidni? soc. Contrà verò nec reipubl. nec
ſibi? AL. Ita eſt. soc. Quid autem? nunc tibi
ita videtur, an aliter? ALC. Non aliter. so.
Dixiſti vocare te plures imprudentes, prudē-
tes pauciores? ALC. Equidē. so Diximúſne
iterum plures ab eo quod eſt optimum aber-
a *Qui opinio ni abſque ratione credit, is aberrat ab eo quod eſt optimum.* rare, a vtpote qui opinioni abſque mente, vt
plurimum aſſentiuntur? ALC. Diximus pla-
nè. soc. Prodeſt igitur multis, neque noſſe
quicquam, neque putare ſe noſcere: ſiquidē
promptiores erunt ad illa efficienda, quæ vel
noſcunt, vel cognoſcere opinantur. Agen-
tes autem, ſibi nocebunt crebrius, quàm cō-
ferent.

ferent. ALC. Verissima loqueris. SOCR. Cum ergo dicebam reliquas [a] omnes scientias, si absit scientia optimi, obesse sæpius quàm prodesse illas habenti, num rectè loqui tunc tibi videbar? ALC. Et si tunc minimè, nunc saltem, ô Socrates. SOCR. Oportet itaque ciuitatem & animam, quæ rectè victura sit, hanc proculdubio complecti scientiam: quemadmodum qui ægrotat, medicum: & qui sine periculo nauigare velit, gubernatorem. Nam quò maiora animus sine hac scientia circa diuitias, vel corporis robur, aut aliud tale conabitur, eò maiora ex iis peccata committi necesse est. Qui verò multis ac variis artibus, & scientiis ornatus est, sit autem expers istius scientiæ, ductus à singulis aliis, nónne meritò multa tempestate iactabitur? quippe cùm absque gubernatore oberret in pelago, breui tempore periturus? Huic certè conuenire videtur illud poetæ carmen, quo quendam vituperans, [b] inquit, *Multa quidem nouerat: sed malè nouerat omnia.* ALC. At verò id poetæ dictum quorsum attinet? mihi certè nihil videtur proposito nostro congruere. SOCR. Imò quadrat penitus, verùm per ænigmata, & hic & cæteri ferme omnes poetæ loquuntur. Est enim ipsa natura vniuersa [c] poesis ænigmatũ plena, nec quiuis eã dignoscit. Ad hanc illius naturã accedit, quòd si quãdo insit in homine inuido nolẽte sua sensa cæteris hominib. reuelare, mirũ est quàm difficile cognitu sit, quod poeta senserit: Neque enim Homerũ diuinũ, sapientissimũque poetã ignorasse putes, q; scire malè impossibile sit; ipse enim est qui inquit, Margitem multa quidẽ scire, malè

[a] *Omnes scientias, si absit scientia optimi, obesse sæpius quàm prodesse illas habenti, num rectè loqui tunc tibi videbar?*

[b] *Homerus in Margite.*

[c] *Poesis ænigmatum plena.*

autem scire omnia. sed ænigmate sensum occultat, vt arbitror, malè pro malũ ponens, scit autẽ pro scire: vnde cõpositio quædam extra carminis mensurã conficitur: quod verò sentit, hoc est, Multa quidem sciuit, sed malũ ipsi fuit hæc omnia scire. Patet igitur quòd si erat illi malum multa scire, ipse quoq; malus erat. si qua fides supradictis sermonibus adhibenda est. ALC. Mihi certè videtur, ô Socrates. Quibus enim verbis crederem vnquã, nisi iis credam? SO. Et rectè quidem tibi videtur: sed age per Iouem, vidéne quãta qualísque sit dubitatio? in hac ipse versatus esse videris: sursum enim deorsúmq; iactatus nusquã sanè consistis, sed quod olim asseuerabas, nũc damnas [vt quod tibi maximè videbatur, illud rursum deponis, nec amplius tibi idem videtur.] Si forte Deus quem oraturus accedis, oculis sese tuis obiiciens, antequam voueas, ita roget, an tibi aliquid ex iis quæ in principio dicta sunt, habere satis sit, vel tibi potestatem faciat quod libeat postulandi, quídnam tibi opportunum fore putares? vel acceptare, quæ Deus offerret, vel poscere? ALCIB. Per deos, ô Socrates, quid respondeam nõ habeo: sed insanum quiddam mihi videtur [& magnoperè cauendum] temere Deum precari, ac diligenter considerãdum ne quis seipsum fallat, mala petens, dum bona se putat orare, ac paulò pòst, vt tu dicebas, ad contraria vota se transferat. SOCR. Nónne prudentior nobis poëta, cuius in principio disputationis mentionem fecimus, qui precabatur mala etiam ab orantibus abesse? ALC. Mihi videtur. SO. Lacedæmonij quoq; ô Alcibiades, siue hunc poetam imitãtes, seu ex seipsis animaduertẽtes, idem votũ, tam priuatim, quàm

quàm publicè seruant, orãtes deos, apulchra cũ bonis sibi tribuere, nec plura illos precari quis audiret. Neq; tamen ad hæc vsque tẽpora minus quàm cæteri homines felices sunt. Si quid autẽ illis vnquã minùs prosperè succesſit, non est oratio illorũ in causa, quandoquidem in diis est, vt arbitror, quæ precamur, tribuere, vel cõtrà. Volo insuper aliud quiddam tibi referre, quod aliquando à senioribus quibusdam accepi. Dicebãt enim semper ciuitati nostræ accidisse, vt quotiescunq; bellũ Athenienses cũ Lacedæmoniis gererẽt, nostri tum terra, tũ mari infortunati essent, nec victores vnquã redirẽt. Qua re indignatos Atheniẽses cùm nõ haberent qua arte tantã calamitatem vitarent, decreuisse Ammoné cõsulere: quàm ob causam dij Lacedæmoniis potius, quàm Atheniẽsibus victoriã largirẽtur, cũ ipsi tamen sacrificia tũ plura, tum decentiora, quàm reliqui Græcorum offerrent, simulacris donisque templa sic ornantes, vt nulli alij, pompásque quotannis sumptuosissimas, & venustissimas celebrarent, & omni sumptu, qui ad rem diuinam spectat, cunctis Græcis magnificentiores existerent, cùm Lacedæmoniis nulla esset istorum cura, adeò circa diuinum cultũ parcis, vt animalia mutilata passim mactarent, & in aliis omnibus ceremoniis longè admodum parcioribus, quàm Athenienses, cum tamen opum magnitudine à nobis non superentur. Posteaquam hæc dixisset nuncius, interrogans quo pacto à præsenti calamitate liberari possent, non multa ad hæc respondisse prophetam: Deum enim non permittere: accersito verò Athenienſium legato in hunc modum fuisse locutum? Hæc dicit Ammon pla-

a *Lacedæmoniorum precum formula.*

cere magis sibi Lacedæmoniorum bona verba quàm reliquorum Græcorum sacra omnia: nec plura iis respondisse [Per bona autem illa Lacedæmoniorum verba, nihil aliud intellexisse mihi videtur Deus,] quàm illorum preces: etenim reuera permultum illæ à cæteris differunt. Reliqui nanque Græci partim auratis cornibus boues sacrificantes, partim donariis egregiis templa ornantes, quæcunque occurrunt, seu bona, siue mala, à Diis petunt. Dij verò cum illos blasphemantes audiunt, ditissimas illorum pompas, & sacrificia non acceptant. Quamobrem diligenter considerandum mihi videtur, quid dicendum sit, quídve non dicendum. Inuenies quoque apud Homerum alia horum similia. Inquit enim *Troianos cum suburbanum ædificium molirentur, fecisse diis immortalibus pretiosa sacrificia centum boum: nidorem verò ex campo suauem, ad cœlum vsq; ventis attolli: sed beatos Deos illo minimè vesci, quippe quibus Ilion, & Priamus, & Priami populus odio esset.* Itaq; nil Troianis proderat, cum aduersos deos haberent, sacra ac munera temerè illis offerre. Neque enim eiusmodi est [a] dei natura, vt ducatur muneribus quemadmodum improbus fœnerator. Sed nos nimium deliramus, siquando nos Lacedæmoniis propter munera acceptiores Deo esse ducimus. Etenim graue esset, si Deus [b] ad donaria, & sacrificia nostra respiceret potius, quàm ad animum, vtrum iustus sanctúsque sit. Ad quem equidem Deum arbitror multo magis attendere, quàm ad multi sumptus pompas atque sacra, quæ nihil prohibet eum, qui multa in Deum hominésque peccauerit, seu priuatus sit siue respublicas singulis annis perfi-

εὐφημόδυ.

a *Deus non ducitur muneribus.*

b *Deus magis ad animum respicit quàm ad dona & sacrificia hominum.*

perficere. Deus autem vtpote à muneribus incorruptus, spernit hæc omnia, vt ipse eiúsque vates prædixit. Vnde perspicuum est, & apud Deum, & apud homines sanæ mentis, [a] iustitiam, & prudentiam præcipuè honorari. Prudentes autem iustíque sunt, qui sciunt, quæ erga Deum, & homines agere atque dicere deceat. Cupio tamen ex te audire, quid in iis ipse sentias. ALCIB. Mihi verò ô Socrates, haud secus, quàm tibi ac Deo videtur: neque enim fas esset à Deo me dissentire. SOC. Recordaris dixisse te in plurima dubitatione discriminéque versari, ne te ipsum falleres, cùm mala quandoque pro bonis optares? AL. Memini. SOCR. An vides non satis tutum tibi esse ad orandum pergere, ne fortè te Deus audiens blasphemantem ista tua sacrificia renuat, [aut etiam fortasse nouum aliquod reportes infortunium?] Mihi ergo videtur [satius esse, vt quiescas:] nam [precandi formula, qualis in vsu est apud Lacedæmonios, propter illam tuâ animi magnitudinem (hoc enim est nominum, quibus insipientia tegitur, pulchetrimum) te vti velle non facilè crediderim.] Quare necesse est expectare, donec discatur quèadmodum ad Deũ, atq; ad homines habere se deceat. AL. Quando erit, ô Socrates, & quis præceptor? Iucundissimè enim hunc hominem, quisquis erit, agnoscam. SOCR. Hic est cui tu curæ es. Verùm mihi videtur, quemadmodum Diomedi Mineruam inquit Homerus ab oculis nebulam abstulisse, vt discerneret Deum ab homine, sic & ab animo tuo prius oportere caliginem, qua nunc offunditur, auferre: deinde illa propius admouere, per

[a] *Iustitia & Sapientia apud deos & homines sanæ mentis maximo sunt in pretio.*

quæ seu bonum quid sit, siue malum, dignoscas: nunc enim impos esse videris. ALC. Auferat seu nebulam ille velit, siue quodcunque aliud. Etenim paratus sum nihil penitus prætermittere, quod ille præceperit, quisquis denique sit, modò ipse sim melior euasurus. SOCR. Atqui illi mirum in modum tibi prouidet. AL. In illud itaque tempus hoc sacrificium differre optimum fore censeo. SOCR. Et rectè quidem: tutius enim est, quàm tanto periculo se subiicere. AL. Sic est, ô Socrates. Interea tamen quoniam mihi boni consuluisse videris, hãc tibi coronam imponã. Diis autem & coronas, & reliqua omnia quæcunq; decet, tunc demũ offeremus, cùm diem illã aduẽtasse cognouero. Aduẽtabit autẽ quàm primũ, diis volentibus. SOC. Accipio & hoc, & quodcunque datum abs te mihi præterea fuerit, libenter video, cùm abs te accepi. Quemadmodum verò Creon apud Euripidem videns Tiresiam coronatum, & audiens illũ primitias propter artem à militibus accepisse, ait, *Augurium esse duxi triumphales coronas, in tempestate enim versamur, vt ipse noctis*: sic & ego [hunc coronæ honorem quem mihi offers] augurium esse duco. Videor autẽ mihi nõ minori, quàm Creon tempestate iactari, studeóq; [de omnibus tuis amatoribus victoriam reportare.]

MINOS, VEL, DE LEGE.

Marsilij Ficini Argumentum.

MINOS *de lege requirit, vt quid lex communiter, quæ eius species, vnde sit, paucis comprahen-*

prahẽdamus. Si quis Platonis verba in hoc libro De lege, & in libris De legibus, necnon De repub. diligenter aduertat, sic legẽ vniuersali definitione describet: Lex est vera gubernandi ratio, quæ ad finem optimum per commoda media gubernata dirigit, transgredienti pœnam, obedienti præmium statuens. Quo fit vt institutiones principum, cùm veræ non sunt, nec ad optimum recto calle proficiscuntur, leges minimè sint, sed decreta, edicta, instituta potius sint, quam leges. A lege namque legitimum, à legitimo iustum, à iusto bonum, rectum, verúmque opus sæpenumero nominatur, propterea legem veram bonámque esse necesse est. Sequitur etiam, vt lex æterna sit, ac penitus immutabilis, & apud omnes gentes eadem de eisdem, si hoc modo vera sit: nam quæ temporibus locisq; & opinionibus permutatur, non lex, sed institutio nuncupatur. Quid lex.

Legis autem species, vt ex Timæo, Phædróque, & Gorgia colligitur, quatuor sunt. Prima diuina, quam prouidentiam Plato vocat. Secunda cœlestis, quam fatum. Tertia mouens, quam naturam. Quarta humana, quam prudentiam naturalẽ. Prima in mente diuina, quam Saturni legem Orpheus, & Plato esse volunt. Secunda in superiori animæ mũdi parte, quam Iouis. Tertia in mouente inferiorique illius potentia, quam primæ Veneris, postrema in hominis mente, quã secundæ Veneris legem vocant. Prima à summo bono, quod supra mentẽ est, profluit. Secunda à mente & summo bono. Tertia à summo bono, mente & vniuersali anima. Quarta à summo bono itidem, & mente & anima. Omnes verò ad ipsum bonum iterum reflectuntur. Prima in idea, circa summum bonum, supra rationes. Secunda in rationibus, circa ideas, supra semina. Tertia in seminibus, circa rationes, supra formas. Quarta in notionibus, circa rationes, superactus & artes, quam regiam legem appellant; superni regis Species legis quatuor.

imitatricem. Unde verò lex proficiscatur, ex iis quæ dicta sunt elicitur. Ab ipso quippe rerum principio omnes, sed vario modo, vt dictum est, manant. Quãobrem omnes illustres conditores legum, inuentionem legum in Deum, sed per diuersa nomina atque media retulerunt. Zoroaster Bactrianis Persisq; leges tradens in Horomasim. Trimegistus Ægyptiis, in Mercurium. Moyses Iudæis rectiss mè in patrem totius naturæ Deum. Minos Cretensibus, in Iouem. Charondas Carthaginensibus, in Saturnum. Lycurgus Lacedæmoniis, in Apollinem. Draco & Solon Atheniensibus, in Mineruam. Pompilius Romanis, in Ægeriam. Mahometus Arabibus, in Gabrielem. Zamolxis Scythis, in Vestam. Plato noster Magnesiis & Siculis, in Iouem, & Apollinem. Arcadibus autem, & Thebanis, & Cyrenaicis leges postulantibus, denegauit.

SOCRATES, MINOS.

QVIDNAM [legem esse putamus?] MI. De qua lege interrogas? SOC. [a] Estne aliquid quo lex à lege secũdùm quod lex est, differt? aduerte planè quid quærã. Sic enim interrogo, ac si dicam, Quid est aurum: & si tu eodem modo, de quo auro quærã roges, haud rectè te percontari censerem. Neque enim aurum ab auro, quà aurum, neque lapis, quà lapis, à lapide quicquam differt: eodémque modo lex à lege nil discrepat, sed omnes idem sunt. Etenim lex vnaquæque illarum similiter est, nec vna magis & alia minus. De hoc ipso igitur vniuerso, quid lex est, generatim interrogo, quod si in promptu nunc habes, explica. MIN. [b] Et quid aliud lex, ô Socrates, esset, quàm

[a] *Ex eo qui generis alicuius definitionem petit, non est quærẽdum, quam illius generis speciem definiri cupiat.*

[b] *Prima definitio legis à Minoe allata, postea refutata à Soc.*

quàm lege recepta & approbata? SOCR. An sermo tibi videtur ea esse quæ sermone dicuntur, vel visus quæ videntur, vel auditus quæ audiuntur? aut aliud sermo, aliud pronunciata, aliud visus, aliud visa, & auditus similiter atque audita, necnon lex aliud, aliud lege recepta? Sicne, an aliter tibi videtur? MI. Sic vtique. SOC. Non ergo lex est, quæ lege recepta. MIN. Non videtur. SOCR. Quid itaque sit lex, in hunc modum consideremus. Si quis de iis quæ modò diximus, percontetur dicens: quoniam visu, asseritis, quæ videntur percipi, quid est visus quo illa percipiuntur? responderemus vtique esse sensum huiusmodi qui per oculos colores declarat: & de auditu interroganti, sensum qui per aures vocem haurit. Eodémque pacto si roget, post quam lege legitima constituuntur, quid est lex qua recepta recipiuntur, vtrum sensus aliquis, vel declaratio quemadmodũ quæ discuntur, declarante scientia comprehenduntur, & inueniuntur inuentione monstrante: quemadmodum salubria & noxia medicina monstrantur: quæ verò dij cogitant, vt vates ferunt, diuinandi facultate noscuntur. Vaticinium nanque rerum inuentio est: an non? MIN. Prorsus. SOC. Quid horum præcipuè legem esse præsumimus? institutáne ista atque decreta? MIN. Mihi quidem videtur. Quid enim aliud quispiam legem esse dixerit? Ex quo apparet id totum quod rogabas, [a] legem ciuitatis decretum esse. SOC. Opinionémne ciuitatis legem vocas? MIN. Equidem. SOC Et fortè rectè loqueris: forsitan verò in hunc modum melius intelligemus. Aliquos sapientes vocas? MINO. Voco. SO. Nónne sapientes sapientia sapientes sunt? MIN. Ita. SOC. Et iusti iustitia iusti? MI. Pror-

[a] *Alia definitio legis, postea refutata.*

fus. SO. Ergo & legitimi lege legitimi? MI. Nępe. SOC. Iniqui autem iniquitate iniqui. MINOS. Certè. SOC. Legitimi verò iusti? MIN. Ita. SOC. Iniqui autem iniusti? MIN. Iniusti. SOCR. An non pulcherrimum quiddam lex atque iustitia? MIN. Sic est. SOC. Turpissimũ verò iniustitia atq; iniquitas? MI. Turpissimum. SOC. Et illud quidem ciuitates, ac reliqua omnia seruat, hoc autem pernertit, atque corrumpit? MIN. Ita. SOC. Ergo legem oportet, vt pulchrum aliquid cogitare, & vt bonum quærere. MIN. Quidni? SOC. An non institutum ciuitatis legem esse diximus? MIN. Diximus. SOC. Nónne decreta quædam bona nonnulla etiam mala sunt? MIN. Sunt certè, SOCR. Lex tamen mala non erat. MIN. Non certè. SO. [a] Non igitur ita simpliciter asserendum est legem ciuitatis decretum esse. MIN. Nequaquam mihi videtur. SOC. Neque enim congruit iniquam constitutionem legem esse. MIN. Non. SOC. [b] Veruntamen opinio quædam lex mihi quoque videtur: cúmque praua opinio minimè sit, an non perspicuum est, si quidem est opinio, probam opinionem esse? MI. Constat. SOC. Proba verò opinio nónne vera opinio est? MIN. Est. SOC. At opinio vera veritatis inuentio. MI. Certè. SO. Lex itaque veritatis inuentio esse vult. MI. At quomodo, ô Socrates, si lex veritatis inuentio est, non iisdem semper legibus circa eadem vtimur, cùm rerum veritas inuenta sit? SOC. Nihilominus lex [c] veritatis inuentio esse vult. Quòd si non iisdem, vt videtur, legibus homines vtuntur, non semper veritatem, quam lex expetit, reperire possunt. Sed age videamus, an hinc nobis liquidius pateat, siue iisdem semper, siue aliàs

[a] *Concl. Ergo malè definita est lex, quum dictum est Legem esse decretum ciuitatis.*

[b] *Superiorẽ legis definitionem Soc. addita differentia corrigit, seu potius perficit.*

[c] *Græc. τὸ αὐτοῦ i. eius quod est.*

liàs aliis viuamus legibus & num cuncti homines eisdem, aut aliis alij. MIN. Verùm neque id cognitu difficile est, ô Socrates, quòd [a] neque iidem semper eisdem, nec alij semper aliis legibus viuunt. Neq; enim leges nostræ hostia humana sacrificare permittunt, sed nefarium est: apud [b] Carthaginenses autē iustū sanctúmque habetur, adeò vt eorū nonnulli Saturno filios sacrificent, quod ipse forsitan audiuisti. Nec modò Barbari homines diuersas ac nos leges sequuntur, verumetiam qui Lyciam incolunt: illi Athamantis successores qualia sacra offerunt, quū tamen Græci sint? Nos quoque audiuisti quales quōdam leges circa inferias mortuorū setuauerimus, hostias iugulātes antequā efferretur cadauer, præficásque accersentes. Et qui iis antiquiores defunctos etiā domi sepeliebāt, quorum nos his tēporibus nihil omnino seruamus. Innumerabilia præterea huiusmodi exēpla referre possemus. Latissimus enim demōstrandi cāpus est, quòd nec nos iisdem semper nobiscū, nec homines inuicē legibus vitā agunt. SO. Nil mirū est, ô vir optime, si tu rectè loqueris, me verò id latuit. Verum donec ipse per teipsum quę tibi videntur, prolixa oratione narrabis, egóque rursus idem faciam nunquam vt arbitror, consentiemus. At si communis disceptatio proponatur, forsitan congruemus: itaque si id vis, interrogans ipse me cōmuniter vnà mecum considera: sin autem respondere mauis, responde. MIN. Volo equidem, ô Socrates, ad quodcunque libuerit respondere. SOC. Age igitur, num iusta putas iniusta, iniustáq; iusta esse? An iusta potius iusta, iniusta verò duntaxat iniusta? MI. Equidem quæ iusta sunt, iusta: necnon iniu-

[a] *Executitur modò posita definitio legu, qua dictū est ipsā esse opinionem veram ciuitatis.*

[b] *Apud Carthaginenses filios Saturno immolare sanctum & legitimū erat.*

[c] *Ceremoniæ antiquissimæ Atheniensium circa defunctos.*

[d] *Disputatio per interrogationes & responsiones Socratis semper probata.*

sta,quæcũq; iniusta sunt.s o.An nõ quẽadmodũ hic,sic & vbiq; gentiũ existimatur? MI.Ita. s o.Et apud Persas nónne? MI.Et apud Persas. s o.An nõ & semper? MI.Et semper.so.Vtrùm quæ plus[põderãt] grauiora hîc cẽsentur:quæ minus,leuiora:vel huius oppositũ? MI.Nõ:imò plus[põderãtia]grauiora,minus trahẽtia leuiora.so.Nũ & in Lycia,& Carthagine idem? MI. Idẽ. s o.Pulchrà quippe vt videtur. vbiq; pulchra putãtur:turpia cõtrà,turpia: nõ autẽ pulchra turpia,vel turpia pulchra. MI.Ita est.so. Nónne per omnia generatim quæ * vera sunt, esse cẽsentur: nõ autẽ quæ minimè vera? tũ apud nos,tũ apud homines vniuersos? MI.Videtur. s o.Ergo quisquis à vero aberrat,à legitimo quoq; aberrat. MI.Secũdũ rationẽ tuã,ô Socrates,eadẽ legitima semper & inter nos,& inter cæteros esse vidẽtur.At cũ nos animaduerto,absq; fine quotidie leges sursum deorsúmq; mutãtes,fidẽ tibi habere nõ possum. so.Forte nõ percipis,quòd hæc variè trãspositа talorũ instar eadẽ perseuerãt. Cæterùm sic ipsa mecũ intuere:librúmne vnquã de curatione morborũ aliquẽ nactus es? MI.Equidẽ so.Nostin' cuius artis liber ille sit? MI.Noui quòd medicinę. so.Medicos vocas qui hæc sciũt? MI.Voco.s o. Qui sciũt eadẽ de iisdẽ,an diuersi diuersa cõstituũt? MI.Eadẽ.so.Vtrùm Græci soli cũ Græcis , aut etiã Barbari,& secũ eum Græcis de iis quæ sciũt,conueniũt? MI. Necesse est omnino eadẽ de iis quæ sciũt Græcos Barbarósq; censere.so.Probè respõdisti,sed nónne & semper? MI.Et semper.so. Nónne medici circa valetudinẽ cõscribunt,quæ esse censent? MI.Imò.so. Scripta igitur medicorũ leges medicorũ sunt? MI. Sũt.so. Et geometrica scripta geometrarũ

leges

* τὰ ὄντα, quæ sunt.

a *Etsi variæ de iisdem rebus apud eosdem & diuersos populos , sunt interdum leges:sapientũ tamen legislatorum vbique,& apud omnes populos cum veritate cõsentiunt decreta.*

leges? MI. Certè. SO. Quorũ sunt scripta cõstitutionésq; de cultu hortorũ? MI. Hortulanorũ. SO. Hæ igitur leges hortenses sunt? MI. Ita. SO. Eorũ qui hortis præsse sciũt? MI. Quidni? SO. Sciũt autẽ hortulani. MI. Nẽpe. SO. At quorũ sunt de cõdimentis obsoniorũ scripta atq; instituta? MI. Coquorũ. SO. Coquorũ igitur hæ leges sunt. MI. Sũt. SO. Eorũ videlicet, qui præparãdis obsoniis præsse sciũt. MI. Proculdubio. SO. Sciũt hæc, vt aiunt, coqui. MI. Sciũt. SO. Age igitur, dic quorũ sunt cõscripta, & institutæ de ciuitatis gubernatione. An non eorũ qui administrãdæ reipub. periti sunt? MIN. Apparet. SO. Nũ alij quidẽ præter ciuiles atq; regios homines id nouerũt? MI. Ifti soli. SOC. Ciuilia ergo scripta hæc sunt, quę homines regum bonorúmq; virorum decreta nominant. MI. Vera narras. SOC. Qui sciunt, haud aliàs aliud de iisdẽ rebus statuũt. MI. Non certè. SOC. Non igitur alia atque alia legitima sunt. MIN. Nequaquã. SOC. Si quos dissentientes mutantésque viderimus, num scire illos, an ignorare dicemus? MI. Nescire. SOC. An non, quod in singulis rectum est, id in singulis legitimũ nuncupandum? Vtpote quod secundũ rationẽ medici fit, vel coqui, vel hortulani id in eis legitimum? MI. Absque dubio. SOC. Contrà verò, quod minimè rectum, haud amplius legitimum appellandum. MI. Haud amplius. SOCR. Illegitimum itaque fit. MI. Necessarium est. SOCR. Quamobrem in constitutionibus de iustis atque iniustis, & vniuersè de ciuitatis ordine & gubernandi ratione tractãtibus quodcunque rectum est, a regia lex exiſtit: non rectum verò, nequaquam lex regia: quia scientia deest, esse videtur, quippe cùm illegitimum sit.

a *Quid sit lex regia.*

MI. Sic est. SOC. [a]Probè igitur confessi sumus legem esse veritatis inuentionem. MI. Apparet. SOCR. Præterea & hoc ad idem consideremus: quis spargendorum in terram seminũ peritus est? MI. Agricola. SOC. Hic vtique cõuenientia semina vnicuique solo distribuit. MI. Sanè. SOCR. Agricola igitur in iis ordinator bonus est, eiúsque leges & ad ista distributiones rectæ. MI. Verum. SOCR. Quis in ipsis ad harmoniam pulsationibus bonus legis conditor est, ac pro dignitate sonos ordinat, & cuius leges rectæ? MI. Tibicen & citharista hæc agunt. SO. Qui ergo in iis maximè legitimus est, is maximè tibicen. MIN. Ita. SOCR. Quis optimè corporibus alimenta accommodare potest, nónne qui congrua cuique adhibere nouit? MIN. Is ipse. SOCR. Huius distributiones institutionésque optimæ, & quicunque circa hæc legitimus maximè, is legis conditor optimus. MIN. Prorsus. SOCR. Quis iste? MI. Pædotriba. SOC. Is humani corporis gregem pascere optimè nouit. MI. Sanè. SOCR. Ei verò qui pecudum gregem pascere nouit, quod nomen est? MIN. Pastor. SOCR. Pastoris itaque leges ouibus optimæ. MI. Optimæ. SOCR. Et bubulci bobus. MIN. Etiam. SOCR. At cuius potissimùm leges animis hominum optimæ sunt? an non regis? MIN. [b]Regis. SOC. Bene dicis: sed num referre potes, quis è priscis hominibus legum circa tibiarum inflationem conditor optimus extitit? fortè non tenes. vísne tibi memorem? MIN. Valde. SOCR. [c]Marsya, & quem ille maximè amauit Olympus Phrygius. MIN. Vera loqueris. SOCR. Horum sanè tibicines harmoniæ diuinissimæ sunt, & solæ concitant audientes, qui potissimùm

[a] Excussa illa definitio legis, qua ponebatur ipsã esse veritatis inuentionẽ, vt bona retinetur.

[b] Regis leges animis hominũ optimæ.

[c] Marsyas primus tibiis leges imposuit.

mùm deos qui vsui sunt, ostendunt, ac solæ in hunc vsque diem, vtpote diuinæ perstiterunt. MIN. Vera hæc sunt. SOCR. Quis autem ex antiquis regibus legis conditor optimus fuisse fertur, cuius adhuc tanquam diuinæ institutiones extent? MI. Nequaquam teneo. SO. An nescis, quæ[a] Græcorum gentes antiquissimis legibus vtantur? MI. Fortè Lacedæmonios & Lycurgum Lacedæmoniorum legumlatorem dicis. SOCR. At[b] hæc instituta nondum fortè trecentos annos, vel paulò plures impleuerunt, sed legum earum præcipuæ vndevenerunt, nosti? MIN. Ex Creta ferunt. SOCR. Isti itaque ex Græcis omnibus antiquissimis legibus viuunt. MIN. Verum. SOCR. Scis qui apud eos præstantissimi reges extiterint? Minos videlicet & Rhadamanthus Iouis & Europæ filij, quorum hæ leges sunt. MI. Rhadamanthum quidem, ô Socrates, iustum virum fuisse tradunt. Minoëm autem agrestem, durúmque iniustum. SOCR. Atticam, ô vir optime, ac tragicam fabulam refers. MIN. Nónne hæc de Minoë circunferuntur? SOCR. Non tamen Homerus, aut Hesiodus ista testantur quanquam locupletiores admodum testes sunt, quàm cuncti tragici, quorum testimonia talia loqueris. MI. Et quid isti de Minoë tradũt? SOC. Dicam, ne tu, vt alij multi impia loquaris. Nihil enim hoc magis impium est. Etenim primò cauendum est, ne quid in Deum, aut verbo, aut opere, aliquando peccemus, deinde ne quid aduersus diuinos homines. [d] Quin diligenter cauere decet, quoties virum aliquem laudaturus, aut vituperaturus es, ne aberres. Atque huius gratia in primis curandum est, vt bonos ac malos homines dignoscamus. Deus

a *Qui primi legum conditores apud Græcos.*

b *Lycurgus Lacedæmonijs leges dedit, trecentis plus minùs annis ante Socratis ætatem.*

c *Cretensium leges à Minoë & Rhadamantho latæ inter Græcas vetustissimæ*

d *Aduersus Deum verbo aut facto non est peccandum, neque aduersus diuinos homines.*

quippe nimium indignatur : quoties quispiam illius similem improbat, aut probat dissimilem. Dei verò [a] similis est vir bonus. Neque lapides ac ligna, aut ésque atque serpentes sacra existimes, homines verò nequaquam. Imò [b] sacratissimum omnium est vir bonus, prophanissimum contrà vir malus. Et nunc iam quemadmodum Homerus Hesiodúsque Minoëm ipsum extollunt, hac de causa referam, ne amplius homo ipse ex homine natus, aduersus Heroa Iouis filium perperam obloquaris. Nam Homerus vbi de Creta mentionem faceret, quòd esset admodum populosa, & in ea nonaginta vrbes, inter illas, inquit, est *Cnessus ampla ciuitas, in qua Minos regnauit, nouem annos magno cum Ioue colloquutus.* Tanta est hæc de Minoe Homeri commendatio paucis verbis explicita, vt nunquam pari laudatione heroum quenquam extulerit. quòd enim Iupiter sophista est, eáque ars præclarissima, quum alibi sæpenumero, tum hoc in loco, vel maximè patefacit. Nam Minoëm annos nouem cum Ioue colloquutum inquit, ad túmque disciplinæ gratia proficisci solitum, quasi Iupiter sophista sit. Quòd autem tanto munere, hoc est, ab Ioue eruditum esse, alium heroa nullum Homerus affecit, mira quædam laus existimanda est. Quinetiam in Odyssea, vbi funus describitur, Minoëm mortuorum animas iudicantem, aureum sceptrum tenentem induxit. Rhadamanthum verò neque hîc neque alibi iudicantem, aut cum Ioue colloquentem inducit. Quamobrem ab Home-

[a] *Vir bonus simili Deo.*

[b] *Vir bonus sacratissima res.*

[c] *Homeri testimonium de Minoë.*

ro præ cæteris omnibus Minoëm honoratum asserto. Etenim quum Iouis sit filius, quòd ab illo duntaxat sit eruditus, non habet id [laudis excessum aliquem] hoc nempe carmen illud significat, Minos regnauit nouem annos, magno cum Ioue colloqui solitus. Minoem videlicet cum Ioue annos nouem in sermonibus congressum. ὄαριστὴ namque idem sunt quod λόγοι, i. sermones, ὀαριστὴς autem est συνουσιαστὴς ἐν λόγοις, i. qui cum aliter in sermonibus congreditur. Minos itaque nouem annos, vel nono anno Iouis antrum erudiendus accessit. Vnde & didicit, & docuit inde cæteros, quæ ab Ioue nouem annis prioribus acceperat. Nec tamen desunt qui ὀαριστὴν exponant συμπότην & συμπαίστην, i. compotatorem, comessatorémque & collusorem Iouis. Verum ex hoc maximè istos non rectè exponere coniicere possumus, quòd nulli vel Græci, vel Barbari symposiis, id est, compotationibus, atque eiusmodi ludis [in quibus vinum adhibetur] abstinent, præter Cretenses atque Lacedæmonios, qui à Cretensibus didicerunt. In Creta præterea inter cæteras Minois ipsius leges hæc extat, a Ne inuicem compotent ad ebrietatem. Constat autem eum quæ honesta censebat, ciuibus suis obseruanda mandasse. Neque Minos improbi hominis instar, alia ipse fecisset, alia facienda mandasset. Cæterum consuetudo illa [quam habuit Minos cum Ioue hæc fuit, quòd is eius colloquio vsus est, vt in virtutis cognitione & studio proficeret] propterea eáque leges huiusmodi ciuibus suis instituit quarum obseruatione

a *Lex Minois fuit inter alias ne qui simul compotarent ad ebrietatem.*

Creta per omne tempus est felix, ac etiam Lacedæmon, ex quo iis legibus, vtpote diuinis, vti cœpit. Rhadamanthus autem vir quidem bonus extitit, à Minoë siquidem institutus erat: nec tamen regiam disciplinam omnem, sed regi tantùm ministrare in iudiciis didicit: vnde iudex bonus appellatus est. Eo planè veluti legum custode per vrbem vsus est Minos, ad reliquam verò Cretam custode Talo. Talus enim ter quotannis pagos omnes [circumibat curans vt in ipsis leges obseruarentur, quas tabulis æreis insculptas circunferebat] vnde æreus nominatus est. Hesiodus

a *Hesiodi de Minoë testimonium.*

præterea similia quædam in ipsum Minoëm intulit. Nam cum nominis illius mentionem fecisset, inquit: *Qui mortalibus regibus præstitit, pluribúsque gentibus imperauit, Iouis sceptrum habens, quo ciuitates regebat.* Hic item sceptrum Iouis nihil aliud vocat, quàm Iouis doctrinã, qua Cretam omnem moderabatur. MI. Quam igitur ob causam, ô Socrates, fama hæc inter homines diffusa est, Minoëm ipsum rudẽ, durúmque hominem extitisse? SO. Ob quam & tu, ô vir optime, & vnusquisque alius cui bona existimatio curæ est, si modò sapitis, diligenter cauere debetis, ne poëticum hominem infensum aliquem habeatis.

b *Poetarum cauẽda sunt odia.*

bPoëtæ quippe vim maximam in vtranque partem, & ad laudandum, & ad vituperandum habent. Qua in re profectò Minos deliquit, cùm huic vrbi bellum indiceret, quæ cum cæteris sapientibus plurimis, tum vel maximè poetis omnis generis, ac tragicis præsertim referta est. cTragœdia vero hic est antiquissima, nec vt plerique putant à Thespide, aut à Phrynicho sumpsit initium: sed si perscrutari volueris, reperies tra-

c *Tragœdia Athenarum antiquissimũ inuentũ.*

tragœdiâ longè antiquius huius ciuitatis inuentum. Hæc autem ex vniuersa poesi populum vehementer oblectat, atque allicit auditores qua nos Minoa ferientes, vlti sumus, eò quòd tributa illa pendere nos coëgit. In hoc igitur deliquit Minos, cùm nos lacessiret, ex quo euenit quod ipse quæris, vt minus benè audiret. Quoniam quòd vir bonus, atque legitimus vt suprà diximus, & excellens pastor populi fuerit, leges eius argumento sunt, quæ immutabiles perseuerant, vtpote vera ciuitatis gubernatione reperta. MIN. Verisimilem rationem, ô Socrates inueniſſe videris. SOCR. Nónne igitur, si vera loquor, videntur tibi Cretenses Minois Rhadamantíque ciues antiquissimis legibus vti? MIN. Videntur sanè. SO. Iti ergo priscorum omnium legumlatores excellentissimi fuerunt, hominúmque pastores, quemadmodum & Homerus bonum exercitus ducem pastorem populi nuncupat. MIN. Prorsus. SOC. Age itaque per Iouem amicitiæ præsidem si quis vos roget quid bonus legislator & pastor circa corporis valetudinem, corpori adhibet vt bonam valetudinẽ tueatur: respondebimus vtique rectè ac breuiter, quòd nutrimẽtum & exercitium, illo quidem augens, hoc verò exercens, atque ita corpus componens. MIN. Probè. SOC. Si post hoc ex nobis quærat, quidnam bonus animæ legislator & pastor, animæ adhibens atque impertiens meliorem efficit, quid nos huic potissimum respondebimus, vt minus de nobisipsis déque ætate nostra erubescamus? MI. Quid dicam nescio. SOC. At turpe nimium vtriusque nostrûm animis est, si quæ sibiipsis bona, maláve sunt ignorare, quæ verò ad

corpus, & ad alia pertinent, *Quædam desiderantur*, cognoscere videantur.

EVTHYPHRO PLATONIS, VEL, de Sanctitate.

Marsilij Ficini Argumentum.

EVthyphro totus in confutatione versatur. Quo factum est, vt nonnulli Platonicorum hunc librũ quemadmodum Euthydemum & Hippiam litigiosum vocauerint. Sed reuera dum falsas Euthyphronis de sanctitate opiniones Socrates confutat, venantibus veritatem illius vestigia signat. In hoc igitur libro, atque etiam in Gorgia sanctitatem Plato nominat eam iustitiæ partem, quæ suum deo tribuit. Suum tribuit deo, qui illa quæ sine medio accepit à deo, deo reddit. Corpus quidem, vt Plato in libro De natura, disputat, ab elementis quatuor, naturalem speciei complexionem à cœlestibus sphæris, partes animæ quæ trahuntur affectibus, à dæmonibus & animis siderum sphærarúmque suscepimus: rationi verò ac mentem nostri parentis imaginem ab ipso mundi totius opifice sine vllo cœlicolarum aut dæmonum ministerio. Hæc itaque dei sunt, hæc deo reddenda, atque hæc retributio sanctitas nuncupatur. Quam præcedit pietas, religio sequitur. Est enim *pietas dei parentis agnitio. Sanctitas, eius quod dei est, deo agnito retributio. Religio, eius quod deo redditum est assidua meditatione, iustísque operibus cum deo ipso indissolubilis relgatio: vt meritò sapiens ille dixerit, funiculum triplicem difficile solui funiculum inquam ex pietate, sanctitate religioné-*

*Rationẽ dũ taxat immediatè à Deo homo accepit.

* Pietas, Sanctitas, Religio, quid.

que

que connexum. Pietas sanctitatem excitat, sanctitas pietatem confirmat & sancit. Sanctitas quoque religionem mouet. Religio religat sanctitatem: prius enim hoc vel instinctu, vel inspiratione, vel admonitione opus est, quo deum vnum nostrum esse parentẽ fide indubia cogitemus, quam pietatẽ esse volunt.

EVTHYPHRO, SOCRATES.

QVID nouĩ, ô Socrates, accidit, quòd relictis exercitationibus Lycij, nunc circa regis porticum hic versaris? Neque enim causa nunc tibi vlla est ad regem itidem vt mihi. SOCR. Non causam hanc Euthyphro, sed accusationem Athenienses vocant. EV. Quid ais? num te aliquis accusauit? Non enim te alium accusasse putaré. SOCR. Nõ sanè. EV. At verò te alius? SO. Prorsus. EV. Quis iste? SOC. nec ipse quidem, ô Euthyphro, virũ hunc satis agnosco. Iuuenis enim quídã & ignotus esse videtur: vocát autẽ illũ vt puto. Melitum ex Pittheo populo, si quẽ tu Pitthensem Melitũ nosci, prolixis defluxísque capillis, aquilino & gibboso naso, barbáque rara. EV. Haud recordor, ô Socrates, sed [quam tibi dicã impegit? SOC. Quã rogas? eiusmodi, inquã, quę mihi nõ ab ingeneroso animo] profecta videtur. Nã iuuenẽ hominẽ rem tantam animaduertisse, haud abiecti ingenij indicium est. Ille si quidem vt ait quomodo iuuenes corrumpantur, & qui eos corrũpat, intelligit, ac sapiens quidã videtur, meáque insciti conspicatus quasi suos æquales peruertã, ad patriam me velut ad matrem accusaturus confugit, adeò vt mihi solus ipse [gerendæ Reipubl. rationem ab eo, quo oporteat capite arcessere videatur.]

Nam in primis animaduertisse, haud abiecti ingenij indicium est iuuenum cura suscipienda est, vt quàm optimi viri fiant: quemadmodum bonũ agricultorem teneriores primùm plantas curare decet, ac deinceps aliis prouidere. Etenim & Melitus fortasse primùm nos expurgat iuuenum (vt ait) germina corrumpentes, postea ac seniorum quoque curam gerens plurimorum ingentiúmque bonorũ ciuitati causa erit, vt consentaneum est eum facere, qui principium huiusmodi dedit. EVT. Vellem equidem, ô Socrates: sed vereor ne cõtrà contingat. Nam prorsus *ab ipsa Vesta mihi videtur huic vrbi nocere velle, qui iniuria te afficere tentat. Et mihi dicas, [abs te quid te agente iuuentutem corrumpi] prædicat? SOCR. Absurda quædam auditu, ô vir mirifice, inquit enim me confingere deos, & vt nouos inducentem deos, priscos verò negantem, me, vt ait, his de causis in iudicium vocauit. EVT. Intelligo iam, ô Socrates, quòd ipse dæmonij tibi passim adesse profiteris. Vnde aduersus te tanquam diuinas res innouantem, accusationem hanc inscripsit, & in iudicium te calumniaturus aduentat, quippe cùm nouerit ista facilè vulgò calumniam admittere posse. Me b quoque cùm de diuinis in concione perracto, futura prænuntians, tanquam insanientem rident, licet nihil vnquam nisi verum prædixerim. Nobis enim cæterisque huius generis omnibus inuident: nihil autem de iis curandum, sed interim eadem ratione pergendum. SOCR. O amice Euthyphro, irrideri fortassis nil refert. Athenienses nempe, vt mihi videtur, non admodum curæ est, si quem doctrina & eruditione præstare putent, modò ne

*Vide Eras. mum ab ipso lare ἀφ' ἑστίας.

a *Præcipuũ caput eius accusationis qua Socrates Melitũ in iudicium vocauit.*

b *Euthyphrõ fatidicus & ariolus quidam fuit.*

ne sua perdoceat alios. Quem verò scientia sua cæteros imbuentem sentiunt, indignantur, siue id liuore quodam vt asseris, conciti, siue alia de causa. EVT. Equidem isthuc, quo tandem modo erga me affecti sint, haud admodum experiri cupio. SOC. Fortè enim tu rarò teipsum aliis exhibere videris, tuámque nolle sapientiã propagare. Ego autem vereor ne ob humanitatem, qua erga mortales omnes sum, passim & effusè nimis vnicuique me præbere ipsis videar, non sine mercede duntaxat, verum etiam vltrò me meáque offerre solitus, siquis audire modò velit. Si me igitur, vt nunc dicebam, derisuri essent, quemadmodum tu derideri te dicis, nihil sanè molestum foret à iocantibus ridentibúsque in iudicium trahi. Sin isthuc seriò contendunt, quò tandem res euadat, præterquam vobis vaticinantibus incertum est. EVT. Nihil fortè negotij, ô Socrates erit: quin tu quidem, pro mentis viribus in causa tua certabis, ego autẽ vt arbitror in mea. SOCR. Num aliqua etiam tibi causa est? reus ageris, an accusas? EVT. Accuso. SOCR. Quem? EVT. Quem dum persequor, insanire videor. SOCR. Quid? * volantem fortè quempiam persequeris? EVT. Procul admodum abest vt volet, qui iam grandis est natu. SOCR. Quis iste? EVT. Pater meus. SOC. Tuúsne, ô vir optime? EVT. Prorsum inquam. SOCR. Quod crimen? quæ causa? EVT. Homicidij, Socrates. SOCR. Prò Hercules, nimirum, ô Euthyphro ignoratur vulgò quo pacto hoc rectè fiat. Neque enim puto cuiusuis opus est rectè hæc agere, sed alicuius sapientia longè prouecti. EVT. Longè her Iouem. SOC. An domesticorũ quispiam à patre peremptus

* πετόμενον τινα διώκειν, prouerb.

est? nimirum scilicet. Non enim ob extraneum aliquem homicidij patrem accusares. EVTH. Ridiculum est, ô Socrates, si quid interesse cẽses domesticúsne an extraneus sit occisus, neque id duntaxat obseruandum esse, vtrùm iure occiderit, quisquis occidit, nécne. Quod si iure, dimittendum: sin autem iniuria persequendum, etiam si qui peremit, contubernalis conuictórque sit. Æquè enim inquinaremur si sceleris conscij acquiesceremus, nec illum atque nosipsos iudicio expiaremus: quanquam qui periit, cliens atque minister meus erat, qui cum in Naxo in agricultura incumberemus, nobis mercede seruiuit. contumelia igitur & ira in domesticum quendam nostrum concitus eum continuò iugulauit. Vnde pater obligatis manibus ac pedibus in foueam coniecit, atque hunc misit hominem, qui iuris interpretem quid agendum esset interrogaret. Interea vinctum illum vt homicidam neglexit, quasi nihil omnino referret, si fortè moreretur: quod & accidit: nã priusquam ab interprete nuntius ipse rediret, fame, frigore, vinculis periit. Hac[a] de causa pater cæteríque propinqui grauiter ferunt, quòd propter homicidæ mortem patrem reum necis peragam, qui vt ipsi aiunt, minimè interfecit, vel si etiam interemisset, de homicidæ interitu nihil esset curandum. Impium enim esse ferunt filium patri diem dicere, malè diiudicantes, ô Socrates, quomodo diuinum numen circa sanctum [seu pium impiúmue est] se habeat. SOCR. Túne per Iouem, ô Euthyphro, sic te syncerè diuina, sancta, & prophana quomodo se habeant scire præsumis, vt iis ita peractis, quemadmodum inquis, haud formides

[a] *Occasio sequentis disputationis de Sancto.*

mides, ne patrem reum necis accusans impium aliquid aggrediaris? EV. Nihil mihi studium meum prodesset, ô Socrates, nec ratione vlla Euthyphro tot mortalibus præstaret, nisi talia quædam planè dignoscerem. SOCR. O admirande Euthyphro, nihil potius est, quàm vt discipulus tuus fiam, & in contentione quæ mihi cũ Melito est, in primis ista obiiciã, quòd scilicet antehac diuinorum cognitionem maximi quidem fecerim: nunc autem postquam me propria vanáq; opinione & errore nouos deos confingere dixerit, discipulum tuum esse factum. Si ergo, ô Melite, dicam, Euthyphronẽ in iis rectè sentire putas, me quoque existima, neque damnes. Sin minus, præceptorem illum prius quàm me in iudicium accersito, senes homines corrumpentem, me scilicet atque patrem, me quidem docentem, illum verò coercentẽ & punientẽ. Quòd si mihi non obsequatur neq; remittat iudiciũ, neq; pro me tẽ accuset, eadem illa in iudicio tu dices, quæ ego obieci. EV. Ita per Iouẽ, ô Socrates: nam si me accusare tentauerit, reperiam, vt opinor, vbi ille* debilis infirmúsque sit, ac multò prius de illo quã de me in iudicio disceptabitur. SO. Atqui ego, ô dulcis amice, hæc cõsiderans, discipulus tuus esse velim, cũ norim quòd & alius fortasse quidã, & Melitus iste te quidẽ ne vidisse quidẽ videtur: me verò sic acutè prorsus, facileq; perspexit, vt impietatis hîc accusauerit. Nũc ergo per Iouẽ mihi dicas quòd planè nosse asseueraſti, quid piũ, quídue impiũ esse velis, & in nece, & in cæteris omnib. An nõ idẽ est sibi in singulis actionib. ipsum piũ & impiũ rursus omne pio contrarium, ipsum verò sibiipsi consimile, vnámque secundum quod

* Græc. σαπρὸς i. putris.

impium est, ideam habet, quodcunq; impium esse debet. EVT. Omnino, ô Socrates. SOCR. dic ergo quid sanctum, quid impium vocas? EVTH. Sanctum quidem voco, quod ipse nûc facio. Eum qui iniustè agit vel circa cædes, vel sacrilegia, vel aliud huius generis, in iudicium trahere, seu pater, siue mater, siue quiuis alius deliquerit, at non persequi, prophanum. Quin vide quæso, ô Socrates, quàm validam tibi legis coniecturam referam, quòd ita sit res habeat, quemadmodum aliis quoque narrauí, tum demum rectè agi, quum nulli prorsus peccanti quisquis ille sit, parcimus. [a] Nam ipsi homines credunt Iouem ipsum deorum omnium optimum atque iustissimum esse quem tamen patrem suum ligauisse fatentur, quòd natos absque iure deuorauisset. Illum præterea patrem castrauisse ob talia quædam asserunt. Mihi verò succensent quòd parentem iniustitiæ obnoxium persequor. Atque ita homines isti sibiipsis tam de diis quàm de me cõtraria sentiunt. SOCR. Atqui hanc ob causam, ô Euthyphro accusor, neque quid respondeam satis habeo. Nam quoties de diis talia quædam quis diceret, molestè ferebam, qua de causa, vt videtur, peccare me ferunt. Nunc autem si tibi hæc ita videntur harum rerum perito, necesse est nos etiam consentire, quid enim aliud dicemus? quippe qui nihil de iis intelligere nosipsos prædicemus. Cæterum per Iouem amicitiæ præsidem mihi dicas, an ipse sic ista reuera euenisse putes. EVTH. Et mirabilior insuper, ô Socrates, quæ multis occulta sunt. SOCR. Bellum igitur inter deos agitari inuicem arbitraris, inimicitiásque graues & pugnas aliáque permulta, quæ à poetis, & pe-

[a] *Factũ suũ in eo quod patrẽ nocentem accusaret exemplo Iouis tuetur Euthyphro.*

& peritis scriptoribus memorantur? Vnde & alia nobis sacra huiusmodi varietate sunt plena, & in magnis Panathenæis peplum istarum varietatum plenum in arcem infertur. An hęc vera ô Eutyphro, esse fatebimur? EVT. Nō hęc sola ô Socrates, sed quod paulò antè dixeram, alia quoque multa, si velis, de diuinis exponā: quæ cùm audieris, fat scio obstupesces. SOC. Nequaquā mirarer: verùm ista deinceps maiori cum otio referes, in præsentia verò quod modò quæsiui explicate planius nitere. Neq; enim principiò sufficiēter amice me docuisti, cùm quid sanctū esset interrogarē: sed id sanctū esse dixisti, quod tu nōc ageres, dum necis rcum patrem tuum accusas. EVT. Et vera mitum, ô Socrates dixi. SOC. Fortè, sed num alia multa, ô Eutyphro sancta nuncupas? EVT. Et alia. SOC. a Recordare igitur quòd non te hortabar, vt vnum me aut duo ex multis sanctis, sed illam ipsam speciem, qua cuncta sancta, sunt sancta, doceres. Dixisti enim vna idea omnia sancta, sancta esse, atque vna iterū quæ siunt impia, impia. An non meministi? EVT. Equidem. SOC. Quænam sit igitur ea ipsa * idea mihi demonstra, vt ad illam respiciēs, eáque tanquam exemplari aliquo vtens, quodcunque tu, vel alius quiuis tale facitis, sanctum esse dicam: quod autē dissimile, negem. EVT. Si ita vis ô Socrates, ita dicam. SOC. Imò volo. EVTH. b Quod quidem dilectum diis, sanctum est: quod verò non dilectum, impium. SOC. Quam pulcherrimè, ô Euthyphro, vtque te respondere volebam, sic nunc respondisti: vtrum tamen verum responderis, nondum noui. sed tu planè vera hæc esse nobis ostendes. EV. Omnino quidem SOC. Age itaque,

a *Refellitur definitio sancti allata supra Euthyp. vel eo maximè quod non sit generalis.*

* Idea pro forma ipsa seu definitione tam generis quàm speciei interdū accipitur.

b *Secunda definitio sancti allata ab Euthyphrone.*

id de quo dicemus, consideremus. Deo dilectum opus sanctum, ac vir Deo dilectus, sanctus: opus autem inimicũ Deo impium, & vir Deo inimicus, impius dicitur. Sanctũ verò & impium nõ eadem sunt, sed omnino contraria. nónne? EVT. Sic est. SOCR. Num probè dicta hæc esse videntur? EVT. Sic existimo, dicta enim sunt. SOCR. Nónne dictum est deos inuicem dissidere, atque pugnare, inimicitiásque inter eos esse? hócne etiam dictum. EVT. Dictum profectò. SOC. Inimicitias autem & iras, ô optime, dissensio de quibusdam gignit. Hoc ita cõsideremus: nunquid si ego & tu de numero dissentiremus, vtra sint plura discutientes, dissensio huiusmodi nos inimicos faceret, & iracundiam concitaret? an potius ad computandi ratiõem confugientes, mox ab hac dissensione cessaremus? EV. Prorsus. SOC. Et si de maiori ac minori dissentiremus, nónne ad mensuram recurrentes, statim controuersiam solueremus? EV. Vera hæc sunt. SOC. Ac si ad ponderandum liberandúmque tendamus, controuersiam circa grauius, & leuius dissoluemus? EV. Quídni? SOC. Quæ sunt igitur ea de quibus quũ dissentimus, nec iudicare facilè possumus, inimici efficimur, & irascimur? Fortan in promptu non habes. Verùm ego dicam. tu considera vtrum ista sint, aiustum, & iniustum: pulchrum, & turpe: bonúmque, & malum. nunquid hæc sunt de quibus cùm dissentimus, nec possumus ad sufficiens horum iudicium peruenire, hostes efficimur quoties efficimur, & ego & tu, ac demũ homines vniuersi? EVTH. Hæc ipsa certè dissensio est, ô Socrates, & quæ circa ista versatur. SOCR. Et dij

a *Contrariæ hominũ de Iusto & Iniusto opiniones pariunt inter ipsos odium & inimicitias.*

Et dij ô Euthyphro, si de aliquo dissentiant, de his certè dissentient. EVTH. Necesse est omnino. SOCR. Ex diis itaque, ô generose Euthyphro, alij alia iusta putant secundum orationem tuam, & pulchra, & turpia, bonáque & mala. Nunquam enim inuicem decertarent, nisi de his dissenserunt. an non? EVTH. Rectè loqueris. SOC. Nónne quæ pulchra singuli putant, bonáque & iusta, hæc amant? quæ contraria, prorsus oderunt? EVT. Omnino. SOC. Eadem verò, vt ais, alij iusta, iniusta alij censent, de quibus disceptantes contendunt inuicem, atque pugnant. num ita? EVTH. Ita. SOCR. Eadem igitur vt videtur, à diis amantur, odióque habentur, atque eadem hæc tum diis amica, tum etiam inimica. EVT. Videtur. SOC. Hac ratione, ô Euthyphro, eadem sancta erunt simul atque impia. EVTH. [a] Apparet. SOCR. Non ergo quod quæsieram, ô vir admirabilis, respondisti. non enim id volebam, quod & sanctum & impium simul esse contingit: quod verò Deo amicum est, Deo quoq; inimicum esse videtur. quãobrem ô Euthyphro, quod nunc agis parentẽ puniẽs, nihil mirum esset, si dum hoc agis, rem ageres, quæ Ioui probaretur. Saturno autem, & Cælo inimicum; & Vulcano quidem gratum, Iunoni molestum, & si quis deorum alius de ipso ab alio dissidet. circa illos enim similiter euenieret. EVTH. At opinor, ô Socrates, in hoc deorum nullum ab alio discrepare, quòd qui iniustè quẽquam peremit, pœnas pendere non debeat. SO. Num hominem aliquem ô Euthyphro, de hoc aliquãdo dubitantẽ audisti quòd hominem iniustè occidentẽ, aut aliquid aliud

a *Refutatur secunda definitio Sancti, & ostenditur Sanctum nõ ma gis esse id quod Deo probatur, quàm id quod Deo improbatur.*

agentem iniustè, pœnas dare non deceat? EV. Nunquam de iis disceptare cùm alibi, tum etiam in iudiciis cessant. qui enim peccarunt, omnia dicere & facere experiuntur, quo pœnam effugiant. SOC. An iniustè agere confitentur? ac simul aiunt pœnas pendere non decere? EV. Id nullo modo. SOC. Nō ergo omnia dicunt faciúntque: hoc enim vt arbitror dicere, aut ambigere nequaquam audent, quòd aiunt potius se non iniustè fecisse, an nō? EV. Vera loqueris. SOC. Haud igitur de hoc ambigunt, vtrum iniustum puniri oporteat: verùm de hoc potius inter se disceptant, quis iustè fecit, & quid agendo, & quando. EV. Vera narras. SOC. Nónne eadem hæc diis accidunt, si de iustis atq; iniustis, vt oratio tua testatur, dissentiunt? Atque ij quidem iniustè facere asserunt, alij negant, postquàm illud, ô vir mirabilis, nullus hominum, vel deorū dicere audet, iniustum videlicet pœnas nequaquam dare debere. EVT. a Ita vera enim sum. matim dicis, ô Socrates. SOC. De vnoquoq; vt puto, eorum quæ facta sunt, disceptant, ô Euthyphro, quicunque ambigunt, siue homines, siue dij: si modò dij ambigunt, dum de aliqua actione dissentiunt, partim quidé iustam, partim verò iniustam fuisse dicentes. An nō isto modo? EVT. Omnino. SOCR. Age igitur, ô amice Euthyphro, me quoq; vt sapientior fiam, doce, qua coniectura potissimum asseris, quòd dij cuncti illum iniustè peremptum existiment, qui mercede ministrans homicida factus ab interfecti domino vinctus, vinculis antè periit, quàm qui ligauerat, à iuris interprete quid agendum cognosceret? atque ob hoc rectum

a Non minus inter deos, (quales nè pe describũtur à Poetis) ambigitur, quam inter homines quodnã factum sit Iustum vel iniustum censendum.

rectum esse vt filius patrem in capitis discrimen inducat? Age obsecro, de iis aliquid mihi clari demonstrare conaris, quòd omninò dij omnes vel maximè actionem hãc rectam existiment: quod si sufficienter ostenderis, nunquã sapientiæ tuæ laudes prædicare desistam, EV. At fortè non paruũ opus est hoc, ô Socrates: nam ostẽdere quidem planè admodũ tibi possem. SO. Intelligo iam, quod ad percipiendum tardior quàm iudices esse tibi videor: quippe cũ illis liquidò mõstraturus sis hęc esse iniusta, omnésq; talia deos odisse. EV. Perspicuè nimium, ô Socrates, modò me dicentẽ audiãt. SO. Atqui audient, si bene dicere illis videberis. Illud autem loquente te cogito, & mecum considero, quòd licet vel maximè Euthyphro me doceat, deos omnes hãc mortem iniustã ducere, qui magis inde ab Euthyphrone didicero, quid sanctũ, quidue impiũ & scelestum sit? Deo quidem inimicũ opus hoc esset: attamen ab hoc paulò antè discreta hæc esse minimè visa sunt, sanctum scilicet, & non sanctum: quod enim Deo amicum, Deo etiam inimicum apparuit. a Quamobrem hoc tibi dimittã, ô Euthyphro: & si vis, dij omnes iniustũ putent & oderint. Veruntamẽ hoc iam in sermone sic emendemus, vt quod dij omnes oderint impiũ: quod contra omnes amẽt, sanctum sit. Quæ verò alij quidem ament, alij verò oderint, neutra sint, vel simul ambo. Num ita vis nũc sanctum, & prophanum nobis esse distinctum? EVT. Quid, ô Socrates prohibet? SO. Nihil ad me, ô Euthyphro, sed tu quod ad te attinet, cogita vtrum ista ponens, sic me facilè quod pollicitus es, doceas. EVT. Equidem sanctum quod dij omnes ament, esse faterer:

a *Corrigitur secunda illa definitio Sãcti allata ab Euthyph. o-stenditúrque Sanctũ definiendũ esse nõ quod simpliciter Deo alicui sed in vniuersum Dijs omnibus pro baretur.*

impium contrà, quod omnes oderint SOCR.

[a] *Correcta & emendata illa secũda definitio Sancti iterũ discutitur & reiicitur.*

[a] An hoc iterum discutiẽdum, vtrum rectè dicatur nécne? vel potius omittendum, atque ita & nobis ipsis & aliis indulgere debemus, vt quicquid dictum fuerit, admittamus? an quod dictum sit examinandum est? EV. Discutiendum, quanquam hoc nunc bene dictum existimo. SOC. Forsitan, ô bone vir, melius isthuc intelligemus: sic enim cogita, Vtrùm sanctum quia sanctum est, à diis amatur? vel quia à diis amatur, est sanctum? EV. Haud intelligò quod dicas, ô Socrates. SOC. Apertius explicare conabor. Dicimus quiddam quod fertur & ferens, quod ducitur & ducens, quod videtur & videns, atque huiusmodi cuncta: num hæc diuersa esse, & quà diuersa sunt intelligis? EVT. Intelligere mihi videor. SOCR. Nónne & id quod amatur aliquid est, & aliud præter hoc amans? EV. Quidni? SOC. Dic obsecro: id quod fertur an quia fertur, ideo est id quod fertur, an ob aliquid aliud? EV. Nequaquam, imò ob hoc ipsum. SOC. Et id quod ducitur similiter quia ducitur, & id quod videtur quia videtur? EV. Maximè. SO. Nó ergo quia est illud quod videtur, ideo videtur. sed contrà, quia videtur, est illud quod videtur: nec quia est id quod ducitur, ideo ducitur, sed quia ducitur, ideo est illud quod ducitur: nec quia est id quod fertur, ideo fertur, sed quia fertur, est id quod fertur. nónne perspicuũ est, ô Euthyphro, quid inferre velim? Volo autẽ hoc siquid fit, aut patitur aliquid non quia est id quod fit ideo fit, sed quia fit potius, ideo est id quod fit: nec etiã quia patiẽs est, patitur, sed quia patitur, patiẽs est. Admittis hęc? EV. Admitto equidem. SOC. Nónne & id quod amatur, & id quod fit ali-

quid

quid est, aut aliquid ab aliquo patiés? EV. Prorsus. SO. Hoc igitur eodē modo quo superiora se habet: nō quia est id quod amatur, amatur à quib. amatur, sed quia amatur, est illud quod amatur. EV. Necesse. SO. Quid itaq; de sancto dicimus, ô Euthyphro? an quod ab omnib. diis amatur, vt oratio tua testatur? EV. Imò. SOC. Nunquid ob hoc quod sanctū est, an ob aliud quidā? EV. Ob hoc ipsū. SO. Ergo quoniā sanctū est, amatur, nō quoniā amatur est sanctū. EV. Videtur. SO. Veruntamē quoniā à diis amatur, amatū est, atq; diis amicum. EV. Quid phibet? SO. Nō ergo Deo amicū, sanctū est, ô Euthyphro, neq; sāctū amicū Deo, vt tu ais, sed hoc aliud est quàm illud. EV. Quanā ratione ô Socrates? SO. Quoniā confitemur sanctū ob id amari, quia sāctū est: nō quia amatur, esse sanctū: nónne? EV. Certè. SO. Amatū auté à Deo, eo ipso quo amatur à Deo, Deo amatū esse, nō quia amatum à Deo, amari. EV. Vera loqueris, SO. Verū si ô amice Euthyphro, idē esset Deo amatū atque sanctū, tūc aut quia sanctū est, amaretur quod est sanctū, atq; ita quia Deo amatum amaretur à Deo quod Deo amatū est. Aut quia amaretur à Deo quod amatum Deo est. Deo amatū esset, atq; ita quod sanctū est, ex eo quòd amaretur esset sanctū. Nūc autem vides quòd oppositio modo se habent, vtpote quæ inter se diuersa sunt, hoc enim, scilicet amatū Deo, quia amatur, tale est vt sit amatum, illud autē scilicet sanctū, quia tale est vt amatur, amatur, & amatum est. Videríſq; ô Euthyphro, quū quid sanctū sit, interrogatus fueris, *essentiā illius ostēdere noluisse, sed *passionem quādam assignauisse, quam hoc sanctum suscepit ab omnibus videlicet diis amari; quid

a *Accurate definitiones debent constare ex causis, seu partibus rei essentiam constituentibus, nō autē ex affectionibus aduentitiis, & sequentibus rei essentiam.*

autem fit, nõdum explicuisti. Si itaq; tibi placet, ne me celes, verùm à principio rursus dicas, quid ipsum sanctum existens, vel amatur à Deo, vel aliud quiduis patitur: neque enim de hoc inuicem dissidebimus. Sed prõptè iam dicas quid sanctum est, quídue sceleſtum. EV. At ô Socrates, quomodo tibi quod cogito, exprimam, non inuenio. Semper enim nobis quod proposuimus, oberrat, neque consistere vult vbi sistimus. SOCR. Progenitoris nostri [a] Dædali, ô Euthyphro, opera esse quæ dixisti, videntur. Quòd si ego illa dixissem atque posuissem, fortè me risisses (ioco quodam obiiciens) quòd orationis meæ opera ex illius cognatione, diffugiunt, neque permanere volũt, vbi quis illa locauit. Nunc autem cùm tuæ suppositiones istæ sint alio quodam opus est ioco: neque enim tibi permanere volũt, vt tibi quoque videtur. EVTH. Imò mihi videtur ô Socrates, quæ dicta sunt, hoc ipso ioco notari posse: quòd enim illa oberrant, ego minimè in causa sum, sed tu mihi Dædalus ipse videris: quantum nanque in me est, sic illa mansissent. SOC. [b] Videor igitur, ô amice, eo in hac arte quàm ille præstantior, quo ille sua solùm instabilia fabricabat, ego autem præter mea, vt apparet, etiam aliena. Idque mihi est in arte pulcherrimum, quòd inuitus sum sapiens. Malim nanque rationes mihi manere, immobiléſque consistere, quàm supra Dædali sapientiam, Tantali quoque diuitias assequi. Atque hæc quidem satis. Postquam verò [delitias agere mihi videris] ego vnà tecum hunc laborem suscipiam, vt me citra ipsum sanctum erudias, nec in medio cursu deficias. Vide nanque num tibi nec cessa-

[a] *Dædali opera non ligata solna erant fugere, vide in Menone circa finem.*

[b] *Locus in Socratis artificium in conuellendis & refutandis aliorum sententiis & opinionibus.*

Molitur & enititur Socrates vnà cum Euthyphrone aliã definitionẽ Sacri seu Religionis, optimum quidẽ genus ipsum inuenit, nempe Iustum.

teſſarium videatur omne ſanctum eſſe iuſtũ.
EV. Mihi verò. SO. Nũnquid igitur & omne iuſtum ſanctum? aut potius omne ſanctũ iuſtum? Iuſtum verò nõ omne quidẽ ſanctum, ſed partim ſanctum, partim aliud quiddã? EV. Ego verò iſta verba tua haud conſequor. SO. Veruntamen iunior me * nihilominus quàm ſapientior es. ſed, vt dixi, delicias facis ob ſapientiæ cõpiam. At ô beate, vires tuas excita, enitere. Non enim arduum eſt quod dicebam compræhendere. Contrà enim ſtatuo quam poeta, qui dicit:

Scribere cur metuã, quum ſcribo de Ioue ſummo?
Nanque metus ſecũ ſocium trahit vſque pudorẽ.

Ego autem à Poeta hoc diſcrepo: vis quo diſcrepo tibi dicam? EV. Prorſus. SO. [a] Non videtur mihi vbicũnque timor eſt, ibi etiam pudor exiſtere. Nam multi mihi videntur pauertatem ac morbos cæteráque huiuſmodi metuentes timere quidem, neque tamen pudore vllo in iis affici quæ timent: tibi verò nõnne idem videtur? EV. Et mihi. SOC. Ac vbicunque pudor, ibi & timor. An quiſquam eſt qui pudore afficitur atque erubeſcit, opinionem prauitatis nõ formidãs? EV. Formidat certè. SO. Haud [b] igitur rectè dicitur, vbi timor, ibi pudor, ſed vbi pudor, ibi & timor: neque tamẽ (vice verſa) vbicũque timor, ibi etiam pudor. Amplior enim vt arbitror, eſt timor quã pudor: ſiquidẽ pars timoris eſt pudor, quẽadmodũ numeri pars eſt impar. Ideóque non vbicũnque numerus, ibi impar: vbi tamen impar, & numerus eſt: nõnne núc aſſẽqueris? EVT. Maximè. SO. De hoc igitur in ſuperiorib. percontabar, vtrum vbi iuſtum, ibi & ſanctum: an vbi ſanctum, ibi iuſtum: vbi tamen iuſtũ,

* Me ſapientia nõ minus anteis, quàm ego te annis.

[a] *Nota traditur, qua Genus dignoſci poteſt à ſpecie.*

[b] *Timor latius patet, quã pudor.*

non semper & sanctum: pars quippe iusti sanctũ est. Itáne igitur, an aliter dicemus? E v. Sic vtique probè enim dici videtur. s o. Vide verò quod sequitur: si enim sanctũ iusti pars est, oportet nos, vt apparet, cuiusmodi iusti pars sit, inuenire. Si tu ergo me modò aliquid prædictorum interrogares, vt puta par cuiusmodi pars numeri, & quis numerus sit: respõderem profectò, qui non laterum omniũ inæqualium, sed æqualium duorum sit. An non idẽ tibi videtur? E v. Mihi certè. s o. Conare igitur tu quoque me ita docere, cuiusmodi iusti pars sanctũ est, vt & Melito confestim obiiciam, ne vlterius Iniustitiæ nos & impietatis accuset: quippe cum abs te quæ pia, quæ sancta, quæue cõtraria sunt, quantum satis est, didicerimus. E v. Iusti igitur partẽ, ô Socrates, sanctum & pium esse reor, [a] quæ scilicet circa deorum curam versatur. Eam verò quæ ad hominum curam pertinet, reliquam esse iustitiæ partem. s o. Probè ô Euthyphro, dicere mihi videris, sed paulum quid præterea requiro. Curam enim quam voces, non dum intelligo. Neque fortè dicis hanc curã quæ ad deos spectat talem esse, quales curæ sunt quæ ad alia spectant. Vt ecce cum dicimus: Non quiuis equos curare nouit, sed equestrem: an non? E v. Prorsus. s o. Equestris nanque facultas equorum cura est. E v. Vtique. s o. Et venatoria canũ, & bucolica boũ. E v. Omnino. s o. Sanctitas autem & pietas cura deorũ, Sicne, ô Euthyphro asseris? E v. Assero. s o. An non cura omnis idem intendit, vt hoc huiusmodi bono & vtilitatis sit ei quod curatur? vt equi ab equestri diligentia iuuantur, ac meliores euadunt. An non sic videntur? E v. Mihi planè

[a] *Generi inuento quod erat iustum additur differentia, vt sanctũ definiatur esse iusti pars quæ circa deorum curam versatur.*

planè. SOCR. Et canes à venatorum peritia, & à bucolica boues, ac reliqua cũcta similiter. Aut verò in damnum eius quod curatur, curam tendere putas? EV. Non per Iouem. SO. Ad vtilitatem verò? EV. Quidni? SO. Sanctitas quoque cùm deorum cura sit, diſne prodeſt, ac meliores efficit? at cur nõ hoc tu quidẽ concederes, vt cum ſanctum quippiam peragas, deorum aliquem facias meliorem? EV. Nunquam per Iouem. SOC. Neque ego, ô Euthyphro, id te dicere arbitror: longè enim à me ſuſpicio hæc abeſt: propterea te rogaui qualémnam curam deorum diceres non exiſtimans huiuſmodi, quandã te dicere. EV. Et rectè quidem, ô Socrates, non enim talem aſſe IO. SOC. Eſto, ſed quænam tandẽ deorum cura ſanctitas erit? EV. Qua, ô Socrates, ſerui dominos curant. SOC. Intelligo: miniſtra quædam deorum, vt videtur, cura hæc erit. EVT. Prorſus. SOC. Potéſne igitur dicere, ad quid ſuppeditet medicis cura medicorũ miniſtra? nónne ad ſanitatem? EV. Ad hanc ipſam. SO. Miniſtra verò facultas eorum qui naues conſtruunt, ad quid illis miniſtrat? EV. Nimirũ ô Socrates, ad nauis fabricã. SOC. Et quæ domorum ædificatoribus, nónne ad domus cõſtructionem? EV. Certè. SOC. Dic itaque mihi vir optime, cura illa miniſtra deorũ, ad cuius operis effectionem diis obſequitur? perſpicuum eſt enim te ſcire, cùm diuina te noſſe præ cæteris omnibus affirmaris. EV. Et vera loquor, ô Socrates. SOC. Dic ergo per Iouẽ, quid eſt mirificum hoc opus, quod dii nobis miniſtrantibus faciunt? EVTHY. Multa profectò ac pulchra, ô Socrates. SOCRAT. Exercitus quoque duces (multa & pulchra

efficiunt) ô amice: veruntamen facilè præcipuum diceres opus illorum esse in præsio superare, an nõ? EV. Quidni? SO. Multa præterea atque pulchra, vt arbitror, agricultores: summa tamen illorũ est, ex terra aliméta colligere. EV. Prorsus. SO. Multorũ verò pulchrorúmque operũ quæ dij perficiunt, quæna summa existit? EV. Etiã paulò antè dixi, ô Socrates, prolixi operis esse hæc omnia perfectè cõprehendere. Sic autẽ nunc tibi simpliciter dico, quòd si quis grata diis loqui & agere nouit, vouẽs atque sacrificãs, hæc sancta sunt: atque hæc officia, tũ domos proprias, tũ ciuitates conseruant. Cõtraria verò iis quæ diis grata sunt, impia sunt, ac vniuersa peruertunt ac perdũt. SOC. Paucioribus admodũ, ô Euthyphro, si voluisses, summã eorum quæ rogabã explicuisses: sed satis apparet, quàm nõ promptus & libens ad me docendũ accedas: etenim nũc cùm in hoc esses, resiliebas: quòd si respõdisses, fortasis dudum sanctitatẽ abs te didicissem: nunc autẽ (necesse est enim interrogantem interrogatũ sequi quacũque ducit) quid tandem dicis sanctũ esse, atque sanctitatem? nõnne scientiam quandam vouendi, atque sacrificandi? EV. Equidẽ. SO. Nõnne sacrificare est munera dijs offerre? Vouere autẽ à diis petere? EV. Et maximè quidem, ô Socrates. SO. Scientia ergo & à diis dãdi, & ab iis petẽdi, hoc quidem pacto sanctitas erit. EV. Perpulchrè, ô Socrates, quòd dicebã intellexisti. SO. Auidus sum ô amice, sapientiæ tuæ, mentémque adhibeo, nec excidere quicquã patiar frustra. At mihi dicas, orò, quænam hæc est ministratio erga deos? An esse dicis ab iis petere aliquid, & iis dare? EV. Certè. SO. Re-

a *Perspicua definitio Sãcti seu Religionis. Scientia grata diis loquendi, agendi, vouendi & sacrificandi.*

b *Cùm sacrificare sit dijs dare. Sequitur pietatẽ in deos seu religionem esse mercaturam quãdam inter ipsos & homines.*

ctè ab illis petere, nónne est ea petere quibus egemus? EV. Quid ergo? S O. Rectè autem dare, ea quibus indiget illis offerre? Neque enim scitum esset, ea alicui quibus non indiget elargiri. EV. Vera narras ô Socrates. S O. Mercatura igitur, ô Euthyphro, inter deos & homines mutua quædam sanctitas erit. EV. Mercatura, si sic nominari lubet. S O. At nihil mihi placet, nisi sit verum. [a] Dic ergo, quænam diis ex muneribus nostris vtilitas? Nam quæ ipsi dent, nemo est qui ignoret. Nihil enim nobis est bonum, quin illi præbeant: quæ verò à nobis accipiunt, quid illis conferunt? An tantò ipsis in hac mercatura præstamus, vt cum nos omnia ab illis bona suscipiamus, ipsi nihil à nobis boni reportent? EV. Nũ opinaris ô Socrates, deos iis, quæ à nobis accipiunt, aliqua ex parte iuuari? S O. At quid tandem erunt hæc nostra dona diis oblata? E V. Quid putas aliud quàm honorem, venerationẽ, & vt modò dixerã, gratiam? S O. Est igitur, ô Eutyphro, gratiosum diis, sanctum, nõ autẽ vtile, aut amicũ? E V. Reor equidem maximè omnium amicũ. S O. Igitur sanctũ rursus vt videtur est, quod sit diis amicũ? E V. Maximè. S O. [b] An est mirum igitur cũ hæc dicas, quòd rationes tibi ne quaquã consistere, sed vacillare potius videntur, ac me veluti Dædalũ culpas, quòd eas nutare cõpellam? cùm tamen ipse longè admodum artificiosior sis quàm Dædalus, dum ipse facis vt sermones in circulum reuoluantur. An non sentis orationem rursus in idem refluere? Meministi enim in superioribus sanctum & dilectum Deo haud eadem, sed diuersa inuicem apparuisse: an non me-

[a] *Si Religio est scientia offerẽdi Deo non vtilia aut necessaria, sed grata dũtaxat. Iterum recurrit supra exposita definitio sanctis qua dicebatur sanctum idem esse atque dijs amicum.*

[b] *Iocus in Euthyphronem, qui iterũ ponẽs, quod supra admonitus repudiarat, in circulum circũducat, & circũferat suos sermones.*

ministi? EVT. Memini. SOC. Nūc verò nequaquam animaduertis te sanctum deo amicum dicere: hoc autem nihil aliud est quàm deo dilectum. An non? EVT. Omnino. SOCR. Ergo aut tunc non rectè concessimus: aut si rectè tunc, modò non rectè iudicaremus. EVT. Videtur. SOCRAT. Igitur à principio rursus quid sanctum sit, examinandum est. Nam ego antequam discam, lubenti animo deterritus non discedam. Sed ne me contemnas imò mētem penitus adhibens quàm maximè nūc exprime veritatem. Nosti enim si quis hominū alius. Neque dimittendus es, quemadmodum Proteus, priusquam dixeris. Nam nisi liquidò sanctum ac prophanum nouisses, nunquam mercenarij cuiusdam gratia, virum senē & patrem vt reum mortis persequi statuisses, sed deos timuisses, ne fortè minus id rectè aggredereris, atque homines veritus essēs. Nunc autem noui quòd sanctum & prophanū nosse planè opinaris. Dic igitur optime Euthyphro, neque nos celes quid ipsum essē putes. EVTH. Aliàs, ō Socrates, nunc enim aliò propero, & hora est vt abeam. SOCR. Quid agis amice, Magna de spe me nunc abiens deiecisti, qua sperabam abs te quid sanctum, quid non sanctum discere, atque ita Meliti accusationem euadere, ostendens illi quòd ab Euthyphrone diuinorum sapientiam adeptus fuerim, neque vlterius ex mea rudique sententia nouum aliquid de diuinis inducturus sim, sed reliquū omne tempus rectius sim victurus.

PAR-

PARMENIDES,

VEL, DE VNO RERVM OMNIVM PRINCIPIO, ET DE IDEIS.

Marsilij Ficini Argumentum.

CVM Plato omnes eius dialogos totius sapientiæ semina sparserit, in libris de Repub. cuncta moralis philosophiæ instituta collegit, omnem naturalium rerum scientiam in Timæo, vniuersam in Parmenide complexus est theologiam: cumque in aliis longo interuallo cæteros philosophos antecesserit, in hoc tandem seipsum superasse videtur, & ex diuina mentis adytis intimaque philosophiæ sacrario cœleste hoc opus diuinitus deprompsisse. Ad cuius sacram lectionem quisquis accedet, prius sobrietate animi, mentisque libertate se præparet, quàm attrectare mysteria cœlestia operis audeat. Hic enim diuus Plato de ipso vno subtilissimè disputat, quemadmodum ipsum vnum rerum omnium principium est super omnia, omniaque ab illo. Quo pacto ipsum extra omnia sit, & in omnibus, omniaque ex illo, per illud, atque ad illud. Ad huius quod super essentiam est, vnius intelligentiam gradatim ascendit. vnum quippe in triplici ordine reperitur. In iis quæ fluunt, atque sensibus subiiciuntur, & sensibilia nominantur. In iis etiam quæ semper eadem sunt, & intelligibilia nuncupantur, non sensibus amplius, sed sola mente percipienda. Nec in iis tantùm verùm etiam supra sensum & sensibilia intellectumque & intelligibilia ipsum vnum existit. Quamobrẽ hoc in dialogo Zeno Eleates primo Parmenidu Pythagorici discipulus vnũ esse in sensibilibus probat, ostẽdens q; si hæc multa essẽt, nullo modo

vnius natura participantia, errores plurimi sequerentur. Deinde Socrates Zenoni non repugnans quidem, sed eum altius eleuans, ad considerationem vnius & vnitatum quæ in rebus intelligibilibus insunt, perducit, ne in hoc vno quod sensibilibus inest, moretur. Ex hoc igitur ad ideas inuestigandas peruenitur, in quibus rerum vnitates consistunt. Postremò Parmenides ipse senior haud quaquam Socratis contradicens, sed inchoatam contemplationem eius absoluens, integram Idearum explicat rationem. Vbi quatuor de Ideis quæstiones inducit. Primò vtrum sint. Secundò quorum Ideæ sint, & quorum minimè. Tertiò quales sint, quámve vim habeant. Quartò quomodo ab iis quæ infra se sunt, participantur. Hinc iam ad vnum quod super intelligibilia & Ideas exiit, ascendit ipse, nouemq; de illo suppositiones adducit, quinque si vnum sit, quatuor si non sit vnum, quærens quid vtrinque sequatur. Hæ verò suppositiones à triplici vnius & duplici ipsius non esse partitione ducuntur. Vnum quippe triplex, super esse, in esse post esse repertum. Ipsum verò non esse geminæ considerationi subiicitur. Aut enim nullo modo esse, aut partim esse, partim non esse quis cogitat. Prima itaque suppositio tractat, si vnum super esse existit, quid circa illud ad ipsum, & ad alia sequitur. Secunda, si vnum cum esse est, quomodo se habet ad seipsum atque ad alia. Tertia, si vnum sub esse ponitur, quid illi ad seipsum aliáque contingit. Quarta si vnum super esse consistit, quomodo se habent alia & ad se & ad vnum. Quinta, si est illud vnum quod cum esse locatur, quid aliis ad se, & ad illud accidit. Sexta, si non est vnum ita vt partim sit, partim minimè sit, qua se ratione ad sese & ad alia habeat. Septima, si non est vnum, ita vt nullo modo sit, quo pacto se habet ad seipsum atq; ad alia. Octaua, si nō est vnum ita vt partim sit, partim

non sit, quid aliis ad se, & ad illud eueniat. Nona. si non est vnum ita vt nullo modo sit, quid alia ad sese, & ad illud denique patiantur. In iis omnibus generatim intendit Parmenides potissimum hoc asseuerare, quod vnum omnium principium sit: eóque posito, ponantur omnia: sublato autem, interimantur.

CEPHALVS, ADIMANTVS, ANTIPHO, GLAVCO, PYTHODORUS, Socrates, Zeno, Parmenides.

a Narratur occasio disputationis sequētis inter Parmenidē, Socratem de Ideis & Vno.

a CVM domo è Clazomenis Athenas profecti essemus, iuxta forum Adimantum & Glauconem offendimus. Et manum meam prænendens Adimantus, Salue, inquit, ô Cephale, & si quo indiges quod nostræ facultatis sit, dic. At ego, inquam, ad id veni, [vt vestram operam aliqua in re efflagitarem.] Expone, inquit, quid sit quo indiges. Tum ego, Fratri vestro germano quod nomen erat? non enim memini. Erat enim ferme puer, quando primùm huc è Clazomenis accessi. longum verò intercessit temporis interuallum. Patri tamen eius Pyrilampes nomen fuisse arbitror. Prorsus, inquit, ipsi verò nomen Antipho. sed quid potissimùm quæris? Hi, inquam, concives mei ardentes sunt sapientiæ amatores, audierúntque hunc Antiphonem diu Pythodoro Zenonis socio familiariter vsum, rationes quas quondam Socrates, Zeno, atque Parmenides inuicè pertractarunt cùm à Pythodoro frequentius accepisset, memoria retinere. Vera, inquit, dicis. Has itaque audite desideramus. Haud difficile est, inquit. nam dum esset adolescentulus,

eas diligenter meditabatur. Nunc verò apud auum, cui idem est nomen, circa rem equestrem vt plurimum versatur. Cæterùm, si opus est, ad eũ proficiscamur. modò enim hinc domum abiit. habitat autem prope ad Melitam. Cùm hæc dicta fuissent, accessimus, domíque inuenimus Antiphonem frænũ quoddam aptandum fabro tradentem. Postquàm verò ab illo discessit, & fratres aduentus nostri causam retulerunt, agnouit me ex quo prius illuc veneram, & complexum me salutauit. Nobis autem orantibus, vt disputationem illam referret, primò quidem recusabat (esset enim operæ non mediocris) deinde tamen exposuit. Dicebat ergo Antipho, Pythodorum narrasse, Zenonem atque Parmenidem venisse quondam ad magnorum Panathenæorum celebritatem, & Parmenidem iam senem atque canum, aspectu decorum fuisse, annos fermè quinque & sexaginta ætatis agentem: [a]Zenonem verò annos penè quadraginta natum, procero insuper, & grato corporis habitu: dicebatur autẽ in deliciis Parmenidi esse. Diuertisse verò apud Pythodorum extra mœnia, in Ceramico, ac eôdem aduentasse Socratem, aliósque cum Socrate plurimos scripta Zenonis audire cupientes: tunc enim primùm ab illis aduecta. Socratem verò eo tempore admodum iuuenem extitisse, legisse autem illis Zenonem ipsum. Parmenidem enim fortè extra domum fuisse. Ac parum superfuisse legendum Pythodorus aiebat, cum intrasset domum ipse vnà cum Parmenide & Aristotele, qui de triginta viris vnus fuit. Itaque pauca quæ legenda restabant, audisse: Veruntamen à Zenone prius omnia percepisse.

[a] *Zeno Eleates Parmenidis familiaris & amasius creditus.*

¶ Socra

¶ Socratem igitur cùm ea audisset: primam primi sermonis hypothesim relegere iussisse, ac ea lecta, sic intulisse. Quomodo id dicis, ô a Zeno, si multa sunt quæ sunt, oportere ea similia, atque dissimilia esse: est enim impossibile. Neque enim vel dissimilia similia, vel similia dissimilia esse possunt. Nónne sic dicis? Sic certè, respondisse Zenonem. Nónne si impossibile est, dissimilia similia, aut similia dissimilia esse, impossibile est etiam multa esse? Nam si multa essent, impossibile quiddam eis accidat. Num hoc sermones tui volunt? neque aliud quicquam intendunt: quàm per omnia asserere non esse multa, [& singulos tuos sermones certa argumenta tuæ illius sententiæ esse arbitraris, vt quot sermones scripseris tot necessarias ad confirmandum illud tuum dictum, rationes te attulisse arbitreris?] quòd multa non sint? Sícne dicis? An ipse non rectè percipio? Imò, respondisse Zenonē, optimè qui hæc scripta sentiant, intellexisti. Intelligo dixisse Socratem, ô Parmenides, quòd Zeno hic [non solùm in cæteris vitæ partibus arctissima amicitia tibi adhærere vult, & addictus esse, sed & in suo scripto.] Idē enim quodammodo quod & tu, scripsit: verùm permutatione quadam nos decipere tentat, quasi aliud quàm tu dicat. Nam tu in poēmatibus vnum vis esse hoc totum quod est, atque huius argumenta quàm pulcherrima exhibes. Hic verò multa esse negat, argumenta & ipse permulta ac valida præbens. Dum ergo alter vnum dicit, alter non multa, & eum in modum vterque loquitur, vt non videantur idem inferre, cùm tamen eadem fermè dicant, videntur nobis ista supra nos dici.

a *Zenonis hæc sunt thesis. Ea quæ sūt, non esse multa: illáque suffragatur thesi Parmenidis affirmantis Ea quæ sunt, Vnum esse.*

Ita est, ô Socrates, dixisse Zenonem. non omnino tamen rem tenes, quamuis ceu canes Lacenæ bene insequeris, & vestigas dicta. Primùm enim hoc te fallit, quod sequaquã istud affectet scriptum meum quasi eo consilio quo tu dicis, conscriptum sit. vt si quam in eo latere ais sententiam, homines minimè sint assecuti, magnum quidpiam à nobis consecutum sit: Sed tu tamen ex parte dicis, id quod accidit.] Sunt enim hæc reuera conscripta in suffragium Parmenidis, aduersus eos qui illum carpere nituntur, dicentes: si quidem vnum sit omne, ridicula plurima huic opinioni, ac etiam sibi penitus repugnantia euentura. Oppugnat igitur scriptum hoc eos, qui multa esse volunt, ac plura vicissim obiicit, vt pateat multo absurdiora ex opinione illorum sequi, quòd scilicet multa sint, quàm ex opinione Parmenidis quòd sit vnum, si quis diligenter examinarit. Ob hanc itaque contentionem in ipsa iuuentute librum compositui, quem surripiens quispiam edidit antequàm consultare mihi liceret, an edendus esset in lucem, nécne. Id ergo te fugit, ô Socrates, quod existimas non iuuenili contentione, sed senili ambitione scriptum fuisse. Veruntamen, vt dixi, non inepte coniecisti. Accipio, inquit Socrates, & puto sic se, vt dicis, habere.

Quanquã absurdũ est in Ideis, vt ipsum simile sit dissimile, aut similitudo ipsa sit dissimilitudo, & contra. in his tamen singularibus & sensibilibus nihil absurdi est, vt vna & eadẽ res sit similis & dissimilis, vnũ & multa, quanquã diuerso respectu.

¶ Sed hoc mihi responde, putásne esse per se speciem quandam similitudinis? & huic aliam quandam contrariam dissimilitudinis speciem? in quibus duabus & ego & tu participemus, & alia quæ vtique multa vocamus? atque ea quæcunque in similitudine participant, similia fieri eatenus, quatenus participant?

pant? quæ verò dissimilitudine, dissimilia, & quæ vtrisque vtraque? Quòd si omnia vtrisque contrariis existentibus participant, in eo quòd vtroque participant, similia & dissimilia inter se sunt, quid mirum? Si quis enim ipsa similia, dissimilia esse diceret, vel dissimilia ipsa similia, monstrum quoddam, vt arbitror, diceret. Sin autem participantia his vtrisque quispiam vtraque pati assereret, nihil mihi, ô Zeno, mirandum esse videretur. Neque etiam id miraret, si quis cuncta vnum diceret ex eo quòd in vno participant, atque hæc eadem rursus multa, quia multitudine quoque participant. At si quod ipsum vnum est, hoc ipsum multa esse ostenderit, & ipsa multa vnum, iam summopere admirabor. Ac de cæteris omnibus eodem modo. Nam si genera ipsa, & species in seipsis ista contraria recipere dicat, admiratione profectò dignum erit. Etenim si quis me vnum ac multa esse demonstret, nihil mirũ. si quidè volens multa me asserere, dixerit alia esse dextera mea, sinistra alia, alia anteriora, alia posteriora, & superiora denique ac inferiora similiter: multitudinis quippe, vt arbitror, particeps ipse sum: vnum verò me ostendere volens, dixerit, quod è nobis qui septem sumus, ego vnus homo sim, vnius particeps, similiter nihil mirum. Quamobrem vera vtraque affirmantur. Si ergo quispiam talia conetur, vnum & multa eadem demonstrare, lapides videlicet, ac ligna, & reliqua huiuscemodi, vnum & multa ipsum ostendisse fatebimur, non tamen vnum multa, neque multa vnum, neque mirabile quippiam dixisse, sed quod omnes cõfiteremur. At si quis eorũ quæ paulò

antè dixi, primùm ſpecies ipſas ſecundum ſeipſas ſeorſum diſtingueret, veluti ſimilitudinem, diſſimilitudinem, multitudinem, vnum ſtatum, motum, cæteráque huiuſmodi, deinde in ſeipſis iſta commiſceri ſecerníque poſſe aſſereret, obſtupeſcerem equidem, ô Zeno. Et ſi ea quæ ſcripſiſti, vt virum fortem decet, pertractata eſſe reor, multò tamen magis mirarer atque lætarer, ſi quis poſſet hanc eãdem quæſtionem in ipſis ſpeciebus penitus implicitam, quemadmodum in rebus quæ videntur expoſitum eſt, ita & in iis quæ ratione compræhenduntur clarius explicare. Dum hæc Socrates diceret, aiebat Pythodorus ſe putaſſe Parmenidem & Zenonem in ſingulis eſſe aduerſus Socratem indignatos: eos autem ſumma quadam attentione auſcultaſſe, ac frequenter alterutrum reſpicientes ſubriſiſſe, quaſi Socratem admirantes. Vnde cùm finem Socrates loquendi feciſſet, dixiſſe Parmenidem, O Socrates, quàm dignus es admiratione propter impetum illum diſputandi.

¶ [a] Verum mihi dicas oro. Tu ita, vt dicis, ſeorſum quidem ipſas ſpecies diſcreuiſti, ſeorſum etiam ſpeciebus participantia, videtúrque tibi quiddam eſſe ipſa ſeorſum ſimilitudo, cuius & nos participes ſumus, & quidam ſeorſim vnum, quidam ſeorſim multa, & omnia quæcunque nuper à Zenone audiſti. Mihi quidem videtur, Socratem reſpondiſſe. Num talia quædam inquis, rogaſſe Parmenidem, ceu iuſti ſpeciem quandam ipſam per ſeipſam, & pulchri, & boni, atque omnium denique talium? Prorſus. Nunquid ſpeciem hominis ſeorſum à nobis, & cæteris eiuſdem generis, & ignis etiam & aquæ ſpeciem? Sæpenu-

[a] *Ipſa Idea ſimilitudinis non admittit contrarium ſuum nempe diſſimilitudinis: participantia autẽ idea ſimilitudinis, participãt quoque idea diſſimilitudinis.*

Sæpenumero, inquit Socrates, in hac ſum ambiguitate verſatus, vtrum de iis perinde vt de ſuperioribus dicendum ſit, an ſecus. Vtrum de iis etiam dubitaſti, ô Socrates, quæ ridicula fortè quis putet, ſicut de pilis, lutóue, & macula, & aliis ignobiliſſimis rebus atque viliſſimis? num ambigis vtrùm ponenda ſit horum cuiuſque ſeparata ſpecies, aliud quiddam ab illis exiſtens, quæ nos pertractamus, an non? Nullo pacto, inquit Socrates: ſed quæ videmus hæc & ſunt: ſpeciem verò quandam illorum eſſe putare, fortè nimis ridiculum eſſet. Aliquando tamen hæc me cogitatio perturbauit, ne quid fortè ſit in omnibus idem: ſed vbi pauliſper inſtiti, inde rurſus diſceſſi, metuês ne in nugas nullis vnquã verbis explicãdas merſus perirẽ. Vnde reuerſus ad ea quæ ſpecies habere prædiximus, circa illa iam verſor. Iuuenis adhuc es, ô Socrates, necdum te Philoſophia complexa eſt. Amplecteretur autem, vt mea fert opinio, quando nihil iſtorum neglexeris, nunc verò ad opiniones hominum ob ætatem reſpicis.

¶Hoc igitur mihi dic. Videntúrne tibi, vt aiebas, ſpecies quædam exiſtere, & ea quæ illis participant, illarum cognomenta ſortiri? veluti ſimilitudine participantia, ſimilia, magnitudine, magna, pulchritudine atque iuſtitia, pulchra & iuſta vocari? & maximè quidem, inquit Socrates. Nónne quodcunque ſpeciei particeps fit, vel totam ſpeciem, vel partẽ participat? An eſt alius præter iſtos participandi modos? Et quis alius? Socrates ait. Vtrum videtur tibi tota ſpecies in vnoquoque multorum eſſe vna exiſtens? an aliter? Quid prohibet eſſe vnam? Vnum ergo & idem in

multis seorsum positis, tum simul vnum erit, atque ita ipsum à seipso seorsim existet. Nequaquam, inquit Socrates. Verum sicut dies vnus denique vbique semel adest, nec ipse tamen à seipso secernitur, ita nihil prohibet quamlibet speciem vnam & eandem simul multis adesse, nec tamen à seipsa secerni. Belle, ô Socrates, vnum idem simul in multis ostendis, ac si multos homines velo tegens, dicas vnum in multis totum esse. nónne tale quiddam dicis? Forsitan. An ergo totum velamen singulis, vel pars eius alia alteri aderit? Pars. Diuisibiles igitur, inquit, ô Socrates, species erunt, & quæ illis participant, partem capient, nec amplius in quolibet tota, sed pars cuiusque vnum erit. Sic apparet. Quid igitur, nunquid dices vnam speciem reuera & diuidi, & vnam esse? Nullo modo. a Considera itaque, si ipsam magnitudinem partiaris, & vnumquodque plurium magnorum parte magnitudinis minore quàm ipsa sit, magnum erit, nónne procul à ratione videbitur? Prorsus. Quid verò, ipsius æqualis [parua aliqua parte] vnumquodque participans, habebit quo minore existente quàm ipsum æquale, id quod habet æquale alicui sit? Impossibile. Sed & aliquis nostrûm ipsius parui partem habebit, qua ipsum paruum maius est, quippe cùm ea pars ipsius existat, atque ita ipsum paruum maius erit. Id autem cui ablata pars adiicitur, minus erit, & nihilò maius quàm antea fuerit. Istud inquit fieri non posse. Quo igitur modo, ô Socrates, ait, cætera speciebus participabunt, cùm nec secundum totas, neque secundum partes participare queant. Per Iouem non leue quiddam hoc ad determinãdum mihi quidem videtur.

a *Si pars aliqua dun taxat participatur à singulu sensibilibus, multa absurda sequuntur.*

videtur. Ad illud autem quid agis? Quódnam? Rcor te idcirco quamlibet speciem putare vnam, quia tũ plura quædam magna abs te videntur, vna quædam forsan idea tibi videtur omnia perspicienti, vnde ipsum magnum vnum esse putas. Vera dicis. Quid si ipsum magnum atque alia quæ magna sunt animo, eodem modo consideres per omnia? nónne vnum quiddam magnum iterum apparebit, quo hæc omnia magna videri necesse est? Apparet. Idcirco alia iam magnitudinis species præter ipsam magnitudinem, & participantia magnitudine, iterum elucebit, & in iis omnibus alia rursus, qua vniuersa sint magna, nec amplius vnaquæque species vna erit, sed numero potius infinitæ. [b] At forsitan inquit Socrates, quælibet harum specierum notio quædam est, nec alibi esse quàm in animis potest. Sic enim vnaquæque vna erit, nec contingent quæ tu dicebas. Quid ergo? inquit. quælibet notio vna est? notio autem nullius notio? At hoc impossibile. Sed cuiusdam? Cuiusdam sanè. Existentis, vel non existentis? Existentis. Num vnius cuiusdam, quod tanquam ideam vnam notio illa in omnibus sequens intelligit? Prorsus. Præterea nónne species erit, hoc quod intelligitur vnum esse, semper in omnibus eadem? Necessarium hoc quoque videtur. Quid verò? inquit Parmenides, an non necesse est, cùm cætera speciebus participent, ex notionibus vnumquodque constare, & intelligere singula? vel cum sint notiones, nihil tamen intelligere? Sed neque id, inquit, ratione habet, verum quàm maximè sic ista mihi se habere videntur, [ô Parmenides] has quidem species tanquam exemplaria in natura consti-

[a] *Si Ideæ essent aliquæ per se existentes, & à sensibilibus separatæ Ideas Idearũ esse infinito progressu sequeretur.*

[b] *Ideæ non sunt notiones generum & specierũ in animo existentes.*

ſtere,cætera verò iis ſumma fieri, atque eſſe ſimulachra,nec aliter iſta ſpeciebus participare,quàm quòd illis ſimilia fiunt. Si quid igitur,inquit,ſpeciei ſimile eſt, vtrum poſſibile eſt ſpeciem ipſam non eſſe ſimilem eius quod ipſi ſimile factum eſt, quatenus ipſi factum eſt ſimile?An cogitari poteſt ſimile non eſſe ſimili ſimile? Non certè. Simile autem nónne eiuſdem ſpeciei neceſſariò particeps eſt, cuius & illud cui ſimile ſit? Neceſſè eſt. At quo ſimilia participantia ſimilia fiunt, nónne illud ipſa ſpecies erit? Omnino. Nõ igitur poteſt quicquam ſpeciei ſimile eſſe,nec ſpecies alteri. Nã præter ipſam ſpeciem,ſpecies alia ſempet emergeret, quòd ſi illæ cuiquam ſit ſimilis,alia rurſus. nec vnquam progreſſus iſte ceſſabit, quin noua ſpecies ſemper occurret,ſi ſpecies participanti ſimilis ſit. Veriſſima loqueris.Non ergo per ſimilitudinem cætera ſpeciebus participant,ſed alius quidam præterea quærendus eſt participandi modus. Apparet.Cernis,ô Socrates,quanta ſequitur ambiguitas, ſi quis ſpecies, quæ ſpecies ſunt, ipſas ſecũdum ſe diſtinguat? Et maximè,inquit. Scito inſuper te nondum, vt ita dixerim,compræhendere,quanta ſit difficultas ſi vnamquanque rerum ſpeciem ſegregatam ab aliis ponas. Quomodo id, inquit? Multa quidem alia ſunt: ſed hoc eſt maximũ: quia ſi quis illas neque noſci oportere contendat, cùm ſint tales quales eſſe debere ſpecies dicimus, eum ſanè qui iſta dicat, nemo poſſit redarguere, niſi multarũ reũ peritus & ingenioſus ſit, ſiue iſtuc contendat, paratúſq; præterea ſequi demonſtrantem, & plurima longa ambage inferentem. perſuaderi autem non poterit, qui ignotas illas eſſe contendat.

Cur,

Cur,ô Parmenides? ait Socrates. Quoniam,ô Socrates, & te arbitror, & quemuis aliam quicunque essentiam quandam ipsam secundum se existentem ponit,eam in nobis esse nõ fore concessurum. Quo enim pacto inquit Socrates,ipsa secundum seipsam esset? Rectè loqueris.Nónne igitur quotcunque ex ideis [cũ relatione ad se inuicem sunt id quod sunt] ipsæ ad seipsas essentiam habent:non autem ad ea quæ circa nos sunt, seu simulachra, siue quomodocunque illa quispiam nominet,quibus nos participantes singula esse denominamur?Quæ verò circa nos sunt, illis æquiuoca, ipsa similiter ad seipsa non ad species sunt, & sui ipsorum nõ illarum quæcunque rursus similiter nuncupantur. Quomodo dicis?inquit Socrates. Veluti siquis nostrûm alicuius dominus aut seruus sit,non ipsius domini quòd dominus est,seruus existit, neque ipsius serui quòd seruus est,dominus est qui dominus dicitur: sed hæc vtraque est tanquam homo. Ipsa verò dominatio seruitutis ipsius existit id quod est, & ipsa iterum seruitus eodem modo ipsiusdominationis est seruitus:nec ea quę nobis insunt ad illa, nec etiam quæ illic sunt, ad nos referuntur: sed, vt dixi,ipsa sui ipsorũ & ad seipsa sunt, & quæ hìc sunt similiter ad seipsa respiciunt.Intelligísne quod dico?Prorsus intelligo.Nónne & scientia ipsa quòd scię tia est,illius ipsius quod est veritas,sciẽtia est? Omnino quidem. Quælibet rursus scientiarũ quæ est quod est,alicuius existentiũ est scientia,an non?Profectò? [a] Scientia verò nostra, nõne veritatis quæ circa nos,scientia erit? Et rursus,vnaquæque nostra scientia,vniusciuisque eorum quæ circa nos sunt scientia? Neces-

[a] *Sciẽtia nostra versatur circa hæc nostratia,non circa ideas.*

se est. Veruntamen ipsas ideas neque nos habere, neque circa nos esse posse assentiris? Non profectò. Nun quid scientiæ idea genera singula noscuntur? Certè. Quam speciem nos haud habemus. Non certè: Nulla igitur species à nobis cognoscitur, cùm ipsius scientiæ participes minimè simus. Non apparet. Ignotum itaque nobis ipsum pulchrum & ipsum bonum est, & omnia denique quæ vt ideas esse supponimus. Videtur. Considera & hoc etiam grauius. Quidnam? Num fatetis, si est ipsum quiddam scientiæ genus, multo id præstantius futurum hac nostra scientia, & ipsum pulchritudinem ac reliqua eodem pacto? Imò. [a] Nonne si quid aliud est ipsius scientiæ particeps, nullum nisi Deum dices supremam habere scientiam? Necesse est. Num poterit Deus cum ipsam scientiam sit amplexus, hæc nostra dignoscere? Cur non? Quoniam, inquit Parmenides, confessi sumus, ô Socrates, neque species illas ad nostra vim habere quam habent, neque nostra etiam ad superna, verùm vtraque ad seipsa referri. Consensimus plane. Ergo si apud Deum suprema ipsa dominatio est, atque ipsa suprema scientia, nunquam aut dominatio ipsa nobis dominabitur, aut ipsa scientia nos, vel aliud nostrorum quicquam cognoscet: sed & nos similiter diis minimè imperabimus imperio nostro, neque diuinum quicquam scientia nostra percipiemus. Et illi item eadem ratione nec nostri erunt domini, neque res humanas, cum dij sint, animaduertent. At nónne valdè mirabilis, inquit, hic sermo videbitur, si quis Deum cognitione priuauerit? [b] Hæc quidem, ô Socrates, inquit Parmenides, aliáque præter hæc

[a] *Si sunt ideæ seorsim existẽtes & separatæ à sensibilibus, ipsæ quidẽ nobis incognitæ erunt, & Deo soli cognitæ: sed à nobis hæc nostra scientia nobis soli cognita Deo autem incognita erunt.*

[b] *Cõcluditur multa absurda sequi si Ideæ ponantur.*

hæc multa necesse est speciebus contingere, si-quidem hæc rerum ideæ sint, & aliquid v-namquanque harum, cùm ex se sit, ab aliis separet. Vnde vacillat quisquis hæc audit, ac dubitat, ne fortè ideæ nihil sint omnino: vel si sint, necesse sit eas humanæ naturæ ignotas esse, adeò vt qui hæc dicit, cùm dixisse aliquid videatur, mox illud, vt paulò antè patebat, mirum & incredibile videri: & viri admodum ingenioſi esse, percipere posse esse ipsum per se cuiusque genus, & ipsam secundum se essentiam cuiusque, nec non magis admirabilis viri officium esse hæc postquã inuenerit, alios docere posse sufficienter omnia discernentem. Assentior, ô Parmenides, inquit Socrates: quæ enim dicis, menti meæ mirificè consonant. [a] Veruntamen, inquit Parmenides, si quis prædictis rationibus motus species rerum existentium auferat, neque speciem ipsam vniuscuiusque distinguat, haud sanè reperiet, quò conuertat intelligentiam, cùm non permiserit ideam vniuscuiusque rerũ existentium eandem semper existere, & in hunc modum differendi etiam facultatem funditus subuertet. Talem quandam rationem tu quoque præcipuè sensisse mihi videris. Vera dicis. Quid itaque de philosophia facies? quò his ignoratis te vertes? Haud quaquam discernere id in præsentia videor. Priusquam te excercitaris, ô Socrates definire aggrederis, quid pulchrum, iustum, bonum, & aliarum quælibet specierum: hoc enim pridem animaduerti, hic te audiens vnà cum hoc Aristotele disputantem. Pulcher sanè atque diuinus mihi crede, impetus iste tuus, [quo ferris ad disciplinarum studium.] Cæ-

[a] *Si nõ ponãtur Ideæ, nihil sciri nec definiri potest.*

terùm collige teipsum, diligentiúsque te in ea facultate exerce. [a] quæ inutilis esse videtur multis, & quædam garrulitas nuncupatur, dum iuuenis es, alioquin te veritas fugiet. Quis est igitur exercitationis huiusce modus Parmenides? Iste, inquit, quem à Zenone audisti. Sed etiam illud tuum aduersus hunc dictum miratus sum, cum diceres non in iis quæ oculis percipiuntur [& errore] qui illa ambit cogitationem nostram hærere debere] sed ad ea conscendere, quæ quis maximè ratione compræhendere, ac verè esse putaret. Quia mihi videtur, inquit, non esse arduum, hoc pacto similia videlicet, atq; dissimilia, cęteráue quæ rebus existentibus competunt, explicare. Et probè quidem dixisti. [b] Est autem præter hoc, illud etiam obseruandum, vt non modò si est aliquid supponas, ac deinde quæ proueniunt ex suppositione consideres; verumetiam si non sit, supponas, si modò rectè exercitari velis. Quo pacto id ais? Verbi causa, si velis circa istam suppositionem quã Zeno inuexit, si multa sunt, quid euenturũ est ipsis multis ad seipsa & ad vnum, & vni ad seipsum, & ad multa. Ac rursus si non sunt multa, iterum considerandum quid accidat vni atque multis, tum ad seipsa, tum inuicẽ. Et rursus si supposuerit esse similitudinem, vel non esse, quid potissimum ex vtraque suppositione contingat, tam iis quæ supposita sunt, quàm cæteris omnibus, ad seipsa pariter, atque inuicem. Eadem quoque de dissimilitudine ratio est, de motu, statu, generatione, corruptione, esse, atque non esse, & vt vno verbo complectar, de quocunque supponitur aut esse, aut non esse, siue quamuis aliam passionẽ sus-

[a] *Dialecticæ artis insignis cõmendatio.*

[b] *Dialecticæ exercitationũ exemplũ.*

suscipere: considerandaque sunt quæ ex suppositione proueniant ad seipsum, & ad quodlibet aliorum quodcunque elegeris, & ad plura, & ad vniuersa similiter, & alia rursus ad seipsa atque ad aliud quodcunque assumpseris, siue vt existens, siue vt non existens ipsum posueris, si modò absolutè exercitatus veritatem sis penitus inspecturus. Arduum, inquit, opus narras, nec te omnino intelligo. Quin tuipse infers aliquid, illo ipso modo percurrens, vt clariùs intelligam? Grande, ô Socrates, onus seni imponis. Tunc Socrates, Cur non ipse, ô Zeno, hanc rem discutis? Cui Zeno, subridens respondit, Ipsum, ô Socrates, oremus Parmenidem: neque enim leue quiddam est, quod ait. An non vides quantum sit negotium quod iubes? Quòd si plures essemus, haud sanè id postulare deceret. Indecorũ nanque huiusmodi quædã in conspectu multorum tractare, atque id seni præcipuè. Ignorant enim multi quòd absque hoc per omnia velut discursu & errore impossibile sit, mentis veritati coniunctæ compotem fieri. Ego igitur, ô Parmenides, vnà cum Socrate precor, vt mihi etiam liceat tanto tempore transacto hæc audire. Cùm verò hæc intulisset Zeno, annuebat Antipho dixisse Pythodorum, se quodque, & Aristotelem, ac reliquos omnes obsecrauisse Parmenidem, vt quod dixerat, demonstraret, neque aliter id faceret. Tunc demum Parmenides, Necesse est inquit, obtemperare, etsi mihi videor in id quod passus est Ibycius equus, incidere. Cui & athletæ & seniori, currunum subituro certamen, & propter experientiam euentum extimescenti, Ibycus ipse se conferens inuitus, inquit, & ipse iam

senex ad amores regredi cogor. Eadem ratione ego mihi admodum trepidare videor, cùm cogito quo pacto iam grandis natu tam profundum disserendi pelagus trãsnatare queam. Obsequendum tamẽ, cùm & Zeno ipse roget: Idem enim sumus. Vnde igitur incipiemus? quidue primùm ponemus. An vultis, postquã negotiosum ludum ingressi sumus, à me ipso meáque positione in primis exordiar, de ipso vno, inquam, siue vnum sit, siue non, quid accidat? Prorsus, inquit Zeno. Quis igitur mihi respondebit? An innior? minus enim negotij præbebit: & quæ ipse sentit, maximè respondebit, vt eius responsio minùs me defatiget. Paratus sum, ô Parmenides, Aristoteles inquit. me nanque significas, dum iuniorem respondere iubes. Sed age, vt lubet, interroga me, tanquam libentissimè responsurum.

¶ Age igitur, si vnum est, non vtique multa erit ipsum vnum. Quî sit enim? neque igitur partem esse illius aliquam, neq; totum ipsum esse oportet. Curnam? Pars vtique totius pars est. Quid verò? Nónne totũ est, cui nulla pars deest: Prorsus. Vtrinque igitur ipsum vnum ex partibus esset, totúmque existens, ac partes habens. Necesse est. Vtrinque rursus ipsum vnum multa potius, quàm vnum esset. Verum. Oportet autem non multa, sed vnum ipsum existere. Oportet sanè. Itaque nec totum erit neque partes habebit, si vnum fuerit ipsum vnum. Non certè. Si nullam habet partem, nec principium etiam neque finem, neque mediũ habebit. partes enim ipsius hæc essent. Probè. Quinetiã principium & finis, termini cuiusli-bet sunt. Quidni? Infinitum igitur ipsum vnũ cùm principio finéque careat. Infinitum. Ergo

& absque

& absque figura : neque enim rotundi, neque recti particeps est. Cur? Rotundum porrò id est, cuius extrema vndique à medio æquè distant. Id nempè. Rectum verò cuius medium extremis vtrisque è regione est. Sic est. Nónne partes haberet ipsum vnum, multáque esset, si rectæ vel circularis figura esset particeps? Omnino quidem. Idcirco, neque rectum est, neque rotundum, cùm partes etiam nullas habeat. Rectè. Quinetiam cùm tale sit, nusquam est. nam neque in alio, neque in seipso esse potest. Quamobrem? Si in alio esset, circulo quodam ab eo in quo esset, concluderetur, passímque ab illo, ac multis partibus tangeretur. At cùm vnum impartibile sit, & rotunditatis expers, impossibile est multifariã circulo tangi. Impossibile. Sin in seipso esset, ipsum seipsum complecteretur, non aliud quiddam quàm ipsummet existens, siquidem in semetipso sit. non enim potest quicquam in aliquo esse, quin ab illo etiam compræhẽdatur. Impossibile certè. An non aliud quiddam esset ipsum vt comprehendens, aliud vt compræhensum? nunquam enim idem ipsum totum vtraque hæc simul pateretur & ageret. quò fit, vt ipsum vnum non vnum vlterius, sed duo fit. Est vt dicis. Nusquam igitur ipsum vnum : quandoquidem nec in alio, nec in semetipso est. Nusquam. Considera quæso, num quod huiusmodi est, aut stare aut moueri possit. Quidni possit? Quoniam quod mouetur, vel fertur, vel alteratur : hi quippe soli sunt motus. Esto. Si ipsum vnum ex eo quod est alteretur, impossibile est iam esse vnum. Impossibile. Idcirco secundum alterationem non mouetur. Non, vt apparet.

Nunquid secundum progressionem? Fortasse. Atqui si ipsum vnum feratur, vel in eodem motu sphærico circũfertur, vel locum alium ex alio mutat. Necesse. Nónne quod circulo circunfertur, in medio consistere oportet, atque alias sui partes quæ circa mediũ volvantur, habere? Cui verò nec medium, neque pars vlla conuenit, quomodo id cogitari potest in circulum circa medium volui? Nullo pacto. An locum transiens, aliàs alibi fit, atque ita mouetur? Fortè. Num esse ipsum in aliquo, vt impossibile iam redarguimus est? Est. An non multò magis impossibile ipsum in aliquo fieri. Non intelligo satis. Si in aliquo aliquid fit, necesse est nondum in illo penitus esse, siquidem adhuc in illo cõtinue fiat: nec etiam extra illud prorsus extare, siquidem in eo iam fiat. Necesse est. Si ergo aliud quicquam hoc patitur, id solum patitur, cuius partes aliquæ sunt: partim enim in illo iã est, quod patitur, partim interim extrà: quod autẽ nullis partibus cõstat, nunquã in aliquo totũ esse, ac totum simul abesse poterit. Verũ. Quod verò neque partes habet vllas, neque totũ est, multò magis etiã impossibile est, siue secundũ partes, siue secundũ totũ alicubi fieri. Apparet. Ergo nec aliquo pergẽs, nec alicubi ingrediens locũ mutat, neque in eodẽ reuolutũ, neq; etiã alteratũ. Nõ videtur. Secundũ quẽlibet igitur motũ immobile est ipsũ vnũ. Immobile. Præterea ipsũ vnũ in nullo esse posse asseueratiuimus. Haud igitur aliquãdo in eodẽ est. Quãobrẽ? Quoniã iã in illo esset, in quo eodẽ est. Prorsus. At verò nec in seipso neque in alio ipsũ vnũ esse poterat. Non certè. Nunquã igitur ipsum vnũ in eodẽ existit. Nunquam

quam vt videtur. Quod verò nunquã in eodẽ existit, neque quietem agi. neque stat. Neque enim possibile est. Idcirco ipsum vnum nec stare, neque moueri videtur. Nõ apparet. Item nec alteri, neque sibiipsi etiam idem est, rursúsque nec à seipso, nec ab alio quodam alterum. Quid ita? Si à seipso alterum sit, ab vnõ alterum esset, nec esset vnum. Vera. Et si alteri idem fuerit, illud quidẽ erit, nec ipsum quod est: quapropter nec vlterius erit ipsum quod vnum, sed aliud quiddam præter vnum. Sic est. Ideò idem alteri vel à semetipso alterũ dici nunquam debet. Nunquam planè. Sed neque alterum ab alio esse potest, donec vnum est. neque enim vni congruit, vt ab aliquo alterum sit, sed soli ei quod alterũ est ab alio. Alteri autem nulli conuenit. Probè. Ex eo igitur quod vnũ est, non erit alterum. An putas? Nequaquam. Quod nisi hoc non seipso: si nõ seipso; neque ipsum. Ipsum verò nullo modo alterum existens à nullo alterũ est. Rectè. Neque sibiipsi idẽ erit. Cur non? Non ea est ipsius vnius natura, quæ ipsius eiusdẽ natura est. Quare? Quia nondum quum idem fit aliquid alicui, vnum efficitur. Qua de causa? Quod multis idem fit, multa, non vnum fieri necesse est. Verum. At si ipsum vnum atque ipsum idem nihil differrepatent, quoties quid idem fieret, vnum quódque semper efficeretur: quotiésque vnum, semper & idem. Et maximè quidem. Quapropter si ipsum vnum sibimet idem fuerit, non vnum sibi existet: atque ita vnum existens, non vnum erit. Impossibile est quidem. Impossibile igitur ipsum vnum, aut alterum ab alio, aut sibiipsi idẽ esse.

Impossibile. Hac itaque ratione vnum, nec idem, nec alterum, aut sibi, aut alteri esse poterit. Non profectò. Sed neque simile, neque dissimile cuipiam, aut sibi aut alteri. Quam ob causam? Quia simile est, cui idem quidda accidit. Nempe. Ipsum tamen idē ab vno natura secerni ex antè dictis apparuit. Apparuit certè. Veruntamen si quid præter id quod est vnum esse, ipsum vnū recipit, patitur iam plura esse quàm vnum. id autem impossibile est. Ita. Ob hanc causam nunquā ipsum vnū, idem esse, vel sibi vel alteri patitur. Nō videtur. Ergo nec simile aut sibimet, aut alteri esse poteſt. Sic apparet. Nihilò tamen magis esse alterum sustinet. Nam sic etiam plura quàm vnum esse contingeret. Plura sanè. Quod alterum vel à se, vel ab alio fit, dissimile quoq; aut sibiipsi aut alteri cuidam efficitur: quippe cum illud etiam quod idē esse recipit, simile fiat. Probè. Vnde ipsum vnū cùm nullo modo susceperit alterum, nunquam quoque dissimile siue sibimet, siue alteri fiet. Nunquam profectò. Quamobrem nec simile, neque dissimile vnquam aut sibi, aut alteri ipsum vnum est. Non, vt videtur. Præterea cùm huiusmodi sit, nec æquale etiam, nec inæquale cuiquā vel sibi, vel alteri. Quid ita? Quod æquale est, earundem mensurarum est, quarum & illud cui æquale dicitur. Sic est. Quod maius est vel minus, quò ad illa quibus commensurabile est, minoribus quidem plures mensuras habet, maioribus autem pauciores. Certè. Quibus autem incommensurabile, quò ad hæc quidem, minorum, quò ad illa verò, maiorum mensurarum erit. Nónne

Nónne impossibile est, quod nullo modo ipsius eiusdem est particeps, aut mensuras easdem, aut aliud quoduis idem sortiri? Impossibile. Itaque nec sibi, nec alteri erit æquale. quippe cum mensuris iisdem non vtatur. Minimè, vt apparet. Quinetiam si pluribus aut paucioribus mensuris circunscriberetur, totidé partibus quot & mensuris constabit: rursúsque non amplius vnum erit, sed tot potius, quot & mensuræ insunt. Rectè. Quòd si vnius mensuræ sit, æquale vtique ipsi mensuræ fieret. Veruntamen impossibile esse apparuit ipsum vnum æquale cuiquam esse. Apparuit certè. Quod igitur nec vnius mensuræ est particeps, neque multarum, neque etiam paucarum, nec vllo modo ipsius eiusdem, nunquam sibiipsi, vt videtur, erit æquale, nec etiam alteri, nec maius præterea aut minus, vel semetipso, vel alio. Sic prorsus se habet. An fortè antiquius, aut iunius, vel etiam coætaneum ipsum vnum apparet? Quid prohibet? Id sanè. Quoniam si eádem ætatem vel secum vel cum alio quopiam aget, æqualitate & similitudine temporis participabit, ostensum est tamen, nec æqualitatem, nec similitudinem ipsi vni vllam adesse posse. Ostensum profectò. Nónne hoc quoque diximus, nec inæqualitatis nec dissimilitudinis cõpotè existere? Quàm maximè. Quo igitur pacto quod huiusmodi est, senius aut iunius aliquo, vel ætate par vlli esse poterit? Nullo modo. Ergo ipsum vnum non iunius, non senius, non ætate par aut ad seipsum, aut ad aliud erit? Non apparet. Item nec in tempore etiam vllo pacto ipsum vnum cùm tale sit, erit vnquam. Etenim necesse est quicquid est in tempore.

seipso semper senius fieri. Necesse. Et quod senius, semper iuniori senius. Cur non? Itaque quod seipso fit senius, seipso etiam simul iunius fit: siquidem aliquo senius esse debet. Quomodo dicis? Hoc modo, diuersum alterum alteri nihil fieri oportet, diuersum quum iam sit, sed iam existentis iam esse, præteriti præteriisse, futuri fore: eius verò quod fit, nec præteriisse, nec fore, nec esse, diuersum est: sed fieri? nec aliter esse. Necesse est. At verò senius oppositum quiddã est iuniori, nec alteri penitus vlli. Est. Quod ergo se ipso fit senius, necesse est simul quoque seipso iunius fieri. Videtur. Quinetiam nec longiori seipso tempore, neque breuiori fieri, sed per æquale semper tempus se cum ipso geri, & esse, & fuisse, & futurum esse. Necessaria quoque hæc sunt. Necessarium ergo videtur quodlibet eorum quæ in tempore sunt, atque hoc tali participãt, eandẽ secũ ipso ætatẽ agere, ac senius seipso simul & iunius fieri Apparet. Ipso verò vni nulla prorsus ex iis passionibus accidit. Nulla. Nullius ergo tẽporis particeps, nec in aliquo tẽpore. Non sanè vt ratio dictat. Quid igitur? ipsũ erat, fuit, fiebat, nónne participationẽ tẽporis quandoque præteriti significare videtur? Quinimò. At verò etiã fiet, factũ fuerit, an nõ futurũ nobis designãt? Futurũ. Est autẽ & fit, præsentis sunt tẽporis notę. Omnino quidẽ. Si ergo ipsum vnũ nullo prorsus participat tempore, nec fuit vnquã, nec fit, neq; est, neq; fiet, neq; factũ erit, neque erit. Verissima hæc sunt. Nũ potest quicquam essentia aliter quã secũdũ istorũ aliquod participare? Nõ aliter. Nullo igitur modo est ipsum vnum. Haudquaquam videtur. Non i-

taque

taque ita est vt sit vnum. esset enim iam ens & essentiæ particeps? imò vt videtur ipsum vnum neque vnum est, neque est, siquid huic rationi credendum. Apparet. Ei verò quod non est, num est vel ipsi vel ipsius aliquid? At quomodo? Non itaque nomen illi est, non sermo, non scientia quædam, non sensus, non opinio. Non videtur. Quapropter nec nominatur, nec dicitur, nec opinione cogitatur, nec cognoscitur, neque ab alio ex iis quæ sunt, sentitur. Haud sanè videtur. An possibile est ista circa ipsum vnum sic se habere? Non, vt mihi videtur.

a *Deinceps ostendisur, vno posito esse sequi contraria eorũ quæ proxima superiori sectione sequebantur.*

¶ AVISNE igitur ad ipsius positionis principium redeamus, considerantes si quid fortè redeuntibus nobis aliter se habere videatur? Volo equidem. Nónne se ipsum vnum est cõfessi sumus quæ circa illud euenirent, cuiusmodi esse oporteat? Profectò. Meditare iterum à principio: vnũ si est, nunquid possibile est ipsum esse, essentia verò nequaquã participare? Impossibile. Essentiam autem vnius, non idẽ quod ipsum vnum erit. alioquin si idem, non vtique illius essentia esset, neque ipsum vnum illa participasset, sed quoties proferretur vnũ esse, simile quiddam significaretur, ac si vnum vnum diceremus. Nunc autem non est huiusmodi positio nostra, scilicet si vnum quídnam euenturum sit, sed si vnum est, nónne ita. Rursus sic est. Nónne ita dicitur, tanquam aliud significet ipsum est, aliud ipsum vnum: Necesse. Nunquid igitur cum vnum esse compendiò dicimus, aliud ea oratio significat, quàm vnam essentiam communicare? Omnino. Rursus itaque dicamus.

vnum si est, quidnam contingat. Age id aduerte. An non necesse hanc suppositionem, ipsum vnum eiusmodi prædicare, quasi partes habeat? Quonam modo? Hoc pacto. Si esse de vno ente dicitur, & ipsum vnum de ente vno, est autem idem essentia & vnum, eodem existente vno quod supposuimus, nónne necesse est totum quidem vnum ens ipsum esse, eiúsque partes tam vnum quàm esse existere? Necesse. Vtrum verò vtranque harum partium partem duntaxat appellamus? An partem totius partem prædicare oportet? Totius. Totum igitur est, quod vnum est, ac partem habet. Penitus. Quid autem? num hæ partes vnius entis, scilicet vnum & ens, ita se inuicem deserunt, vt ipsi enti vnum, & ipsi vni ens desit? Non certè. Igitur vtraque pars & vnum simul & ens complectitur: adeò vt pars quælibet ex duabus saltè particulis constituatur: & secundum eandem rationem quæcunque particula occurrit, vtraque semper in ea clauditur, etenim vnum semper ens, & ens vnum mutuis nexibus amplectitur. Vnde quum vbique in quauis particula duo emergant, necesse est nunquam vnum existere. Omnino. Nónne hac ratione vnum ens, infinita multitudo erit? Videtur. Age quæso, & hàc perge. Quàtenus Diximus vnum essentia participare in quantum est? Diximus. Et ob hanc causam vnum ens multa esse apparuit? Sic est. Quid autem, si ipsum vnum quod essentiæ particeps esse diximus, ipsum secundum seipsum solum intelligentia cogitemus, seorsum ab illo quo participare prædiximus, nunquid vnũ solum apparebit? vel etiam multa hoc ipsum? Vnum solum puto. Consideremus iam & aliud quiddã: alte-

alterum quiddam esse necesse est ipsius essentiam, alterum vero ipsum. siquidem non essentia ipsum vnum, sed vt vnum, essentiã participat. Necesse est. Quod si alterum essentia, alterum vnum, ipsum vnum non ex eo quod vnum, ab essentia alterum est: neque essentia inquantum essentia, ab vno est altera: sed per id quod est ipsum per se alterum, & ipsum per se aliud, altera sunt inuicem. Prorsus. Quamobrem ipsum alterum nec vni, nec essentiæ idem est. Verum. Quid ergo? si ex istis elegerimus siue essentiam & alterum, seu essentiam & vnum, siue vnum & alterum, nónne in qualibet assumptione eliciemus aliqua quæ iure ambo appellari poterunt? Quomodo? Hoc modo inquam. licétne essentiam dicere? Licet. Rursúsque dicere vnũ? Et istud. Nónne vtrunque illorum dictum est? Dictum vtrunque. Quoties essentiam & vnum dico, an non ambo dico? Dicis. Et si essentiam atque alterũ, siue alterum atque vnum, nónne in iis singulis ambo dico? Prorsus. Quæ verò ambo recte appellata sunt, nunquid possunt ambo esse, neque tamen esse duo? Nequaquã. At quæ duo sunt, cogitaríne ita possunt, vt non illorum vtrunque vnũ sit? Minimè. Quoniã igitur ista simul duo sunt, idcirco vnũquodque vnum existit. Videtur. Si vnumquodlibet eorum est, & vtrunque vnũ mutuo quodã conjugio inuicé est connexũ, nónne tria vniuersa resultant? Maximè. Tria verò nónne imparia, duo autem paria? Quidni? Et cum duo sint, nónne necesse est etiam his adesse: & cùm tria, ter? siquidé duobus ineſt bis vnũ, tribus verò ter vnum. Necesse. Duobus denique existentibus ac bis, necesse est duo bis esse; & tribus

existentibus atque ter nónne necesse est rursus tria ter esse? Quidni? Quid verò? tribus existentibus atque bis, & duobus atque ter existentibus, necesse est tria bis esse, ac bis tria? Necesse est omnino. Erunt igitur pariter paria, imparitérque imparia, nécnon imparia pariter, & impariter paria. Certè. Si hæc ita se habent, num putas vllum numerum relinqui, qui non necessariò illic insit? Nullum. Idcirco si est vnum, necesse est, & numerum esse. Proculdubio. Item si numerus est, multa vtique sunt, & infinita entium multitudo, aut non infinitus numerus multitudine etiam particeps essentiæ fit? Maximè. Quòd si totus ipse numerus est essentiæ particeps, vnaquæque etiã particula numeri essentia participabit. Prorsus. Per omnia ergo quæ multa sunt, essentia distribuitur, nec ab aliquo eorum quæ sunt, abest, seu minimũ hoc sit, siue maximũ. Atque id dubitare absurdum est. quo modo enim essentia ab aliquo eorũ quæ sunt abesse potest? Nullo. Diuisa est igitur quoad fieri potest, in minima & maxima, atque in omnia quæ quomodocunque sunt, maximéque omniũ distributa, & infinitæ sunt essentiæ partes. Sic se res habet. Plurimæ igitur illius partes sunt. Plurimæ certè. Quid verò? éstne quicquam ex istis quod quidẽ pars essentiæ sit, non tamen pars ipsa vnum quiddam sit? At quo pacto id fieret? Verùm postquàm, vt arbitror, est, necesse est ipsam semper quandiu est, vnum aliquid esse, nihil autem esse impossibile est. Absque dubio. Non solum ergo vniuersæ essentiæ, sed illius etiam singulis partibus vnum adest, partem nullam deserens, siue maior illa quidem, seu minor sit, siue quomodocunque se habeat.

Sic

Sic est. Nunquid cùm sit vnum, vbique simul est totum? Diligenter id considera. Considero, atque hoc esse impossibile video. Diuisum itaque nisi totum. Neque enim aliter vniuersis simul essentiæ partibus, quàm diuisum aderit. Sic est. Cæterùm quod partibile est, necessariò totidem sunt, quot sunt partes. Necessariò. Hac de causa, haud rectè paulò antè dicebamus essentiam in partes plurimas distributã: quippe cùm non in plures, quàm ipsum vnũ, sed pares discreta sit. Neque enim ens vni, neque vnũ enti deest, sed duo hæc potius per omnia penitus coæquantur. Omnino sic apparet. Ipsum itaque vnum ab essentia distributum, infinita multitudo, est. Patet. Non modò igitur vnum ens multa est, sed & ipsum vnum ab essentia distributum multa esse oportet. Oportet sanè. Quinetiã ex eo quòd omnes partes, totius partes sint, terminatũ secundũ totũ vnum erit. An non cõpræhenduntur omnes à toto particulæ? Compræhenduntur. Quod autem compræhendit, terminus est. Est. Propterea vnum ens, vnum quodammodo est, & multa, totúmque & partes, nécnon finitum, & multitudine infinitum. Apparet. Nónne cum terminatum sit, extrema quoque habet? Necessarium est. Præterea si totum est, principiũ mediúmque & finé habebit? Num totum aliquid absque iis tribus reperiri potest? Et si quid ipsorum ab eo quod vnum distat, totúmne vlterius erit? Minimè. Quamobrem principium mediúmque, & finem vnum habet. Habet. medium verò æquo interuallo ab extremis vndique distat: non enim aliter esset medium. Non certè. Præterea quum tale sit vnum, figuræ cuiusdam est particeps, seu rectæ siue

rotundæ, siue alterius ex vtrisque compositæ. Particeps proculdubio. Quinetiam si huiusmodi est, ipsum in seipso & in alio erit. Quónam pacto? quælibet pars in toto est, nec extra totum penitus vlla. Esto. Singulæne partes sub toto clauduntur? Ita. At vnum cunctæ suę partes existit, nec quid plus minúsve quàm vniuersiæ. Sic est. Nónne & totum vnum est? Quidni? Si omnes partes toto cláuduntur, éstque omnia vnum & ipsum totum, continentur autem sub toto singula, ab vno vtique vnum continebitur, atque ita vnũ ipsum in semetipso iam erit. Videtur. Veruntamen totũ in partibus minimè est, neque in omnibus, neque in aliqua. si enim in omnibus, necesse est & in vna: & si in vna quadam non sit, in cunctis esse non poterit. Si autẽ hoc quidem vnum cunctis consstat, & in eo totũ, non vno quo pacto amplius in omnibus erit vnũ? Nullo. Sed nihilo magis in partibus quibusdã. Nam si quibusdam totum insit, maius in minori erit. Id autem impossibile. Impossibile. Cùm igitur totum, nec in pluribus, nec in vna, neque etiam cu .ctis in partibus sit, an non necesse est ipsum, vel esse in alio quodã, vel nusquã existere? Necesse. Nónne si nusquã sit, nihil penitus erit? & tamen cùm totum sit, neque sit in seipso, restat vt consistat in alio? Penitus. Quà igitur vnum totum est, in alio est, quà verò omnia partes eius sunt, & ipsum cunctæ partes, est ipsum in seipso. Ideóque necesse est vnum, tum in seipso, tum etiam in alio esse. Proculdubio. Et cùm talis sit vnius natura, annon necessariò sequitur, vt stet atq; etiam moueatur? Quurnam? Stat quippe, siquidem ipsum in seipso consistit. Etenim inhærẽs

vni,

vni, nec ex eo digrediens, in eodem est in semetipso. Est profectò. Verùm quod in eodem semper est, stare semper oportet. Oportet. At quod in alio semper, contrà necesse est nunquam in eodem esse: si nunquam in eodem, nunquam præterea stare: quod verò non stat, moueri oporter. Sic est. Necesse est igitur vnum, cum in seipso semper & in alio sit, semper quoque stare atque moueri. Videtur. Quin etiam idem oportet ipsum sibiipsi esse, & à seipso alterum, & quo ad alia similiter idem & alterum, si modò quæ suprà dicta sunt, illi cõpetunt. Qua ratione? Sic enim vnumquidque ad quodlibet habet, vt vel idem cum eo sit, vel diuersum: si nec idem, nec aliud, pars vtique erit eius erga quod ita se habet, velut ad partẽ, eritque totum. Patet. Nunquid ipsum vnum sui ipsius pars est? Nequaquam. Non igitur quo ad seipsum totum erit, quasi pars sui sit. Neque enim possibile. An fortè alterum est vnum ab vno? Minimè. Non itaque à seipso alterum. Non certè. si nec alterum nec totum, neque pars quo ad seipsum est, quid iam aliud restat, quàm vt idẽ sibi sit? Isthuc ipsum. Quid verò? quod alibi est, quã ipsummet in eodem existens in semetipso: nónne cogitur alterum à seipso fieri, siquidem alibi, quàm ipsummet existat? Mihi quidem videtur. Huiusmodi planè patuit esse vnum, in seipso scilicet, & in alio esse. Patuit profectò. Ex hoc igitur constat vnum esse à seipso alterum. Videtur. Si quid verò ab aliquo alterum est, nónne ab altero alterum? Necesse. Quæcunque vnum minimè sunt, nũ ab vno altera, & vnũ alterũ ab iis quæ non vnũ? Quidni. Ideo vnum ab aliis omnibus alterũ apparebit. Alterum. Aspice

præterea, num alterum ipsum, & ipsum idem contraria inuicem sint. Cur non volétne vnquam idem in altero, vel alterum in eodem consistere? Nunquam. Ergo si nunquam alterum in eodem est, nihil est ex iis quæ sunt, in quo per aliquod tẽpus ipsum alterũ sit. Nã si per aliquod tempus sit in aliquo, per id tempus in eodem ipsum alterum erit. An non? Certè. Postquam verò nunquã in eodẽ constat, nunquam profectò in aliquo eorũ quæ sunt, ipsum alterũ erit. Vera dicis. Idcirco nec in iis quæ non sunt vnum, nec in vno erit alterum. Non sanè. Sequitur vt vnum ab iis quæ non vnum, & quæ non vnum ab vno per ipsum alterum altera esse nequeant. Sequitur planè. Quod nisi participent ipso altero, altera secundum seipsa inuicem esse non poterunt. Quo enim pacto? Atqui si nec ipsis, nec ipso altero altera sunt, altera esse inuicem nullo pacto possunt. Nullo. Præterea quæ vnum non sunt, vno maximè participant, neque enim essent non vnum, sed quodãmodo vnum. Verum. Hanc ob causam quæ non sunt vnũ, neque etiã numerus sunt. Alioquin non penitus vnius essent expertia, si quẽ numerum habeant. Non certè. An verò quæ non sunt vnũ, partes vnius sunt? An sic fortè vno participarent, quæ non sunt vnum? Participarent. Si itaque hoc quidẽ omnino vnum est; illa verò non vnũ, nec pars vnũ erit eorũ quæ non vnũ, neque totum ad illa, quasi ipsa sint partes: neque rursus quæ non vnum, vnius particulæ neq; etiã tota, quasi vnũ pars existat. Non profectò. Cæterùm asseruimus, quæ neque tota, neque partes sunt, neque inuicem altera, eadem inuicem esse debere.

Asser-

Asseruimus. Fatemúrne igitur vnum, cùm ita ad ea quæ nõ vnum se habeat, illis idem esse? Fatemur. Ergo vnum, vt videtur alterũ, quiddam est ab aliis & à seipso, rursúsque sibi & illis idem. Sic ratio persuadet. Nunquid simile quoque & dissimile sibiipsi ac cæteris? Fortè. Postquàm alterũ ab aliis esse patuit, alia quoque ab illo altera erunt. Quid prohibet? An non ita ab aliis alterum, vt ab illo & alia, nec magis quicquam neque minus? Quidni? si nec magis, nec minus, restat vt similiter. Similiter. Porrò, si vni contingit, vt alterum si ab aliis, eodem modo quo ab illo alia, ex hoc sequitur, vt eadem conditiõ quædam, tam vni, quàm aliis competat. Sthuc quomodo dicis? Sic. Vnumquodque nomen nónne suum habet significatum? Habet. Idem verò nomen, vel sæpius vel semel pronuncias. Equidẽ. Vtrũ quando semel profers, illud appellas cuius est nomen: quando verò sæpius, non illud? An potius, siue semel, seu iterum, iterúmque nomen idem pronuncies, necesse est te semper idem innuere? Idem semper. Nónne & ipsum alterum nomẽ est ad proprium aliquid significandum impositum? Est. Quoties igitur nomen hoc profers, siue semel, siue sæpius, non ad aliud refers, neq; aliud quidquam nominas, quàm id, cuius hoc nomen est. Necesse. Quando itaque dicimus alterum esse vnum ab aliis, & illa ab vno altera, bis nomen hoc alterum pronunciantes, nunquam ad aliud quiddam significandum inducimus, quàm naturam cuius proprium nomen est. Omnino quidem. Si ergo vnũ alterum est ab iis, & alia ab vno altera, patiens illud idem alterũ quòd in aliis est, secundum illud, non secundum

aliud quiddam, alterum est ab aliis vnũ quodcunque verò idem patitur, simile est, an non? Imò. Secundum quod autem vnum habet, vt sit ab aliis alterum, secũdum hoc idem quodlibet cuilibet simile est: quodlibet enim est à quolibet alterum. Videtur. Estne simile dissimilibus contrarium? Est sanè. Nónne & ipsum alterum ipsi eidem? Est istud. Veruntamen hoc etiam patuit, quòd ipsum vnum aliis & idem & alterum sit. Patuit planè. Contraria verò passio est esse aliis idem, & esse ab aliis alterum? Prorsus. Quà tamen alterum, simile apparuit. Et hoc. Qua igitur idem, dissimile erit secundum passionem contrariam passionis illius quæ simile fecerat. Simile autem nónne faciebat ipsum alterum? Prorsus. Ipsum ergo idem dissimile reddet: alioquin ipsius alterius contrarium minimè erit. Apparet. Ex iis concluditur vnum simile atque dissimile aliis esse: quà sanè alterũ, simile: quà verò idem, dissimile. Talem, vt videtur, rationem habet. Et sanè hanc habet. Quam? Vt quà idem passum est, non alienum sit passum: si non alienum passum fuerit, neque dissimile etiã: si non dissimile, restat, vt simile, sinautem aliud susceperit, & alienum: si alienum etiam dissimile sit. Verè dicis. Vnũ ergo & quia cæteris idem, & quia alterum, secundum ambo hæc & secundum horum vtrunque simile atque dissimile aliis erit. Maximè. Nónne & sibiipsi eodem modo, siquidem alterum à seipso, & sibiipsi idem apparuit, secũdum ambo atq; vtrunque simile pariter atque dissimile apparebit? Necesse est. Considera præterea quæso, quónam pacto vnum ad tangendũ, vel non tãgendũ seipsum, & alia sese habeat. Con-

sidero

fidero equidè. Ipsum vnum in seipso toto esse constitit. Probè. An non & in aliis vnũ? Et in aliis. Quatenus igitur in aliis, alia tangit, quatenus in seipso, tangere quidè alia impeditur seipsum verò tãgit, quũ in seipso sit. Apparet. Hac vtique ratione vnum & se, & alia tangit. Tangit. Quid verò ad hæc? Nónne quodcunq; tacturũ aliquid est, prope illud quod tacturũ est, iacère oportet, atque eam sedem occupare, quæ sequitur illius sedem, in qua cum primum fuerit, tanget? Necessarium hoc est. Ideo vnũquodque si se tangere debet, cõtinuò post seipsum extare oportet, proximam loco in quo ipsum est, sedem occupans. Oportet omnino. Nónne vnum si duo esset, hæc efficeret, & duobus simul in locis existeret: donec verò vnum est, minime? Etsi vt dicis: Eadem ergo necessitas efficit, vt vnum nec duo sit, neque sese tangat. Eadem. At nihilò magis alia tanget. Quamobrem? Quoniam diximus quod tacturum aliquid est, seorsum positum, proximum illi quod tangendum est, esse oportere, tertium verò prætet hæc interme. dium nullum. Vera. Quapropter duo saltem adesse oportet, quoties futurus est tactus. Oportet. Sin autem præter terminos duos tertium quiddam medium interuenerit, tria quidem per ordinè subsequentur, tactus autem gemini. Prorsus. Atq; ita semper vno quodam adiecto, vnus quoque tactus adiicitur. Ex quo contingit ipsos tactus à numerorum multitudine vno exuperari: quanto enim prima duos tactus ipsos exuperarunt, ita vt plura numero, quàm tactus essent, tanto deinceps vniuersus numerus vniuersos tactus excedit. Etenim in posterum vnum simul additur numero,

& vnus tactus tactibus ipsis opponitur. Rectè. Quot igitur ea quę sunt, numero sunt, totidem semper & tactus vno duntaxat excepto. Vera loqueris. Itaque si vnum esset solum, nec vllo quam duo, tactus quoq; nullus esset. Quónam modo? Diximus quæ alia sunt ab vno, nec esse vnum, nec vno etiam participare, donec alia sint diximus. Et iis conficitur, vt non sit in aliis numerus vnus, quippe cùm vnum illis minimè adsit. Enimuerò quo pacto id fieri posset? Vnde alia nec sunt vnum, nec duo, nec alio quouis numero designata. Non sanè. Ipsum igitur vnum solummodo vnum est, duo autem non sunt. Non, vt apparet. Et si duo non sunt, tactus quoque nullus erit. Nullus. Ergo nec vnum alia tangit, nec illa vnum nullo existente tactu. Non prorsus. Omnibus iis de causis, vnum se & alia tangit paritet & non tangit. Sic videtur. An est præterea æquale pariter & inæquale, tum sibi, tum etiam cæteris? Quo verò sit pacto? Si maius esset, vel minus vnum, quàm alia, aut alia rursus maiora siue minora, quàm illud, an non vnum ex eo quòd vnū, & alia ex eo quòd alia quàm vnum, aut maiora, aut minora inuicē ex ipsis suis essentiis essent? verùm si præter rationes has vtraque æqualitatem insuper haberent, æqualia inuicem existerent: sin hæc quidem magnitudinem, illa paruitatem aut ipsum vnum magnitudinem alia paruitatem haberent, cuicunque speciei magnitudo adesset, maior existeret: cuicunque paruitas, minor. Necesse. Nónne sunt duæ quædam huiusmodi species, magnitudo & paruitas? Etenim nisi essent, nunquam contrariæ inuicem existerent, ac rebus ipsis inessent. Est vt dicis.

Igitur

Igitur si vni paruitas accedit, vel toti vni, vel parti cuipiam insidet. Necessariùm. Si toti insederit, vel æqua extensione per integrum vnum intus ibit, vel externis limitibus complectetur. Planè. Ex æquo vni infusas paruitas, æqualis proculdubio vni erit? cõplectẽs autem, maior. Quídni? Num potis est paruitas æqualis cuiquam esse, vel amplior, effectúsque magnitudinis & æqualitatis in alio exercere, nisi posset in seipsam? Nó potest proculdubio. Vnde concluditur in toto vno paruitatem esse non posse. Restat forsitã, vt sit in parte. Restat. Non tamen in tota parte. eadem enim efficeret aduersus partem, quę & aduersus totũ effecerat. quippe vel æqualis erit, vel maior illa ipsa parte semper, cuicunq; insit. Necessariò sequitur. Nulli igitur vnquam rei paruitas inhęreбit, quum neque parti, neq; toti inhæreat. Ex quo fit vt nihil futurum sit paruum præter ipsammet paruitatem. Videtur. Sed neque etiã magnitudo inerit. quippe aliud quicquã præter ipsammet magnitudinem maius esset, vt puta id, cui inerit magnitudo. Verũtamẽ nihil est paruum, quod quidem superari oportet à magno, si quid magnum sit. Etenim quo pacto paruum aliquod reperies, quum paruitas in nullo resideat? Vera loqueris. Quinetiam magnitudo ipsa nullo erit alio maior, quàm paruitate, neque paruitas ipsa, alio quopiam, quàm ipsa magnitudine minor. Nullo. Quamobrem cætera præter vnum neque maiora, neque minora. quàm vnum erunt quum magnitudinis paruitatisque expertia sint. Neque habebunt hæc duo aduersus ipsum vnum vim aliquam, qua vel excedant, vel excedantur, sed inter seipsa id efficient. Neque etiam

ipsum vnum, aut hisce duobus, aut aliis quibuslibet maius vel minus erit, vtpote quod tam magnitudinis, quàm paruitatis est expers. Sic vtique apparet. Ideóq; cum nec maius nec minus, sit vnum, quàm cætera, nec superabit alia, neque ab aliis superabitur. Absque dubio. Nónne quod nec superat, nec superatur, necessariò sequitur, vt æquè se habeat? & si æquè, vt æquale sit? Imò. Sed hoc pacto, vnum ipsum ad sese habet; expers scilicet & magnitudinis & paruitatis vt nec exuperet seipsum, nec à seipso exuperetur, sed æquè se habens æquale semper sibi sit. Et maximè quidem. Itaque vnum sibi cæterisque æquale. Videtur. Veruntamen cùm vnum in seipso sit, extrinsecus sese circuit, atque ita se complectens seipso amplius extat: cúmque etiam comprehendatur, angustius est. quo fit vt vnum tum maius, tum etiã minus seipso sit. Fit vtique. Nónne hoc quoque necessarium est, nihil scilicet præter vnum & alia reperiri? Necessarium. Item quicquid est, an non semper alicubi esse oportet? Oportet. Insuper quod in aliquo est, nónne semper in maiori minus? Neque enim aliter aliud esset in alio. Est quod dicis. Postquàm verò nihil est præter vnũ & alia, oportétque ista in aliquo esse, nónne in se inuicem hæc vicissim esse necesse est? alia scilicet in vno & in aliis vnum, aut nusquam prorsus existere? Constat. Quia ergo vnum est in aliis idcirco alia maiora sunt, quàm vnum, vtpote quæ vnum continent, vnum autẽ aliis minus ex eo quod continetur: quia verò alia in vno sunt, vnum aliis ob eandem rationem maius est, illa verò minora. Videtur. Vnum itaq; æquale maiúsque & minus seipso & aliis est.

Appa-

Apparet. Atqui si maius & minus & æquale, æqualium erit mensurarum pluriúmque & pauciorum quoad seipsum atque ad alia: & si mensurarum, partium etiam. Quid prohibet? Eaſdem ergo mensuras plurésque & pauciores habens, numero quoque plus atque minus erit & ad seipsum & ad cætera, néonon æquale sibi atque aliis ob eaſdem causas. Quónam pacto? Quibus maius est, plures, quàm illa mensuras habet, quótque mensuras totidem & partes: & quibus minus est, eodem modo: quibúsue æquale, similiter. Sic eſt. Nónne cùm seipso maius minúsque sit, & æquale, æqualium mensurarum pluriúmque & pauciorum quoad seipsum est particeps, & postquàm mensurarum, etiam partium? Quidni? Habénsque partes sibiipsi æquales multitudine etiam æquale sibi erit, plures verò plus, pauciores denique minus numero semetipso? Videtur. An non ad alia similiter se vnum habebit? Quia maius illis apparet, necesse est plus quàm illa numero esse: quia verò minus magnitudine, etiam numero minus: quia deinque æquale in magnitudine, numero quoque par esse. Necessariò fit. Hac iterum ratione vnum, par, plus, minus, secundum numerum seipso erit, ac cæteris. Erit sanè. Nunquid & tempore vnum participat, estque & fit iunius ac senius seipso simul & aliis? & rursus contrà nec iunius neque senius seipso, vel aliis dum participat tempore? At quomodo id fieri potest? esse profectò illi competi, si quidem vnú est. Competit. Ipsum esse autem quid aliud est quàm essentiæ cum præsenti tempore participatio, quemadmodum ipsum erat cum præterito, & ipsum erit cum futuro essentiæ i-

pſius communicatio? Iſthuc ipſum. Ergo ſi ipſo eſſe participat, neceſſe eſt temporis quoque eſſe particeps. Nimirum. Nónne fluentis temporis? Certè. Semper ergo ſenius ſeipſo fit, ſi quidem ſecundũ tempus percurrit neceſſe. Recordamúrne quòd ſenius ſemper fit ſenius eo quod iunius fit? Recordamur. Nónne igitur poſt quàm vnum ſeipſo fit ſenius, ſeipſo dum iunius fit, fit & ſenius? Neceſſarium eſt. Fit ergo per hunc modum iunius ſeipſo ac ſenius. Fit. Senius autem nónne tunc eſt, quando præſens iam tempus attingit, quod medium eſt ipſius erat & erit? Neque enim eurrens ex præcedente in poſterum, præſens ipſum ſupergreditur. Non certè. An non deſinit tunc fieri ſenius, cum primum præſens tangit, nec tum fit, ſed eſt iam ſenius? Procedens enim ab ipſo præſenti nequaquam comprehenditur. Quod nãque procedit, ſic ſe habet, vt vtrunque, præſens ſcilicet futurúmque attingat, præſens quidem relinquens, futurum apprehendens inter vtrunque medium præſens futurúmue cadens. Vera. Si verò neceſſe eſt quodcunque fit, ipſum præſens minimè tranſgredi, cùm primum illud nactum eſt, fieri deſinit, eſtque tunc iam illud quod fiebat. Apparet. Vnum igitur quando ſenius factum ipſum præſens aſſequitur, deſiſtit fieri, eſtque iam ſenius. Omnino. An non illo ſenius eſt, quo fiebat ſenius? fiebat autem ſeipſo. Ita. Senius verò iuniori ſenius? Eſt. Iunius ergo ſenius ipſo tunc eſt vnum, quando ſenius factum, præſens aſſequitur. Neceſſe. Ipſum præterea præſens ſemper vni adeſt per vniuerſum eſſe. ſemper enim eſt præſens quandiu eſt. Quidni. Semper ergo vnum eſt & ſit iunius atque ſe-

senius semetipso. Videtur. Quinetiam longiúsne vel breuius tempus est, aut fit quàm ipsummet, an potius æquum? Æquum. Verum quod æquale tempus est, aut fit, eandem agit ætatem. Quid prohibet? Quod autem eandem ætatem implet, neque senius, neque iunius. Nequaquam. Quapropter vnum cùm æquale tempus ad seipsum & fit, & fiat, neque senius, neque iunius seipso, aut est, aut efficitur. Haud sanè mihi videtur. Quo autem modo ad alia se habet? Nescio quid dicam. Hoc tamen potes dicere, quòd alio ab vno, si quidem altera sunt, non alterum, plura sunt quàm vnum. Nam si alterum, vnum essent. Altera verò cùm sint, plura quàm vnum sunt, & multitudinem habent. Habent prorsus. Multitudo autem maiorem numerum quàm vnum habet. Certè. Quid verò? ex iis quæ ad numerum spectant, quænam prius fieri aut facta fuisse dicemus? num quæ plura sunt, an quæ pauciora? Quæ pauciora. Quod ergo pauciſsimum, primum: Id autem est vnũ, an non? Imò. Vnum ergo primum factum omnium, quæ numerum capiunt, habent autem cætera omnia numerum, siquidem alia sunt, non aliud. Habent profectò. Primò autẽ factũ prius fuit, alia verò posterius: posterius autem facta iuniora sunt, quam quod antè factum. Ideóque alia hoc pacto iuniora, quam vnum sunt, vnúmque illis antiquius. Certè. Quid autem ad hoc? Num vnum effici præter naturam suam potest? vel id potius impossibile? Impossibile. Veruntamen partes habere vnũ apparuit. quòd si partes, principium quoque mediúmque, & finem. Plane. Nónne omnium primò principium

ſit, & vnius, & reliquorum cuiuſque, ac poſt principium cætera vſque ad finem omnia? Quidni? Fatemúrne hæc reliqua omnia partes totius atque vnius eſſe? & illud ipſum vnà cum fine vnum totúmque factum fuiſſe? fatemur. Finis tandem, vt arbitror, poſtremò fit, cúmque hoc ſimul vnum ſecundum ſui naturam completur. Quamobrem ſi neceſſe eſt vnum haud præter naturam ſuam effici, cum fine ſimul confectum, poſtremum omnium naturæ ſuæ iure perficitur. Apparet. Iunius itaque aliis vnum eſt aliáque vno antiquiora. Sic iterum mihi videtur. Quid autem? principium aut aliqua alia pars ſiue vnius, ſiue cuiuſlibet alterius, ſi modò pars non pattes ſit, nónne vnum eſt? ſi quidem pars exiſtit. Neceſſarium iſtud eſt. Ex hoc ſequitur vnum ſimul cum primo effecto fieri, ſimúlque etiam cum ſecundo, ac etiam reliquorum quæcunque fiunt, nulli vnquam deeſſe, donec ad extremum vſque percurrens vnum totum fiat, non à primo, non à medio, non ab vltimo, non ab alio prorſus vllo in generatione excluſum. Verum. Eandem ergo vnum quàm & cætera omnia ætatem agit, quapropter ſi non præter naturam ſuam natum eſt ipſum vnum, neque prius, neque poſterius quàm cætera, ſed ſimul potius factum eſt. Ideóque ſecundum hanc rationem vnum neque ſenius neque iunius aliis, neque alia vno: ſecundum verò rationé ſuperiorem vnum & ſenius ſimul & iunius cæteris omnibus, atque è conuerſo reliqua cuncta vno. Omnino ſic eſſet. Hoc ergo modo ſe habet, & tale eſt effectum. Verum quídnam ſentis de eo quod dicitur, fieri vnum ſenius, atque iunius aliis, aliáque vno, ac etiam neque ig-

iunius, ne
ne ſe habe
eſſe haber
ignoro.
quid eſt a
deinde fie
teruallum
quod iuni
æqualia ir
cuilibet al
& antea, il
Non igitu
aut antiqu
quidem ea
cidit: ſed &
autem iun
ta id quoc
nunquam
quam. S
ratione &
nam? Hac
alia vno e
dem vnu
quàm illa
iterum ſi
ri par ten
la diſcrep
Minore. V
uallo alia
ceſſerat,
minus ſen
bit. An n
dedit aliq
prius, quo
nius proc
ſi cum va

iunius, neque senius fieri? Vtrum eadem ratione se habet circa ipsum fieri, qua circa ipsum esse habere prædiximus, an aliter? Quid dicam ignoro. Ego autem tantùm dicam, quòd si quid est antiquius alio, antiquius quo ad illud deinde fieri, quàm anteà secundum ætatis interuallum fuisset, minimè potest: neque etiã quod iunius est, in posterum iunius fieri. Nã æqualia inequalibus addita, seu tempori, siue cuilibet alteri eodem interuallo distare quo & anteà, illa semper efficiunt. Nihil prohibet. Non igitur id quod est, illo quod vnum est, aut antiquius, aut iunius fieri potest: quando quidem eadem semper distantia ætatis intercidit: sed & est, fuit hoc quidem senius, illud autem iunius, fit verò minimè Est vt dicis. Ita id quod vnum est, cæteris quæcunque sunt, nunquam vel iunius, vel senius efficitur. Nũquam. Sed aspice posthac num alia quadam ratione & iuniora hæc & seniora fiant. Quanam? Hac inquam. Vnúmne antiquius aliis, & alia vno esse constitit? Quid tum? Quandoquidem vnum senius est quàm cætera, longius quàm illa tempus extitit. Quinimò. Aduerte iterum, si quando longiori & breuiori tempori par tempus adiiciamus, num æqua particula discrepabit longius à breuiori, an minore? Minore. Vnum igitur non tanto ætatis interuallo alia deinceps excedet, quanto prius excesserat, sed par tempus ac cætera sortitum, minus semper quam prius ab illius ætate distabit. An non? Profectò. Nónne quod minus excedit aliquid ætate quàm prius, iunius sit quã prius, quo ad illa quibus erat antiquius? Iunius proculdubio. Si illud iunius, an non illa, si cum vno conferas, seniora quàm prius e-

runt? Penitus. Quod ergo iunius antè fiebat, senius fit ad illud quod antè fiebat, erátque antiquius: est autem nunquam antiquius, verum illo semper antiquius fit, illud porro iuuenescit, hoc contrà senescit, quod rursus antiquius, iuniori iunius similiter efficitur. Nam cùm ista in contrarium tendant, contraria inuicem fiunt. Iunius quidem seniori senius, senius contrà iunius iuniori. Facta verò fuisse nequeunt. Nam si facta fuissent, non amplius fierent, sed iam essent. Nunc verò & iuniora, & seniora inuicem efficiuntur. Vnum quidem cæteris iunius fit, ex eo quòd senius esse apparuit & prius effectum: cætera verò seniora, quàm vnum fiunt, ex eo quòd posteriora facta fuerint. Et secundum eandem rationem cætera quoque similiter ad vnum se habent: quippe cùm antiquiora & priora illo facta fuisse apparuerint. Idem mihi quoque videtur. An non qua ratione neutrum illorum altero vel iunius fit vel senius, secundum quod pari numero inuicem differunt, neque vnum aliis antiquius, aut iunius fieret, neque alia vno? Qua verò ratione altera semper parte differre necesse est priora posterioribus, & posteriora prioribus, ex hoc necesse est seniora, & iuniora inuicem fieri, tum cætera vno, tum cæteris vnum? Et maximè quidem. Omnibus igitur his de causis vnũ ex seipso, & aliis senius ac iunius est & fit, rursúsque neque iunius neque senius seipso vel cæteris aut est, aut vnquã efficitur. Prorsus. Postquam verò vnũ téporis est particeps, seniúsque & iunius fieri potest, nõne præterea necesse est præteriti, præsentis atque futuri esse particeps, cum participet tempore? Necessariò sequitur. Erat igitur

vnum

vnũ & est, & erit: fiebátque & fit, & fiet. Quídni? Esset quoque illi aliquid & illius, erátque & est & erit. Maximè. Ideóque scientia de illo esset, opinióque ac sensus: quippe cùm & nos in præsentia hæc de illo vniuersa tractemus. Rectè ais. Nomen item ac sermo ipsi adest, nominatúrque & dicitur. Et quoteunque huiusmodi circa alia reperiuntur, circa vnũ quoque existunt. Omnino quidem sic se res habet.

QVAERVM tertiò iá iterũ disseramus, num vnũ sit quemadmodum suprà diximus: nunquid igitur necesse est ipsum cũ sit vnum, & multa atque iterũ, neque vnum, neque multa, & participans tempore, quia vnum est, essentia participare aliquando: quia verò non est, non participare aliquando? Necessariũ hoc est. Nũ possibile est cũ participat, tunc minimè participare? vel cũ non participat, participare? Impossibile. In alio itaque tempore particeps, in alio verò est expers: hoc enim modo duntaxat fieri potest, vt particeps atque expers eiusdem sit. Probè. Nunquid est id tempus quãdo accipit esse, & quando esse amittit? aut quo pacto esse potest, vt aliquando idem habeat, aliquando verò non habeat, nisi aliàs id capiat, aliàs autem amittat? Non aliter. Accipere essentiam, nónne fieri appellas? Equidem. Essentia verò priuari nónne destrui? Et maximè. Vnum igitur, vt videtur, assumẽs, atque deponẽs essentiã, fit, & interit. Necessariũ. Cũq; vnũ & multa fit, siue cũ fit, siue cũ interit, nónne quãdo fit vnũ, desinit esse multa; quãdo verò multa, desinit esse vnũ? Valde. Et cũ fiat vnũ & multa, an nõ disgregari & cõgregari oportet? Oportet. Quinetiã quoties dissimile similéq; efficitur, nónne assimilari, & vt ita dicam, dissi-

2 *Quanã suppositio, Vnũ esse, ad Alia cõsequãtur.*

milari oportet? Imò. Et quando maius & minus, atque æquale, crescere, decrescere, atque æquari. Sic est. At quoties ex motu in quietem, vel ex quiete in motum transit, oportet hoc non vno in tempore esse. Quánam ratione? Cum scilicet prius staret, moueri postea: cúmque antea moueretur, deinde consistere. Etenim absque transmutatione hæc pati nequit. Nequit. Tempus verò nullum est, in quo quippiam sic habere se possit, vt simul neque stet, neque etiam moueatur. Nullum Veruntamen neque transit absque transmutatione. Haud consentaneum est. Quando ergo transit? neque enim dum stat, neque dum mouetur trásit, neque dum in tempore est. Non certè. An est hoc mirabile quiddam in quo tunc est cú transit? Quídnam? Momentum indiuiduum inquam. Hoc enim momentum certum quíddam significat, ex quo in vtrunque transit. Neque enim ex statu, dum stat, neque ex motu, dum mouetur, adhuc transit. Verùm momentanea ipsa natura atque miranda, media motui quietíque interponitur, ac nullo prorsus in tempore est, nécnon in hanc atque ex hac, quod motum est, transit in statum: & quod quieuit, in motum. Apparet. Vnum itaque siquidem stat atque mouetur in vtraque proculdubio transit. Solo enim hoc modo vtraque facit. Transiens autem, momento indiuiduo transit. Cúmque migrat, nullo in tempore est, neque stæ tunc, neque mouétur. Minimè. Nunquid eodem modo ad cæteras mutationes sese habet? quando ex ipso esse in interitum migrat, vel ex nó esse in ipsum fieri, medium tunc fit quorundam motuum ac statuum, nec est tunc neque nó est,

æque fit etiam, neque interit? Videtur. Eadem quoque ratione ex vno migrans in multa, & è multis in vnum, nec vnum est, neque multa, nec congregatur, neque disgregatur: & ex simili in dissimile, rursúsque ex dissimili in simile migrans, nec simile, neque dissimile, neque assimilatum, neque vt ita dicam, dissimilatum, & ex paruo in magnum, & in ipsum æquale, & contraria transiens, non paruum, non magnum, non crescens, non decrescens, non adæquans. Non videtur. Hæc igitur vniuersa vnum si est, patitur. Quídni.

Deinceps considerandum quídnam alia patiantur si vnum sit.

¶ An non considerandum præterea alia a quid patiantur, si vnum est? Considerandum. Dicamus igitur vnum si est, alia ab vno quídnam pati oportet? Dicamus. Nónne quia alia sunt, quam vnum, non vnum sunt? alioquin alia quàm vnum non essent. Probè. Nou tamen penitus vno priuata sunt, sed quodammodo vno participant. Qua ratione? Quoniã alia ab vno, ex eo quod partibus constant, alia sunt quàm vnum: nisi enim partes haberent, vnum penitus essent. Rectè. Partes autem, eius quod totum est, partes esse asseruimus. Asseruimus planè. Atqui totum ipsum vnũ ex multis esse oportet, cuius partes sunt, quæ partes appellantur. qiælibet enim partium non multorum pars, sed totius existit. At quomodo istud? Si quid multorum pars esset, quibus ipsum inesset, & suiipsius quodãmodo esset pars, quod est impossibile, & aliorum cuiusque: siquidem omnium. Vnius enim non existens pars, vnò excepto aliorum omnium erit, atque ita vniuscuiusque pars non erit. Non existens verò pars cuiusque nullius ex multis erit. Et, si nullius est, esse quo-

quam istorum omnium quorum nullius, vel pars, vel aliud quicquam est, impossibile erit. Apparet quidem. Non ergo multorum, nec omnium pars est quæcunque sit pars, sed vnius cuiusdam ideæ, & vnius cuiusdam quod totum vocamus factum ex cunctis vnum atque perfectum. Huius inquam pars est, quæcunque sit pars. Omnino quidem. Si ergo alia partes habent, toto atque vno participant. Maximè. Vnde vnum totum perfectum partes continens, alia ipsa ab vno esse necesse est. Necesse. Quinetiam de vnaquaque parte eadem ratio est. Etenim huius vnius participem esse oportet. Nam si vnaquæque illarum pars est, hoc ipso quod dicitur vnaquæque, vnum quodammodo significat: distinctum enim quiddã ab aliis, & secũdum seipsum existens significat, si modò singulæ sunt. Rectè. Erit autem vnius particeps, si aliud quiddam quàm vnum fuerit: alioquin haudquaquã participaret, sed ipsum vnũ erat. Atverò vnum esse aliquid præter ipsum vnum nihil potest. Nihil. Participare autem non vno necesse est, & totũ simul & partem. Ipsum nãque vnum totum erit, cuius partes sunt partes singulæ: singulæ verò partiũ, pars totius, quæcunque pars totius existat. Sic est. Nónne igitur quum alia sint, quã vnũ, vno participant omnia quæ participãt? Quidni? Alia verò quã vnum multa quodammodo sunt. Ná si alia præter vnum, nec vnũ tamen, nec plura vno essent, penitus nihil essent. Nihil sanè. Postquam autem plura vno sunt, quæ vnius partis, vnius totius participia sunt, nónne necesse est multitudine infinita esse ipsa participantia vno? Quónam pacto? Hoc plane. Aliud quiddam quã vnũ ista sunt, neque eiã

vna

vnoparticipant tunc cùm primùm vno participant. Certè. Nónne multitudines sunt, in quibus non ineſt vnum? Multitudines certè. Quòd ſi velimus intelligentia ipſa ex iis aliquid, quàm minimum excerpere, an non neceſſe erit illud extractum, vtpote quod vnius eſt expers, multitudinem eſſe, non vnum? Neceſſe. Nónne tibi ſic ſemper conſideranti ipſam ſecundum ſeipſam alteram ſpeciei naturam quantumcunque illius inſpexeris, infinitum multitudine ſemper occurret? Et maximè quidem. Veruntamen poſt quam vna quælibet pars effecta eſt, terminum iam partes inuicem, & ad totum habent: necnon ad pattes totum. Valde quidem. Itaque aliis, quàm vni contingit, ex ipſo vno, & ex ſeipſis iam in vno communicantibus, alterum quiddam in ipſis fieri: quod quidem terminum inuicem præbuit. natura autem illorum ſecundum ſeipſam infinitatem. Manifeſtum eſt. In hunc itaque modũ alia quàm vnum, tum tota, tum etiam ſecundum particulas, & infinita ſunt, & termino quodam participant. Prorſus. An non igitur ſimilia diſſimiliáque inuicem & ſibiipſis? Quamobrem? Qua quidem infinita ſunt ſecundum ipſorummet naturam, omnia idem quodammodo ex hoc inuicem patiuntur. Patiuntur. Item quà cuncta participant termino, ex hoc quoque idem omnia patiuntur. Quídni? Quà tamen illis conuenit, vt finita ſint ſimul & infinita, quæ ſunt contrariæ paſſiones, quam maximè fieri poteſt, diſſimilia ſunt. Nimirũ. Ergo ſecundum alteram rationem ipſa ſibimet, & inuicem ſimilia erunt, ſecundum vtranque verò vtrinque, quàm maximè contraria atque diſſimilia.

Constat. Sic igitur alia eadem sibiipsis & inuicem, similiáque & dissimilia erunt. Erunt Ac rursus eadem & altera, agitatáque & stantia, cæterásque contrarias rationes susciptentia, cætera quæ accidunt his, quæ alia sunt quam vnum, facilè reperiemus, postquam hæc iá nobis constant. Rectè dicis.

Iam ostenditur contraria eorũque commemorata sunt superiori sect. one, sequi ad Alia, si positum fuerit vnum esse.

¶ a Quid igitur? non hæc tanquam perspicua prætermittemus, dispiciemúsque rursum, si quidem vnum est, cætera quæ vnum non sunt, num non isto pacto habent, an isto solùm? Prorsus. Principio igitur videamus, vnum si est, cæteris quid euenire necesse sit. Videamus. An non seorsum quidem vnum ab aliis, seorsum alia erunt ab vno? Cur nam? Quia nihil est præter ista, quod aliud quidem sit, quá vnum, aliúdque quàm alia: vniuersa quippe comprehensa sunt cùm vnum & alia dictum est. Vniuersa. Quare nihil præter hæc restat, in quò velut eadem in sede vnum & alia consideant. Nihil prorsus. Nunquam igitur in idé vnum aliáque concurrunt. Nunquam. Seorsum ergo? Seorsum. Dictum præterea fuit ipsum reuera vnum partes nullas habere quomodo enim habere posset? Neque totum igitur vnum aliis inerit, neque eius particulæ, si quidem seorsum est ab aliis, nullísque particulis constituitur. Ita est. Nullo itaque modo alia vno participabunt, cùm neque totum ipsum, neque partem eius capiant. Nullo vt videtur. Atque idcirco alia nullo pacto vnum sunt, neque in seipsis vnum aliquod habent. Minimè. Vnde nec multa sunt alia. Etenim si multa essent, vnumquodque illorum, vtpote pars totius vnum esset. Nunc autem non vnum, non multa, non totum, non partes alia sunt,

sunt, postquam nihilo vnius participant. Probè. Quapropter nec duo, nec tria sunt, nec vnũ illis inest, siquidem vno prorsus orbantur. Sic est. Itaque nec similia, neque dissimilia, nec eadem sunt alia vni, neque illis similitudo ac dissimilitudo inest. Si enim similia atque dissimilia ipsa essent, ex eo quod in seipsis similitudinem dissimilitudinémque haberent, duas vtique cõtrarias inuicẽ species tam ipsa alia, quàm vnum in seipsis compræhenderent. Apparet. Ac fieri nõ potest, vt quæ nullo partici pant, participent duobus. Nõ certè. Neque ergo similia, neque etiã dissimilia sunt, duo quęcunque ab vno alia: etenim si similia, vel dissimilia sint, vna quadã altera specie participarent: & si ambo, duabus quibusdam cõtrariis speciebus. hæc autem impossibilia esse patuit. Vera dicis. Non igitur eadẽ, non altera, non agitata, non quieta, non orientia, non pereuntia, non maiora, non minora, non æqua, non denique aliud quicquam huius generis accidet. Nam si quid tale susceperint, vnoquoque & duobus, & tribus, parísque & impari partici parent, quod esse impossibile vidimus, cùm vno per omnia sint destituta. Verissima hæc sunt. His ergo de causis, vnum si est, omnia est vnum, & nihil est, & ad seipsum, atque ad alia eodem modo. Omnino sic se res habet.

a *Si vnum nõ esse suppo natur, quæ nam consequantur ex hac hypothesi.*

¶ a At verò si vnũ non sit, quid contingat nónne posthac considerandum est? Considerandum. Quænam hæc suppositio est, si vnum non est? Num aliquo differt ab ista, Si non vnũ nõ est? Differt sanè. Nũ solũmodo differt? vel etiam omnino contraria est hæc. Si non vnum non est, illius, si vnum nõ est? Contraria omnino. Quid autem? si quispiam dixerit,

si magnitudo nõ est, vel paruitas nõ est, vel a-
liud quicquã huiusmodi, nónne in singulis in-
nuit quòd aliud quiddã dicat ipsum nõ ens?
Omnino. Nónne igitur nunc declarat, quòd
alterũ quiddã præter alia ipsum non ens dicit
quando dicit, vnũ si non est, intelligimus quia
quid dicat? Intelligimus. Primũ igitur aliquid
quod cognosci potest, exprimit: deinde alterũ
quàm alia, cũ ait vnũ, siue esse illi adiciens si-
ue nõ esse: nihilominus cognoscitur quid nõ
esse dicatur, quódq; differẽs quiddã est ab a-
liis. an nõ? Necesse. In hũc itaq; modũ à prin-
cipio dicendũ, vnum si nõ est, quid esse opor-
tet. In primis itaque ipsi hoc oportet accidere,
vt videtur, esse videlicet quandã eius scientiam
aut nihil intelligere nos quid dicamus, quan-
do vnũ si non est, proferimus. Vera loqueris.
An non & alia altera esse, quã illud, vel neque
illud alterũ quàm alia prædicari? Maximè. Er-
go diuersitas quoq; præter scientiã illi adest,
neq; enim illorũ diuersitaté dicit, quãdo vnũ
alterum, quàm alia vocat: sed suiipsius diuersi-
tatem. Apparet. Quinetiã ipsius illius, & alicu
ius, & huius, & huic & horũ, atque omniũ hu-
iusmodi particeps, ipsum nõ ens dicitur. Neq;
enim vnũ diceretur, neq; ab vno alia, nec illi
quicquã esset, nec illius quicquã, neq; aliquid
appellaretur, nisi particeps cuiusdam, aut quã-
dã huiusmodi sit. Rectè. Esse tamen vnũ,
nisi existat, impossibile est: participare verò
multis, nihil prohibet. Sed & necesse est. siqui
dẽ ipsum vnum illud duntaxat, nec aliud non
est, quòd si nec vnũ ipsum, nec illud, nõ erit,
sed de alio quodam sermo habetur, nihil pro-
nunciari oportet: fin autem vnum illud dun-
taxat, non aliud præsupponitur non esse, &

ipsius

ipsius illius, & aliorum multorum particeps esse dicendum est. Et maximè quidem. Quãobrem dissimilitudo illi est ad alia: nam cùm alia altera sint quàm vnum, diuersa esse oportet. Oportet. Diuersa verò nõne aliena? Quidni? Aliena autem nónne dissimilia sunt? Dissimilia planè. Atqui si vni dissimilia sunt, dissimili dissimilia erunt. Planè. Aderit itaque & vni dissimilitudo secundũ quam alia ipsi dissimilia sunt. Videtur. Etsi illi dissimilitudo ad alia competit, nónne ad seipsum similitudo cõueniet? Quónam modo? Si vni insit dissimilitudo ad vnum, haud sanè de huiusmodi quodam vt de vno sermo haberetur, neq; suppositio de vno, sed alio quopiã fieret. Prorsus. At isthac non decet. Nõ certè. Ob hãc causam oportet vni similitudinem ad seipsum adesse. Oportet. Itẽ nec æquale aliis est. Etenim si æquale esset, iam profectò etiã simile illis secũdum æqualitatem existeret. Vtraque verò hęc impossibilia, cũ vnũ minimè sit. Impossibilia. Postquã verò cæteris æquale non est, nónne & alia necesse est illi æqualia nequaquã esse? Necesse. Quæ autem non æqualia, inæqualia sunt. Inæqualia. Inæqualia verò inæquali cuipiã inæqualia sunt? Certè. Vnde & inæqualitatis particeps, vnum apparet, secundũ quam cętera ipsi inæqualia sunt. Particeps profectò. Cæterùm ad inæqualitatẽ magnitudo & paruitas attinet. Attinet. Et magnitudo ergo & paruitas tali vni cõuenit. Videtur. Magnitudo rursus & paruitas semper inuicem distant. Distant. Ideoque medium quiddam semper interuenit. Sanè. Num reperis medium aliud inter hæc præter æqualitatem? Nullum aliud. Cuicunque igitur magnitudo

& paruitas accidit, accidit quoque æqualitas, horum obtinens medium. Constat. Vni igitur dum non est, æqualitas, magnitudo, & paruitas accidere videntur. Videntur. Præterea & essentia participare quodâmodo ipsum oportet. At quomodo? Habere seipsum oportet eo modo quo diximus, nisi enim sic sese haberet, haudquaquam vera diceremus dum vnũ non esse fatemur. Sin autem vera, manifestum est, quòd ea quæ sunt, proferimus, nónne? Sic est. Cùm verò nos vera prædicare dixerimus, necesse est, vt ea quæ sunt, asserere nos profitea-mur. Necesse. Est ergo vnũ, vt videtur, nõ ens. si enim non sit non ens, sed aliquid ipsius esse remittat ad hoc vt nõ sit, statim erit ens. Omnino quidem. Oportet igitur vt non ens, esse non ens, velut vinculũ ipsius non esse habeat, si debet non esse quéadmodum cõtra ens ipsius essendi vinculũ habet ipsũ nõ esse nõ ens, vt perfectè rursus esse liceat. Ita enim ipsũ ens maximè erit, & ipsum nõ ens maximè nõ erit, si ipsum ens quidẽ participet essentia essendi ens, nõ autẽ essentia essendi nõ ens, si omnino esse debeat? ipsum verò non ens nõ participet essentia nõ essendi non ens, sed essentia nõ essendi ens, siquidem nõ ens penitus videri debeat. Verissima hæc sunt. Nónne igitur postquàm ens nõ essendi particeps est, & nõ ens ipsius essendi particeps, vnũ quoque cum non sit, ipso esse participare, necesse est ad hoc, vt vere non sit? Necesse. Essentia igitur adesse videtur vni si non sit. Videtur. Atqui nõ essentia rursus, siquidem minimè sit. Quidni? Nũ potest aliquid, quod certo quodã modo affectum sic habere se dicitur, non sic se habere, cũ nõdum ex huiusmodi habitu transmutatũ

sit?

sic? Non potest. Quodcunque igitur sic se & non sic se habet, mutationem quandam patitur. Patitur. Mutationem verò motúmue, an aliud quiddam esse dicemus? Motum. Vnum autē nónne & ens & nō ens apparuit? Apparuit. Ergo & sic,& nō sic se habēs. Videtur. Vnū ergo non ens moneri videtur, siquidē mutationem ex ipso esse in non esse recipit. Patet. Enimuero si nusquam in natura rerum adest,cum non sit,nō vtique aliunde aliò migrare potest. Quo pacto enim posset? Nō ergo mouetur ex eo quòd transeat. Minimè. Neque tamen in eodē versetur. Etenim ipsum idem nusquam attingit: quod enim idē est, est ens, non ens autē in aliquo eorū quæ sunt. esse impossibile est. Impossibile certè. Non ergo vnū cum non sit, in eo versari in quo minimè est, vnquā posset. Nunquā. Neque etiam alteratur vnū à seipso, neque ens, neque non ens: haud enim sermo de vno amplius haberetur, si quidem à seipso alteratum fuisset, verum de alio quodā præter vnū. Probè. Si neq; alteratur, neque in eodē reuoluitur, neq; progreditur, quónam pacto mouebitur? Nullo. Quod verò moueri nequit, quietem agere necesse est,& quod quiescit, cōsistere. Necesse. Igitur vnum si non est, stat atque mouetur. Videtur. Quinetiā si mouetur, necesse est procul dubio alterari: quatenus enim quid mouetur, eatenus non eodem modo quo prius, sed alio esse habet. Planè. Ergo vnum dum mouetur, etiam alteratur. Profectò. Veruntamen nullo modo motum, nullo modo alteratur. Nullo penitus. Quamobrem vnum quod non est, quà quidem mouetur, absque dubio alteratur: quà vero non mouetur, minimè al-

teratur. Minimè. Ideóque vnum si non sit, alteratur: atque etiam minimè alteratur. Constat. At quod alteratur, an non alterũ, quàm antea fieri, pristinúmq; habitũ exuere oportet? quòd verò non alteratur, neque fieri, neq; etiã interire? Necessariò sequitur. Vnde vnum quod non est, qua alteratur, efficitur ac perit: quia verò nõ alteratur, nec fit, nec interit. Atque ita & fit pariter atq; interit, rursúsque neque fit, neque interit. Sic est.

2 Contra ostenditur suppositę, vnum non esse. Cõtraria superiorum ipsum sequũtur.

¶2 RVRSVS iã ad principiũ redeamus, liquidò inspecturi vtrũ hæc deinceps, quèadmodũ hactenus, an aliter esse videãtur. Operæpretiũ hoc est. Nónne iã diseruimus quid circa vnũ accidat, si ipsum minimè sit? Diseruimus. At quoties nõ ens proferimus, nihil aliud nobis significat, quàm essentiæ absentiã ab illo quo quidẽ nõ esse pronunciamus. Nil aliud. Vtrũ quando dicimus nõ esse aliquid, aliquo modo ipsum nõ esse intelligimus aliquo modo esse? An potius hoc ipsum, nõ est, quoties pronũtiatur, simpliciter significat quod nullo prorsus modo vsquam est: & cùm nõ sit, nulla ex parte est essentiæ capax? Absolutè id significat. Neque ergo esse ipsum nõ ens poterit, neq; alio quoquã modo essentiã attingere. Minimè. Fieri autẽ & interire, vnũ aliud est, quàm illud quidem essentiam accipere, hoc autem amittere? Nil aliud. Ergo cui nulla huius pars cõuenire potest, nunquã aut accipit ipsam, aut amittit. Nunquã. Vni ergo postquã nullo modo est, neque nanciſci, neque abiicere, neque alio pacto essentiam capere conuenit. Decens est. Non itaque interit ipsum vnum, cùm non sit, neque fit, vtpote quod nulla ex parte est essentiæ capax. Non videtur. Neque rursus aliquo

aliquo pacto alteratur. Iam enim & fieret, & periret, si hoc pati posset. Verum. Si minimè alteratur, an non etiam necesse est nequaquã moueri? Necesse. Neque tamen stare alicubi quod nullo modo est, asseremus: quod enim stat, in aliquo eodẽ semper esse oportet. Quidni? Sic planè ipsum nõ ens, nunquã aut stare, aut moueri fatebimur. Nunquam. Præterea nihil ex iis quæ sunt, illi adest. Iam enim essentia participaret, vt pote quod alicuius existentis esset particeps. Manifestum est. Non magnitudo igitur illi, non paruitas, nõ æqualitas accidit. Non profectò. Sed nihilo magis similitudo, aut diuersitas illi, vel ad alia, vel ad seipsum aderit. Nequaquã videtur. Num & alia vllo modo illi esse poterunt, quum nihil prorsus ipsi esse queat? Haud licet. Quapropter alia non similia illi, nõ dissimilia, nõ eadẽ, non altera sunt. Non sanè. An verò ipsum quod illius, vel ipsum quod illi, vel quid. vel hoc, vel huius, vel alterius, vel alteri, aut quondam, aut deinceps, aut nunc, seu scientia, siue opinio, siue sensus, an sermo, an nomẽ, an aliud quoduis ex iis quæ sunt, circa ipsum quod minimè est, existet? Minimè. His igitur rationibus vnum si non est, vllo prorsus modo aut vsquã sese habet. Non sanè videtur vllo modo, aut vsquam sese habere.

[a] Estne iterũ disputandũ, vnũ si non est, quid aliis præter vnũ euenire oporteat? Disputãdũ. Primũ igitur ista alia, aliquid esse oportet. nisi enim alia sint, haud sanè de ipsis aliis dissereretur. Sic est. Et si de aliis sermo sit, alia profectò altera sũt. an nõ idẽ tu aliud & alterũ vocas? Equidẽ. Alterũ nõne ab altero alterũ & aliud ab alio aliud esse dicimus? Vtique. Ergo

[a] *Quid sequitur posito vnum non esse. Alijs quæ sũt præter ipsũ vnum euenire oportere.*

ipsis aliis si modò alia futura sunt, aderit aliquid à quo alia erunt. Necesse. Quidnam id potissimum erit? Ab vno quidem alia non erunt, cùm illud minimè sit, Non certè. Inuicem itaque alia sunt, id enim solum restat: alioquin à nullo alia futura sunt. Rectè. Idcirco secundum multitudines singula inuicem alia sunt. Etenim secundum vnum nequeunt, non existente vno. Verùm quilibet, vt videtur, aceruus illorum multitudine infinitus existit. Et si quod minimum apparet, quispiam sumpserit, velut in somno accidit, repentè pro eo quod vnũ visum fuerat, multitudo occurret. & pro eo quod minimum apparuerat, quàm maximum iam si ad illa dissecta conferas, apparebit. Rectissimè. Talibus, inquam, aceruis diuersa inuicè alia præter vnum erunt, si non existente vno, alia sunt. Quàm maximè. An nó plures acerui erunt, quorum quilibet vnus prima fronte videbitur, nullus tamen vnus erit, cùm ipsum vnum minimè sit? Certè. Numerus item illorum aliquis esse videbitur: si quidem & vnum, quodlibet, cùm tamen multa sunt. Valdè quidem. Paria præterea & imparia falsò videbuntur, vno prorsus absente? Falsò. Quod insuper exiguum in illis primò videbitur, vt dictum est, è vestigio quàm maxima, & quàm plurima quo ad singula parua, quæ etiam multa sunt, se nobis ostentat. Quid prohibet? Quinetiam aceruus quisque æqualis multis paruisque aceruis esse videbitur. Ná haud liquidò ex maiori in minus transisse videretur, nisi prius in mediũ peruenisse visus esset, hoc autẽ phant sna quoddam æqualitatis erit. Verisimile est. Nónne ad alium aceruũ terminum habens, ipsum ad seipsum neque prin-

principium, neque medium, neque finem habet? Qua de causa? Quia semper cum quis horũ aliquid intelligentia contactur, ante principium semper aliud occurrit principium: & post finem alter semper finis subsequitur, nec non in medio, alia semper anteriora, quàm medium, sempérque minora, ob id quia nequit vnum aliquid in his accipi, cùm vnum minime sit. Verissima loqueris. Discerpi denique necessariò arbitror, vt dispersum, quodcunque intelligentia quis assumpserit: semper enim aceruus vnius expers accipitur. Proculdubio. Nónne hoc tale eminus & obtuse prospicienti vnũ apparet? Necesse. Cominus autẽ & acutè intelligenti vnumquodque multitudine infinitum, siquidẽ ab vno non existente deseritur. Præ cæteris necessarium hoc est. In hunc itaque modũ infinita & finẽ habentia, & vnũ, & multa quælibet alia apparere oportet, si non vnum, sed alia præter vnũ sunt. Oportet vtique. An non similia quoque & dissimilia videbuntur? At quomodo? Nam cùm velut adumbrata eminus prospicienti vnum, apparebunt omnia, in eodem aliquo communicare, similiáque esse videbuntur. Prorsus. At verò propius accedenti, multa & altera, atque ipso diuersitatis phantasmate altera sibiipsis & dissimilia. Sic accidit. Similes item atque dissimiles ipsos aceruos tum sibimet, tum inuicẽ apparere necesse est. Et maximè quidem. Nónne etiam eosdẽ & alteros inuicem, & contiguos sibi, & seorsum à seipsis, omnibúsque motibus agitatos, & vndique permanentes, orientes & occidentes, ac neutra, omniáque huiusmodi, quæ quidẽ percurrere facile nobis esset, si vno non existente multa fuerint? Verissima narras.

a *Eodem supposito manente, nempe Vnum non esse. contraria superiorum ad Alia sequitur.*

¶ a Redeuntes iam iterũ ad principium, declaremus, vnum si non est, quidnam aliis præter vnum euenturum sit. Declaremus. Principiò igitur vnum alia non erunt. Quomodo enim? Neque tamen multa. In iis enim quæ multa sunt, inest & vnum. Etenim si nullum illorum est vnũ, cuncta nihil sunt, quapropter neque multa. Vera loqueris. Cùm itaque vnum haud insit aliis, nec multa, nec vnum sunt. Nõ planè. Neque etiam apparent vnũ, aut multa. Cúrnam? Quoniã alia cum iis, quæ non sunt, nullum prorsus commercium habent, neque quicquam ex iis, quæ minimè sunt, ad aliquid aliorum attinet: nam nulla pars iis quæ non sunt, adest. Verum. Neque igitur opinio de eo quod minimè est, nec phantasma cæteris in est, neq; vllo modo id quod non est, ab aliis opinione concipitur. Non certè. Quapropter si vnũ non est, nihil aliorũ opinione concipitur, aut vnũ, aut multa esse. Nam absque vno multa opinari penitus impossibile. Impossibile nimirũ. Ergo si vnũ non est, alia neque sunt, neque opinione etiã cogitantur vnũ, aut multa esse. Non videntur. Vnde neque similia, neque etiã dissimilia. Non. Neque etiã eadẽ, aut altera, neque contigua, neque seiuncta, neque reliqua quotcunque in superioribus tanquam quæ ad ipsa alia spectare viderentur, enarrauimus, neq; sunt alia, nec alia esse videtur, vnũ si non est. Vera. Nónne, vt summatim loquar, si dixerimus, vnum si non est, nihil est, rectè dicemus? Et maximè quidem. b Hoc itaque dictum à nobis sit, atque illud præterea, quod vt videtur, vnum siue sit, siue non sit, tum ipsum, tum etiam alia, & ad sese, atque inuicem omnia omnino sunt atque non sunt,

b *Conclusio siue Vnum ponatur Esse, siue ponatur non Esse, ex æquo tã ad Vnum ipsum quàm ad Alia sequi contraria.*

appa-

apparéntque insuper, & non apparent. Verissima quidem hæc sunt.

PHILEBVS PLATONIS, VEL, DE SVMMO BONO.

Marsilij Ficini Argumentum.

HVIVS *libri propositum est, de summo animæ bono disserere, quod quidē summum bonū, cum conditione quadā dicitur, cùm ipsum rerum omnium principium summum bonum absolutè dicatur. De hoc igitur, quod cum conditione bonum, hoc in libro: de eo quod absolutum, in Parmenide disputatur. Ab absoluto autem hoc manat, quemadmodum lumen quoddam ab ipso luminis totius fonte dependet. Quamobrem in Phædone & Theæteto dictum est à Platone summum animæ bonum Dei similitudinem esse. Nihil verò solis sit simile, nisi quadam luminis ipsius infusione. Unde & animæ bonum erit integra diuini luminis consecutio. Id lumen in mentem primò, in voluntatem deinde descendit. In mente veritas, in voluntate gaudium: in mente ambrosia, in voluntate nectar, à Platone hic & in Phædro cognominantur. Itaque summum hominis bonum in sapientiæ voluptatisque mixtione locauit. Sed antè in sola vel sapientiæ, vel voluptatis ratione beatitudinem consistere posse negauit, ex eo quòd triplex boni summi conditio in neutro reperiatur. Ea est, vt summopere perfectum sit, & sufficiens, & expetendū. Perfectum, quia nihil sibi deest. Sufficiens, quia nihil deest illi quod ipsum capit. Expetendum, quia in illo & ex illo est, quicquid appeti potest. Vnde quia perfectū, sufficiēs:*

quiæ sufficiens, expetendum. Sanè quia sibi sat est, alteri sufficit: quia sufficit alteri, desiderotur ab altero. Hæc neque soli sapientiæ, neque voluptati, sed mixto cuidam ex vtraque competere demonstrantur: vbi de voluptatis & sapientiæ genere, origine, atque natura permulta dicuntur, de infinito & termino, de composito & compositionis principio. Ac demum concluditur summum in natura bonum, & absolutum, esse mensuram vniuersorum, hoc est tertius naturæ principium. Summum verò bonum mentu & animæ esse illius primi possessionem, quæ mixtioni ex sapientiæ & voluptate per veritatem, cõmensurationem, & pulchritudinem conuenit. Quapropter in primo bonorum gradu rerum omniũ mensura ponitur: in secundo veritas, commensuratio, pulchritudo: in tertio mens, sapientiáque: in quarto scientia, ars, & opinio: in quinto temperata voluptas. Beatúsque vir dicitur, qui & sapientiam diuinorum adeptus est, & humanorum peritiam, scientia quadam & arte & opinione constantem, gaudio contemplationis totus exultat, voluptati sensuum eatenus se committit, quatenus sapientia scientiáque & gaudium impedimentum inde nullum accipiunt.

SOCRATES, PROTARCHVS, PHILEBVS.

a *Sententia Philebi voluptatem esse summum bonũ, omniũ animantiũ, ac proinde etiam hominũ.*

VIDE, ô Protarche, quem nunc à Philebo sermonem accepturus sis, & contra quem nostrum, si cubi parum tibi arrideat, pugnaturus. Vísne vtranque sententiam in summam redigamus? PROTARC. Volo equidem. SOCRATES. Philebus quidem inquit, animantibus omnibus bonum esse lætitiam, voluptatem, delectationem, exteráque

que huius generis omnia. Nostra autem aduersus illum disceptatio est, vt non ista quidem, sed sapere, intelligere, meminisse, & quæ hisce cognata, opinio recta, veráque rationis discursus, meliora & potiora sint, qua voluptas omnibus quæcunque horũ capacia sunt, eorúmque adeptio maximè omnium vtilis sit, & præsentibus, & futuris. An non hæc vtriusque sententia Philebe fuit? PHI. Et maximè quidem ô Socrates. SOCR. An susçipis, ô Protarche, eam quæ tibi nunc oblata est disputationem? PRO. Necesse est me illam susçipere, quandoquidem Philebus pulcher ille defessus est. SOCR. Oportet equidem quid in iis verum sit, omni studio definire. PROT. Oportet sanè. SOC. Age igitur præter hæc id insuper asseueremus. PROT. Quidnam. SOCR. Quòd vterque nostrûm habitum quendam & affectionẽ animi, quæ cunctis hominibus vitam exhibere beatam possit, demonstrare conetur. Nónne? PROT. Certe. SOCR. Et vos quidem habitum affectionémque lætandi, nos autem sapiendi. PROT. Sic est. SO. Si quis verò habitus præstantior vtroque horum videatur, idémque voluptati cognatior sit, nónne vtrique superabimur à vita quæ hæc constanter habeat, voluptas autem sapientiam superabit? PROT. Profectò. SOC. Sin autem sapientiæ sit is propinquior, vincet vtique sapientia voluptatem, voluptas contrà succumbet. Num ista conceditis aut quomodo? PROT. Mihi quidem concedenda videntur. SOC. Philebo autem quidnam videtur: quid dicis? PHI. Mihi sanè voluptas præstare videtur, semperque videbitur. Ipse autem videris, ô Protarche. PRO. Quum

a *Oppositæ Philebi sententiæ hæc est, sapere, intelligere, meminisse, esse bonum hominis.*

b *Id quod hominẽ beatum reddit est habitus quidã animi.*

iam nobis Philebe concesseris disputationis officium, haud amplius tibi assentiendi Socrati, vel dissentiendi potestas erit. PHI. Vera dicis. Ego verò [religione me exsoluo,] deámque nunc testificor. PROT. Et nos quoque testes erimus, te ista quæ dicis dixisse. Verùm nos deinceps, ô Socrates, vel volente Philebo, vel prout voluerit, absoluere conemur rem. SOC. Conemur, ab ipsa dea exordientes, quàm hic Venerem nuncupari quidem, sed verissimũ ei nomen esse voluptatis inquit. PROT. Rectè sanè. SOCR. Reuerentia verò mihi semper erga deorum nomina est, non humana quædam, sed maximum quemque timorem exuperans. Et nunc quidem Venerem, quemadmodum ipsi gratum est, eam appello: voluptatem verò rem esse variam scio. Sed ab ea, vt dixi, principium facientes, [a] quam habeat naturam, inuestigare debemus. Rem vnã quidem audimus: formas tamen varias admodũ, & inuicem quodammodo dissimiles habet. Vide enim, delectari dicimus intemperantem hominem. Sed & temperantia temperantem, delectari insipientem insipientibus opinionibus, ac vana spe plenum, sed & sapientia sapientem. quas quidem voluptates si quis similes inter se esse dicat, insipiens meritò videatur. PROT. Hæ quidem, ô Socrates, ex contrariis rebus proueniunt, non sunt tamen ipsæ contrariæ. Qui enim voluptas voluptati rerũ omnium maximè similis non sit, cùm sit eadé ipsa sibi? SOCR. Enimuerò, ô beate, neque color à colore, ex eo quòd color vnusquisque est, differt: at verò nigrum albo præter quàm quòd differt, etiã maximè contrariũ esse nouimus omnes. Quinetiam figura figuræ eadem

genere

[a] *Voluptatis variæ sunt species.*

genere ipso vniuersum est: partes autem generis eius, aut in immensum inter se differūt, aut contrariæ sunt etiam, cæteráque huiusmodi multa reperiemus. Quamobrem noli huic rationi, quæ maximè contraria omnia, vnum efficit, credere. Vereor enim, ne fortè voluptates quasdam inter se contrarias reperiamus. PRO. Fortè, sed quid hoc rationem nostram lædet? SOC. id certè lædet. quòd tu hęc dissimilia cū sint, alio nomine vocas: ais enim suauia omnia bona esse: suauia verò, quin suauia sint, nulla prohibet ratio. Cùm autem ex iis multa mala sint, multa etiam, vt nos quidem dicimus bona: tu tamen omnia bona vocas, etiā dissimilia inuicem confessurus, si quis coēgerit. Quid ergo in cūctis voluptatibus, tam malis quàm bonis, idémque quiddam communiter inuenitur, cuius gratia bonas omnes vocas? PROT. Quid ais, ô Socrates? An putas quēpiā, cum posuerit, voluptatē [ipsum] bonum esse, inde tibi concessurum ac toleraturum te dicentem quasdam bonas, quasdam malas esse? SOC. Veruntamē dissimiles esse multas, plerásque etiam inter se contrarias confiteberis. PRO. Haud sanè in quantū voluptates sunt. SOCR. Rursus in idē relabimur. ô Protarche, dicemúsque voluptatem à voluptate nihil differre, sed omnes consimiles esse: & exēpla in mediū paulò ante induēta nihil mouebunt, ac instar eorum qui inepti & rudes disputationū sunt, contendemus. PROT. Quę ista dicis? SOC. Quia si ipse te imitans ego, repellénsque dicere non verear, quòd dissimillimū omniū dissimillimo simillimū sit, eadem, quæ & tu, dicere potero. Itaque rudiores, quàm par sit, apparebimus.

Et oratio nobis excideret, peractáque iam erit. Rursum igitur eam exordiamur: fortasse enim altius progressi in eandem sententiam concedemus. PROT. Dic quomodo? SOC. Pone me vicissim interrogatum abs te. Protarche. PRO. Quídnam? SOCR. Sapientia, scientia, mens, & quæcunque ego à principio rogatus quid ipsum bonum sit, bona vocabam, nónne idem quod & sermo tuus, patientur? PROT. Qua ratione? SOC. Cunctæ nanque scientiæ multæ videbuntur, earúmque nonnullæ dissimiles inuicem, quòd si quæ etiam cõtrariæ sint, nunquid præsenti disputatione dignus fuero, si hoc ipsum veritus, nullam scientiam scientiæ dissimilem dixerim? Sic tandem sermo noster tanquam fabula euanesceret, nos autem in ruditate quadam seruaremur. At sic fieri minimè decet, vno illo vt seruemur excepto. Mihi igitur & in tua, & in mea oratione ex æquo id placet: vt multæ videlicet voluptates ac dissimiles sint, multæ præterea differentésque scientiæ. Differentiam itaque mei ac tui boni, ô Protarche, minimè abscondentes, sed in lucem potius educentes, feramus, si qui examinantes inquirant, voluptatémne an sapientiam, aut tertium præter ista quiddam bonum vocare fas sit. Nunc enim nequaquam istud contendere debemus, vt quæ ipse pono, aut quæ tu, vincant, sed ei quod verissimum est, faueamus. PRO. Sic oportet.

[a] *Digressio de vno & multis Sophisticis, de vno Metaphysico & de vno & multis Logicis.*

SOCR. [a] Hunc igitur sermonem magis ac magis, mutua confessione stabiliamus. PROT. Quemnã SOC. Illũ videlicet qui omnibus hominibus facessit negotium, & volentibus & inuitis etiam interdum quibusdam. PROT. Dic planius. SOCR. Sermonem qui mox inci-

det

det inquam, natura mirabilem. Multa enim vnum esse, & vnum multa, mirabile dictu. In quo facile est vtrancunque partem defendas, litem mouere. PROT. Nunquid hoc ais, cum quispiam me verbi causa, Protarchum vnum natura genitum asserit, eundem rursus multos dicat? rursus qui me & inter se contrarios, grauem, leuem, magnum, paruũ ponãt, iidem eundem vnúmque hominem ponant, & multa huius generis? SOCR. Tu quidem, ô Protarche, [lex mirabilibus, circa Vnum & Multa, iam peruulgata, & omnibus cognita quædam commemoras,] & quæ, vt ita dicam, omnes consentiunt minimè attingenda esse, cum puerilia sint quædam. & facilia cognitu, ac disputationum quædam impedimenta: nec mirabilia censenda, si quis membra alicuius partésque ratione diuidens vniuersas eas, illud vnum esse confessum, mox refellat, derideátque, quasi monstra fateri coactum, vnum multa scilicet infinitáque esse, multa verò vnum. PROT. Tu verò quænam alia dicis, ô Socrates, quæ nondum concessa circa sermonem eundem diuulgata sint? SOC. Quando quispiam, ô puer, ipsum vnum nihil ex iis quæ oriuntur, & occidunt, ponit, vt paulò antè nos diximus, tunc tale vnum haudquaquam refelli debere concessum est. At quum vnum hominem affirmare conatur, bouem vnum, puichrum vnum, vnúmque bonum, nunc sanè in [his vnitatibus & huiusmodi rebus explicandis multum & perplexum studium diuisísque sententiis varia contentio exístit.] PROTAR. Quo pacto? SOCRAT. Primò quidem vtrum admittendum sit, eiusmodi quasdam vnitates

a *Acceptio vnius & multorum qua Sophistæ vti soliti erant, ad re darguendos imperitos homines.*

verè esse: Deinde quomodo quamlibet earum vnam semper eandémque esse putandum, nec generationem, nec interitum suscipientem, suáque in vnitate firmissimam: Postremò nunquid in rebus genitis, & infinitis quæquè ponenda sit, siue dispersa, multáque ex vna iam facta, siue tota ipsa ab seipsa seorsim, quòd maximè omnium impossibile videatur, vnum idémque simul in vno multisque fieri. Non illa igitur, ô Protarche, sed ista sunt quæ circa vnum & multa, malè concessa omnis difficultatis & dubitationis sunt causa, bene autem examinata, facilitatis. PROTA. Oportet nos, ô Socrates, hoc primùm in præsentia discutere. SOCR. Sic ego quidem iudicarim. PROTA. Hos igitur omnes concedere hæc tibi existima. Sed verò nunc præstat Philebum (non interrogare ne (vt dicitur) quod benè situm & positum est moueamus.) SOCR. Esto. At vnde potissimùm exordiemur, cùm multa & varia in his dubitationibus pugna insit? hincne? PRO. Vndénam? SOCR. Vnum ac multa rationibus idem facta, omnem vbique orationè & quondam & nunc peruagari, quòd vt nunquam futurum non est, ita nunc primùm haud cœpit, sed est, vt mihi quidem videtur, in hoc disputationum genere, Protarche, immortalis quædam & nunquam senescens insita nobis ratio. Eam cum primùm adolescens aliquis gustauit, secum ipse congratulatur, quasi quendam thesaurum sapientiæ nactus, & voluptate plenus exultat, ac furit, omnémque disputationem libenter tentat, tum quidem in alteram partem conuoluens & in vnum commiscens, tum verò explicans iterum, & in

in multa distribuens: vbi certè in dubitationem difficultatémque seipsum primò ac præcipuè deiicit: deinde proximum quemque siue iunior, siue senior, siue æqualis sit, nec patri, nec matri, nec audientium cuiquam parcens, fermè etiam nec aliis animantibus nedum hominibus, quandoquidem & barbarorum nemini parcat, modò interpretē aliquem nanciscatur. PRO. An non vides, ô Socrates, qui astamus, omnes iuuenes nos esse: tum non metuis me vnà cum Philebo, si nos contumelia afficeris, in te impetum faciamus? verūtamē (intelligimus enim quod dicis) si quis modus est, si quę ratio qua perturbatio hæc benignè è disputatione reiici possit, ac via quædam ad sermonē cōmodior reperiri, & ipse meditare & nos pro viribus te præeuntē sequamur. Neque enim parua disputatio præsens est, ô Socrates. SOC. Non certè, ô pueri. Sic enim Philebus vos appellauit. Nulla tamen est via pulchrior, neque esse potest, quàm illa quam semper ego dilexi. At illa me sæpe fugiens, desertū inopémque destituit. PRO. Quę nam ista? dic modò. SOC. Quam ostēdere haud ita difficile est, persequi verò difficillimum. Quæcunque enim per artem adinuenta sunt, hæc in lucem hominibus prodierunt via. Animaduerte quæso, quam dico. PRO. Dic modò. SOC. Donum profectò deorum ad homines, vt mihi videtur, per Prometheum quendam vnà cum quodam lucidissimo igne descendit. Etenim prisci nobis præstantiores disque propinquiores, hæc nobis oracula tradiderunt, quòd cùm ex vno & multis constent vniuersa quæ semper esse dicuntur, terminūq; & infinitū innatum habeant, oportet nos his

ita ordinatis, vnam semper ideam in vnoquolibet generatim ponentes inquirere, & eam insitam inuenturos esse: quam si comprahendamus, post vnam duas, si sint, perscrutari: si minus id pateat, tres, aut alium numerũ quærere, & quodlibet eorum quæ sunt vnum, rursus eodem pacto diuidere, quousq; ipsum principio vnum, non modò quod vnũ, multáque, & infinita sit, verùm etiam quod sit, aliquis noscat: infiniti autem ideam non prius ad multitudinem adhibere, quàm quis numerum omnem inter infinitum, & vnum medium cadentem percepit, tum demum vnum quodlibet omnium abeuntium in infinitum dimittere. Dij ergo, vt diximus, sic nobis inuestigare, discere, & mutuo docere dederunt. Qui verò nunc extant ex hominibus sapientes, vnum quidem ac multa vtcunque contingit; velocius atque tardius, quàm decet, inducunt, & post vnum infinita continuò, media verò illos effugiunt. [a] Quibus disputandi mutua inter nos ratio, tum dialectica, tum etiã litigiosa discreta est. PROTA. Quæ modò dixisti, ô Socrates, partim intelligere mihi videor, partim clarius audire desidero. SOCR. Perspicuè hoc constat in literis, ô Protarche, quod diximus. Itaque in his quas didicisti, id accipe. PROT. Quonã pacto? SOCR. Vox, inquã, ex ore nobis erũpens vna est, & infinitæ rursus voces numero, & cuiusque. PROTA. Quidni? SOC. Neutro tamen horũ docti efficimur, nec quod eius infinitũ, nec iterũ, quod eius vnũ cognoscimus, sed quia & quot, & quales sunt, tenemus: hoc enim vnũquenq; nostrũm grãmaticũ reddit. PROTA. Verissima loqueris.

[a] Quare potissimum discerni possit dialectica, disputatio a contentiosa.

SOC.

SOC. Idé quoque muſicũ hominẽ facit. PRO. Qua ratione? SOC. Vna quodãmodo & in hac arte vox eſt. PRO. Quídni? SOCR. Duo ité ponẽda ſunt, graue & acutũ, & tertiũ tonus medius: nónne ita. PRO. Ita. SO. Verũtamẽ nõdũ doctus muſicen eris, ſi hæc ſola cognoueris, & iſta ignorans, vt ita loquar, nullius eris in muſica pretij. PROT. Nullius. SOCR. Sed poſtquàm ô amice, acceperis quot interualla vocis numero ſunt circa graue atque acutum & qualia, nécnon interuallorũ termini, & quotcunque ex his cõpoſitiones proueniunt. Quæ maiores noſtri conſpicientes nobis eorũ ſectatoribus, vt huiuſmodi quædã harmonias appellaremus, tradiderunt. In motibus præterea geſtibúſque corporis alia quædam talia ineſſe monſtrarunt, quæ numeris demenſa, rhythmos atque menſuras vocari iuſſere: cogitare præterea quòd eadem ratione de vnoquoque quod vnum, & multa eſt conſiderare debemus. Nã quando iſtam ſic accipis, ſapiens tunc euadis. Cùm verò & aliud quicquã ita cõprehendis, ſapiẽs rurſus circa illud efficêreris. [a] infinita autẽ ſingulorũ & in ſingulis multitudo, vagum te incertúmque, & rationis ac numeri reddit expertem, vtpote in nullũ cuiuſque terminũ reſpicientẽ. PROTA. Præclatè hæc, ô Philebe, Socrates mihi dixiſſe videtur. PHIL. Mihi quoque, ſed quid ad rẽ hic ſermo? quídque ſibi vult? SO. Rectè id, ô Protarche, Philebus iſte quæſiuit. PRO. Prorſus. Reſpondé igitur. SO. Faciã quod vultis, vbi de his iiſdẽ pauliſper etiã diſputauero. Vt enim ſi quis vnũ aliquod accipit, is vt diximus, haud mox in infiniti naturam ſed aliquẽ numerũ deſcẽ-

[a] *Infinitum nõ cadit ſub ſcientiam.*

dere debet: ita vicissim, si quis infinitū primò sumere cogitur, nequaquam in vnum continuò, sed in numerum quendam qui multitudinem aliquam habeat, debet intendere, ex omnibúsque tandem in vnum definere. Quòd verò nunc diximus, rursus in literis coniectari licet. PR. Quomodo? SOC. Postquàm infinitam vocem cogitauit, siue Deus aliquis, siue homo diuinus, qualis apud Ægyptios Theuth quidam fuisse fertur, qui primas in ipsa vocis infinitate vocales literas considerauit, quę nō vna, sed plures sunt, rursúsque alias quæ non vocis, sed soni participes essent, atque harum numerum certum similiter definiuit: tertiam deinde speciem literarum distinxit, earum quas nunc mutas vocamus, postremò soni expertes multásque discreuit vsq; singula quędā, vocalésque & medias eodem modo, donec earum numero in singulis speciebus, & in vniuersis reperto, elementa vocauit. Cúmque videret neminem nostrûm, horum quicquā seorsim percepturum, nisi vniuersa percepisset hoc velut vinculum, vnum quiddā existens, & in vnum dispersa redigens meditatus, quā vnā in his esse artē grammaticē animaduertit, eo nomine appellauit. PH. Hæc planius quā supe riora videlicet ipsa inuicē comparata, ô Protarche, comprænendi. Idē tamē & nunc, & superius in hac disputatione desidero.

Theuth apud Ægyptios inuentor & author grāmaticæ artis.

Digressionis superioris applicatio ad præsentē disputationē

SOC. Num ô Philebe, requiris, quid videliget ad sermonē nostrum ista conferant? PHI. Id scilicet quod dudū ego & vnà Protarchus requirebamus. SOC. Nunquid hoc assecuti, requiris tamen iāpridē vt inquis? PHI. Quónam pacto? SOC. An non de sapientia & voluptate nobis ab ipso principio disceptatio fuit? vtrum

ex

ex iis eligendũ? PR. Imò. SO. Etenim vnum esse vtrunque horum diximus. PR. Diximus profectò. SO. [a]Hoc ipsum prior sermo requirit, quomodo vnum, & multa vtrunq; horũ sit, quóue pacto non infinita cõtinuò, sed certum vtrunque horum numerum accepit prius, quã in infinitum porrigatur. PR. Haud sanè in leuem nos quęstionẽ, nescio quo modo Socrates, ô Philebe, circunduxit. Quare age, considera vter nostrûm ad præsentẽ interrogationẽ respondeat. Fortè tamẽ ridiculum est, me disputationis totius successorẽ, ex eo quòd respõdere ad id modò nequeã, rursus hoc ipsum tibi imperare. At ridiculum multo magis esset, neutrum nostrûm id posse. Meditare itaq; quid agamus. species enim voluptatis à nobis exigere Socrates velle videtur, sint, nécne, quótque pręterea, qualésue sint, & de sapiẽtia eadẽ similiter percõtari. SOC. Vera loqueris ô Calliæ fili. Nisi enim id circa quodlibet vnũ, simile, idẽ, & contrariũ, quẽadmodum oratio præcedẽs ostẽdit, obseruare queamus, null⁹ vnquã nostrũ vllius erit ad aliquid pretij. PR. Sic fermè, ô Socrates, se res habere videtur. Ac[b] pręclara quidẽ res sapiẽti viro oĩa nosse. *Secũda verò nauigatio, proximáq; vidẽtur ab eo, seipsum minimè latére. quorsũ autẽ ista nũc dixerim, declarabo. Ipse nobis, ô Socrates, disputationis huius autor extitisti, téq; ipsum[c] ad inuestigandũ quid ex humanis rebus optimũ sit, præbuisti. Nã cũ Philebus voluptatẽ, delectationẽ, lætitiã, & reliqua huius generis, hominibus optima esse assereret, tu illi statim contradixisti, esse non ea, sed illa potius quę sæpenumero in memoriã nobis sponte reducimus, rectè agẽtes, vt in memoriã reducta vtraque discutiantur. Dicis au-

[a] *Diuisio sapiẽtiæ, & voluptatis in suas species postulatur à Protarch.*

[b] *Sapientis est omnia nosse aut si id nõ potest assequi. saltẽ seipsum nosse.*

* Prouerb, δεύτερος πλοῦς.

[c] *Scopus huius disputationis repetitus.*

tem, vt videtur, (quod adiiciendum puto rectè) præstantius voluptate bonum esse, mentem, scientiam, intelligentiam, artem, & reliqua huiuscemodi, & quòd hæc capescere potius quàm illa debeamus. Quæ vtraque cum in dubium vocata sint omnia hæc, quasi ioco minati fuimus, non prius te domum dimissuros quàm huic controuersiæ idoneus finis imponeretur. Tu verò concessisti quidem, téque ipsum ad id exequendum exposuisti. Nos itaque dicimus quod pueri solent, *quæ rectè data sunt, eripi nō licet. Omitte igitur illū disputādi modū nunc quidem. SOCRATES. Quem dicis? PROTARCHVS. Quo dubitationum scrupulos iniicis, éaque interrogas, de quibus respondere tibi nunc nemo nostrum idoneè satis potest. Neque enim bellè finita esse disputatio putanda est, qua perplexos omnes nos reddidisti. Atque si minus id nos valemus, tibi agendum est: pollicitus enim es. Hoc igitur tu consulta, vtrum voluptatis & sapientiæ species distinguendæ, an potius dimittendæ, an alio quodam modo queas velisue, quæ nunc inter nos controuersa sunt, aperire. SOCRAT. Nihil igitur metuendum est mihi quidem amplius, postquàm hæc tu ita dixisti. Nam vbi, si velis, dicitur, omnis qualibet in re formido fugatur, accedit, quod deorum aliquis memoriam nobis aliquā suppeditasse videtur. PR. Quo pacto, & quorum memoriam? SOCR. Quos olim siue somnians, siue vigilans sermones audiui, nunc de voluptate & sapientia cogito, neutram harum esse bonum, sed tertium aliquid, quod aliud est ab vtraque, & ambabus est melius. ídque si nunc nobis liquidò pateat, voluptas à victoria procul aberit: bonum quippe idem quod illa ne-

*Prouerb.

qua-

quaquam erit Siccine? an aliter? PR. Sic vtique. SOCR. Speciebus itaque voluptatis ad diuisionem haud amplius, vt mea fert opinio, indigebimus: quod in sequentibus clarius innotescet. PR. Præclarè loqueris, perge sic obsecro. SOCR. Paucula quædam prius assueueremus. PR. Quænam? SOCR. Ipsius [a]boni conditionē videlicet, perfectum esse an imperfectum necesse sit. PR. Omnium, ô Socrates, perfectissimum. SOCR. Quid verò, sufficiénsne bonum ipsum est? PR. Quidni? & in hoc ipsum ab omnibus quæ sunt, differre necesse est, cunctisque præstare. SOC. Hoc quoque de illo maximè, vt arbitror necessarium est asserere, quòd omne cognoscens idipsum venatur, & appetit apprehendere cupiens, [& circa se habere,] cæterorumque nihil curat, præterquam quæ vnà cum bonis perficiuntur. PR. His repugnari non potest. SOC. Consideremus igitur diiudicemúsque voluptatis & sapientiæ vitā seorsum inspicientes. PR. Quo pacto inquis? SOC. Neque in voluptatis vita sapientia insit, neque in sapientiæ vita voluptas. Oportet enim si quidem [horum duorum alterum primario & per se bonum est, ipsum nulla re alia indigere, sin alterutrum aliqua re indigere comperietur, haud amplius nobis erit bonū.] PR. Non certè. SOC. Num volumus in teipso periculum facere? PR. Prorsus. SOCR. Respondeigitur. PR. Dic. SOC. [b]Optaréne, ô Protarche, plenam summis voluptatibus omnem vitam agere? PR. Quidni optem? SOC. Nunquid alio quopiam indigere te vltrà putares, quando perfecta harū possessione fruereris? PR. Ne quaquam. SOCR. Aduerte itaque, num ipsa sapientia indigeres, & intelligentia, & conue-

[a] *Propria cōsequētia ipsius Boni, quod sit perfectū, sufficiēs, & ab omnibus à quibus cognoscitur sōlum expetatur.*

[b] *Voluptuaria vita nulli hominum est expetenda sine intelligētia & ratiocinatione aliqua.*

nienti ratiocinatione, & aliis quæcunque horum cognata, sed neque visu? PR. Et quid? omnia porrò haberem, si voluptate frueret. SOC. Et ita viuens, per omnem vitam præcipuis voluptatibus abundares. PR. Profectò. SOC. Si mente, memoria, scientia, opinione vera penitus careas, primo quidem hoc ipsum, gaudeásne, an non gaudeas, te ignorare necesse est, cum sis omni sapientia vacuus. PR. Necesse. SOC. Et cùm memoria sis priuatus, haud sanè te aliquando delectatum fuisse recordaberis, nec vlla voluptatis repentè incidentis restabit memoria? & opinione vera carens, dum lætaberis, lætari te minimè opinabere. Ratione quoque captus, quòd in posterum voluptatem aliquam adepturus sis, ratiocinari non poteris. Duces autem non hominis *vitam, sed pulmonis cuiusdam, id est, spongiæ marinæ aut eorum animalium marinorum, quæ conchas habent. Sunt hæc vera? an aliter de his sentire licet? PR. Et quo pacto aliter? SOC. An vita nobis huiusmodi expetenda? PR. Mutum me, ô Socrates, præsens sermo reddidit. SOC. Ne defatigemur hic obsecro, sed iam alteram illam, mentis scilicet vitam in medium adducentes, vlterius consideremus. PR. Qualem inquis? SOC. aVtrum aliquis nostrum viuere eligeret, vt sapientiam, mentem, scientiam, memoriam omnem omnium possideret, voluptate verò nulla penitus frueretur, nec rursus afficeretur molestia, sed sine vllo tali affectu viueret? PR. Neutra ex iis, ô Socrates, vita, aut mihi, aut alteri, vt arbitror, eligenda videtur. SOC. Quid autem, ô Protarche, bvita ex ambobus in vnum congredientibus mixta, & com-

munis

* Vitã viuere pulmonis seu spõgiæ marinæ.

a *Sapientia mẽs scientiæ, & eiusmodi alia sibi non sufficiunt.*

b *Vita ex voluptate & sapientia mixta abomnib. hominib. expetenda.*

munis effecta? PR. Ex voluptate ais, sapientiáque, & mente? SOC. Hanc ipsam dico. PR. Vnusquisque sanè hanc ipsam potius, quàm ex superioribus alterutram eliget: neque vnus optabit quidem, alius minimè, sed idem omnes pariter expetent. SO. Videmúsne igitur quid ex præsenti disputatione sequatur? PR. Prorsus quidem, quòd tres vitæ propositæ sunt: ex duabus neutra sufficiens, aut optanda vel hominibus, vel cæteris animantibus. SOC. An non circa hæc iam id constat, quòd neutra ipsum bonum possidet? etenim perfecta & sufficiens esset, & vniuersis plantis & animantibus exoptanda, quæcunque sic semper viuere possent. Si quis verò ex nobis alia eligat, præter naturam eius quod reuera eligendum est, eliget, neque id sponte, sed ex ignorantia, vel infelici quadam necessitate. PR. Hæc ita se habere videntur. SO. Quòd ergo Philebi deam haud idem quod ipsum bonum existimare oporteat, satis iam dictum esse videtur. PH. Sed neque etiam tua mens ipsum bonũ est, ô Socrates, iisdem enim reprehensionibus est obnoxia. SO. Forsitan, ô Philebe, mea non tamen verã diuinámque mentem sic arbitror, sed aliter sese habere. Equidem quòd primas in ista communi vita mens obtineat, non cõtendo ego quidé. a De secundis verò videndum est, quid faciemus, fortè enim cõmunis vitæ causam alter nostrũm mentẽ, alter voluptatem afferat, atq; ita bonum ipsum neutrum erit istorũ: forte verò alterutrum horum causam esse quispiã censebit. Quo magis ergo cõtra Philebum decertatim, quòd hac in promiscua vita quicquid illud deniq; sit quod à vita susceptũ expetendã ipsam bonámq; reddit, ei mẽs ipsa, quam

a *Excluſis à principatu boni vel optate & ſapientia, inter ipſas de ſecũdis contentio inſtituitur.*

voluptas cognatior est,& similior. Atque ex hac ratione voluptas nec primas, nec secundas etiam partes reuera tenebit: longius autem aberit à tertia sorte, si qua meæ menti fides nunc est à nobis adhibenda. PR. Atqui, ô Socrates, voluptas iam prostrata videtur quasi rationibus tuis perculsa: nam & de victoria decertans,iacet. De mente verò vt videtur dicendum, quòd non sapienter sibi victoriam vendicaret. Ea quippe pateretur.voluptas autem secunda sorte priuata, omnino iam à suis amatoribus contemnetur:neque enim æquè pulchra vlterius apparebit. SOCR. Quid igitur? nónne dimittere illam præstat, nec exquisita examinatione,redargutionéque dolore afficere? PR. Nihil ais,ô Socrates. SOC. An quia impossibile quiddam protuli, dolore affici voluptatem? PR. Non ob hoc tantùm, verùm etiam quod ignoras neminem nostrũ prius te dimissurum,quàm ad horum finem ratione deueneris.

SOCR. O longam Protarche orationem futuram,imò verò neque facilem,propemodũ nunc. Videtur enim aliis quibusdam instrumentis, quasi telis præter rationes superiores opus esse,si quis palmam menti secundam cõparaturus accedat. fortasse verò & hæc habemus. Igitur oportet? PR. Quidni? SOCR. Principium itaque huius ponentes cautè & distinctè occupemus. PR. Quale principium dicis? SOCR. Omnia quæ nunc in vniuerso sunt, bifariam distinguamus. Imò si vis trifariam. PR. Quónam pacto? SOC. Accipiamus nonnulla ex iis quæ nunc à nobis sunt dicta. PR. Quænam? SOC. Deum dicebamus ex iis quę sunt,alterum quidem infinitum,alterum verò ter-

a Omnia quæ sunt in quatuor genera diuiduntur. Infinitũ,terminũ,mixtũ ex vtroque, & causam ipsam mixtionis.

terminum feciſſe. PR. Omnino quidem. SOC. Has itaque ſpecies duo illa ponamus: tertium verò, vnum ex vtriuſque commixtum. Ridiculus tamen videor admodum, dum per ſpecies diuidere, atque dinumerare iſta contendo. PR. Quid ais ô bone vir? SOCR. Quarto adhuc genere opus eſſe conſtat. PR. Quónam? SOCR. Cauſam mutuæ commixtionis iſtorũ conſidera, eámque præter tria illa quartum ponito. PR. Nunquid & quinto inſuper indigebis aliquo diſcernente? SOCRAT. Fortè: non tamen in præſentia, vt arbitror. Sin autem opus fuerit, ignoſces mihi quintam vitam ſectanti. PR. Quid obſtat? SOC. Principio igitur, quatuor horum tria illa diuidentes, atque vtrunque duorum in multa diffiſſum diuulſumque videntes, mox in vnum rurſus vtrunque coniungentes, perſpicere conemur, quatenus vtrunque horum, vel vnum, vel multa ſit. PR. Hæc mihi ſi planius dixeris, aſſequar fortè. SOC. Duo profectò quæ propoſita ſunt dico, finitum dico, & infinitum. quòd autem infinitum multa quodammodo ſit, conabor oſtendere: finitum verò in poſterum differatur. PR. Differatur. SOCR. Attende igitur: arduum nanque atque maximè controuerſum eſt, quod conſiderare te iubeo. Attamen animaduerte. a Primum autem circa, calidius, frigidiúſque conſidera, vtrùm terminum aliquẽ in eis inueniasan potius magis ac minus dum in ipſis generibus inſunt, finem reiiciant: ſine nanque adhibito, ipſa etiam finirentur. PRO. Veriſſima loqueris. SOC. At verò ſemper in ſeipſo calidiori & frigidiori magis ac minus eſſe fatemur. PR. Maximè. SOCR. Semper ergo nobis hæc ratio monſtrat ab iis finem

a *Quid per Infinitũ intelligatur, exẽplo declaratur.*

abesse: cúmque sine fine sint, omnino infinita sunto. PR. Prorsus ô Socrates. SOC. Euge amice Protarche, iatellexisti atque aduertisti nũc quod hoc ipsum vehementer quod modò pronuntiasti, & ipsum quoque quod leniter dicitur, eandem vim habent quam ipsum magis ipsúmve minus. Vbicunque enim adsunt, non sinunt esse quantum vnumquodque, sed semper vehementius remissiore, & vicissim vehementiore remissius omnibus actionibus inferentia, plus ac minus efficiunt: quantum verò semper delent. Quod enim nunc dictum est, si nõ deleret quantum, sed relinqueret ipsum & mensuram in sede ipsius magis, & minus, & vehementer, & remisse innasci: abiret hæc ex sua regione, in qua inerant. Neque enim calidius & frigidius iam amplius fit, si recipit quantum. Diffugiet enim, nec vltrà consistet calidius ipsum, & frigidius: quantum verò, stat, progredique cessat. Quamobrẽ hac ratione calidius, & frigidius infinita iam esse constat. PR. Sic apparet ô Socrates: veruntamen vt ipse dixisti, haud facilè ista percipi possunt. Forte verò deinceps iterum repetita, interrogante pariter & respondente consentire inuicè declarabunt. SOCR. Bene dicis, atque ita pro viribus agendũ est, sed intuere primũ, nũ id signũ ponamus infinitæ naturæ, ne singula transcurrentes orationẽ in longũ nimiũ protrahamus. PR. Quódnã dicis? SOC. [a]Quæcunque magis ac minus, vehementer atque remisse, nimísque & huiusmodi quædã admittunt, cuncta in vnũ infiniti genus reducenda sunt, quẽadmodũ suprà diximus, asserentes omnia quæ diuidua dispertíque sunt, in vnum oportere colligi, secundúque vim vnã, velut vnam

[a] *Quo signo dignoscenda sint ea quæ ad Infiniti genus reuocanda sunt.*

vnam quandá naturã ſignari. Meminiſtíne? PR. Memini. SOCR. [a]Quæ verò talia quædam minimè, ſed horum contraria accipiunt omnia, primò quidem æquale ipſum atque æqualitatem, pòſt æquale & duplum, & ſingulas inde proportiones quaſcunque ad numerum numerus, & ad menſuram menſura habet, hæc inquam omnia in genus finiti referentes, reſténe faceremus? Quid ais ad hæc? PR. Præclarè ô Socrates. SOC. Age Tertium autem ex vtriſque commixtum, quam ideam habere dicemus? PR. Id mihi tu dices, vt arbitror. SOC. Imò Deus, ſi modò quis Deus meas preces propitius exáudiat. PR. Precare igitur, & contemplare. SOC. Contemplor ſanè. Ac mihi videtur deorum aliquis nobis amicè nunc aſpiraſſe. PR. Quo pacto id ais? & qua coniectura vteris? SOC. Dicam planè, tu verò attentis auribus adſta. PR. Dic modo. SOC. Calidiúſne aliquid nunc, & frigidius dicebamus? PR. Certè. SOC. Adde præterea ſiccius & humidius, plus ac minus, velocius atque tardius, maius & minus: ac denique quotcunque in ſuperioribus ad naturam vnam magis minúſue ſuſcipientẽ redegimus. PR. An infiniti naturam inquis? SOC. Etiam. in eam autem commiſce poſthac progeniem illam termini. PR. Quam? SOC. Eam quam cum deceret in vnum colligere, quemadmodum illam infiniti collegeramus, nondũ collegimus: at fortè nunc idem ages: his quippe vtriſque coactis, illa tertia continuò patefiet. PRO. Quam dicis & quomodo? SOCR. Æqualis, & dupli progeniem, & quęcunque di uerſa quæ ſunt, contraria infeſtáque eſſe non finit, ſed commenſurata, & conſona reddens, numerum efficit. PROT. Intelligo. dicere

[a] *Quo ité ſigno cognoſcũtur, quæ ad finiti genus reuocantur.*

nanque mihi videtis, si ista miscentur, generationes quasdam ex eorum singulis euenturas. SOCR. Et rectè videor. PR. Dic igitur. SO. aNónne in morbis recta horum communio sanitatis naturam genuit? PR. Omnino. SOCR. In acuto autem etiam & graui, veloci & tardo, cùm infinita sint, hæc & terminum peperit, & perfectionem totius musicæ præstitit. PR. Præclarè. SOCR. Quinetiam rigori & æstui tradita, id quod multum, & infinitum dicitur, abstulit, mensuratum autem & commensuratum effecit. PR. Quidni? SOCR. Ex iis temperies anni, & quæcunque pulchra sunt, cuncta manarunt, infinitis inuicem finitisque coeuntibus. PR. Certè. SOCR. Atque alia insuper innumerabilia prætermitto, veluti cũ sanitate pulchritudinem atque robur. In animis quoque alia permulta atque præclara: petulantiam quippe, & vniuersam improbitatem dea hæc animaduertens ô bone Philebe, omni termino voluptatum expletionisque carere, legem & ordinem quibus terminus inest, iis apposuit, eámque tu sic perdi, ego cõtrà seruari dico: tibi verò Protarche, quidnam videtur. PR. Hæc prorsus secundum meam sententiam sunt allata. SOCR. Nónne tria hæc iam protuli, modò intelligas? PR. At intelligere arbitror. Vnũ quidem infinitum asserere mihi videris. Secundum verò eorum quæ sunt terminum. At tertium illud quid dicere velis, haud satis teneo. SOCRAT. Multitudo, ô mirifice vir, generationis eius tertiũ quod est, te stupefecit: quanquam & infinitũ multa genera continebat, quæ tamen genera ipsius magis minúsue signata, vnum apparuerunt. PR. Vera narras. SOCR. Veruntamen neque

a *Ex utroq; hoc est infinito & finito mixta, hæc sunt Sanitas, tẽperies aëris, harmonia in sonis, Pulchritudo item & Robur corporũ, mediocresvoluptates.*

neque terminus multa continebat, nec indignabamur, quasi non esset vnum natura. PR. Quo enim modo? SO. Nullo modo. Sed tertiũ scito me dicere vnum hoc quodcunque ex iis nascitur, generationem videlicet in essentiam ex mensuris vnà cum termino constitutis. PR. Intellexi. SO. Cæterùm quid præter hæc tria, quartum genus sit, discutiendũ restat. Communis autẽ ista disceptatio est. Vide enim an non necessarium tibi videtur, [a] quodcunque gignitur, per aliquã causam gigni. PR. Mihi planè. Quomodo enim absque ea fieret? SOC. Et efficientis natura nomine duntaxat à causa differt, efficiénsque & causa vnum rectè vocabuntur. PR. Rectè. SO. Quinetiã quod efficitur, atque gignitur solo nomine discrepabunt. PR. Certè. SO. Præcedit quidẽ atque ducit natura semper quod efficiens est? quod verò factum est ab eo genitúmque, ipsum sequitur. PR. Prorsus. SO. Non ergo idem sed aliud est causa, & quod ad generationem causæ seruit. PR. Quid prohibet? SO. An nõ genita ipsa, & ex quibus gignuntur omnia, tria nobis genera præbuerũt? PR. Maximè. SO. Omnium autẽ istorum opificem quartum ponimus, causámque vocamus, vtpote aliud quiddã quàm illa ad sufficiéntiã demonstratum. PR. Ponimus absque dubio. SO. Verùm iam decet, cùm quatuor discreta sint, quo melius singulorũ memineri mus, singulatim illa dinumerare. PRO. Vtique. SOC. Primum igitur, infinitum dico: secundum terminum: tertium, mixtam ex iis genitámque essentiam: postremum mixtionis generationisque causam, si quartum vocem, nunquid errarem? PROT. Nullo pacto. SO. [b] Agedum verò, quæ nobis deinde oratio

[a] *Quid sit causa, quæ quartum genus rerũ omnium constituebat.*

[b] *Applicatio superioris diuisionis ad propositam quæstionem.*

est? & quid potissimùm inquirentes, huc digressi sumus? nónne id erat? Quærebamus nempe vtri secundæ tribuerentur, voluptatine, an sapientiæ potius. An non ita? PR. Ita certè. SO. Postquam ista in hunc modum distinximus, nónne melius iudicabimus cui prima, cuiue secunda victoriæ palma danda sit, ex iis quæ suprà in certamen venerunt? PR. Forte. SO. [a] Victricem sanè possimus, vitam ex voluptate & sapientia mixtam. PR. Imò. SO. Qualis sit, & cuius generis hæc vita, quodammodo cernimus. PR. Cernimus. SO. Pars nempe tertii generis. Neque enim ex duobus quibusdam mixtum illud est, sed ex infinitis omnibus termino deuinctis. Quapropter meritò victrix hæc vita illius pars erit. PR. Et rectè admodum. SO. Eia Philebe, dulcis illa tua ac simplex vita, ad quod prædictorum genus pertinere iure putabitur? Sic autem mihi prius quàm ea de re statuas, respondè. PH. Dic modò. SOC. [b] Voluptas ac dolor terminum habent, an potius ex eorum genere sunt, quæ magis minúsue suscipiunt? PH. Ita ex iis quæ magis ô Socrates: neque enim voluptas omne bonum esset, nisi suapte natura, & secundum multitudinem & secundum id quod magis infinita existeret. SOC. At neque etiam dolor, ô Philebe, omne malum: quamobrem aliud quiddam nunc considerare debemus, quàm infiniti naturam, quod voluptatibus partem boni aliquam præbeat. Enimuerò ex iis indeterminatis vita illa tua sit. Sapientiam autem, scientiámque & mentem, ad vtrum eorum quæ diximus potius, ô Protarche atque Philebe, referemus, ne in pietatem à nobis peccetur?

[a] *Vita mixta ex voluptate cum sapientia, ex quatuor modò propositis generib. ad tertium est referenda.*

[b] *Voluptas & dolor in genere infiniti collocãda.*

tur? haud enim mediocre periculum est re-
tè secúsue quod modò quæsitum est, explicu-
isse. PH. Deum, ô Socrates, tuum extollis.
SOC. Et tu ô amice, deam tuam. Verum ad id
quod quæsitum est, redeundum. PR. Probè
loquitur Socrates, ô Philebe. Eíque est parē-
dum. PH. An non ô Protarche pro me dictu-
rum te promisisti? PR. Maximè. Nunc au-
tem propemodum hæsito, téque vt esse no-
bis ô Socrates, vates, velis, obsecro, nequid
nos tibi circa certatoré abertrantes, [incōcin-
nè dicamus.] PH. Parendum Protarche, nihil
enim difficile inbes SOC. Equidem mentem
& scientiam vt Philebus inquit, extollens io-
cando te turbaui, interrogans cuiúsnam ge-
neris est net. PR. Maximè quidem ô Socra-
tes. SOC. Facilè tamen: omnes siquidem
sapientes in eo consentiunt, hoc pacto sese
commendantes, intellectum esse cœli terræ-
que nobis regem, ac fortè rectè loquuntur.
quod si vis hoc genus diffusius examinemus.
PR. Dic arbitratu tuo, ô Socrates, nihil proli-
xitatem veritus. neque enim molestus eris.
SOC. Præclarè loqueris: hinc igitur interro-
gantes, exordiamur. PR. Vnde? SOC. Vtrum
ô Protarche, dicendum est vniuersum hoc a
gi ab irrationali quadā temerariáq;, & fortui
ta potestate? An cōtrà, quemadmodū maiores
nostri senserūt, ordine quodam mentis, & la-
pientiæ mirabilis gubernari? PR. Nihil istō-
rum, ô admirande Socrates. Nam quod mo-
dò dicebas prophanū mihi videtur fateri au-
tem mente omnia hæc exornari, sententia quæ-
dam specie mundi solisq; & lunę cæterorūm-
que siderum, & omnis denique cœlestis
circuitus digna est, nec ego vnquam

a *Mens ad quartum genus, quod erat causa efficiens rejerenda.*

b *Mens diuina, quæ nihil aliud est quam Deus cœli & terræ Rex, cuius nutu & arbitrio, non irrā casuali, temeraria aut fortuita potestate mundus regitur.*

de iis aliter loqui, aut sentire ausim. SOCR. Visne igitur quod à priscis assertum est, nos item confiteamur? hæc videlicet ita sese habere, nec modò putemus [aliorũ sententias laudabiles nimirum, sine periculo proferendas esse] verumetiam vnà cum ipsarum authoribus vituperationis periculũ subeamus, siquãdo aliquis potens ac vehemens aduersarius, ista non sic, sed sine ordine ferri contenderit? PR. Quidni velim? SOC. Age igitur, eum qui nobis nunc hac de re sequitur, sermonem cõtemplare. PR. Dic modò. SO. Quæ circa corpora viuentium sunt, ignem, aquam, spiritum, atque terram in compositione inesse conspicimus, vt vulgò dicere solent qui tempestate iactantur. PR. Et maximè quidẽ: in his enim sermonibus reuera propter ambiguitatem iactamur. SO. Ergo de vno quoque eorũ quæ circa nos sunt, id accipe. PR. Quidnam? SO. Quod vnumquodque horũ apud nos exiguum ac vile, nec vllo modo syncerum, & integrum, nec vim natura sua dignam ferẽs: quod quidem in vno animaduertens, de reliquis omnibus existimato. Velut ignis, est quidem apud nos, est etiam in vniuerso. PR. Est. SOC. Nónne ignis, hic noster exiguus, imbecillus, & vilis, sed qui in vniuerso ineſt, quantitate mirandus & pulchritudine, & omni quæ ad ignem pertinet, potestate: PR. Vera nimirum loqueris. SOC. An verò fit, alitur, ducitur ab igni nostro mundi totius ignis, vel contrà, & meus & tuus, & animantium reliquorũ omnis ab illo? PR. Hæc responsione digna non sunt. SOC. Rectè. Eadem quoque de animalium ac mundi terra opinor, diceres, & de aliis omnibus quæ paulò suprà quæsiuimus, simili-

similiter respondes? PR. Quisnam respondes aliter, sanæ mentis æstimetur? SOC. Nemo forsitan, sed iam ad reliqua. Omnia quippe nunc dicta in vnum composita contuentes, corpus appellamus. PR. Quidni? SO. Idem quoque de hoc, quem mundum dicimus, accipe. Eadem siquidem ratione corpus est, ex eisdem compositum. PR. Rectissimè loqueris. SO. Vtrùm ex hoc corpore nostrũ corpus omnino, vel contrà ex nostro ipsum nutritur, & quæcunque paulò antè memorauimus, suscepit & habet? PR. Neque hoc etiam alterum, ô Socrates, responsione dignum est. SO. Sed alterum? éstne dignum an non? PR. Dic quod? SO. Nostrum corpus animam habere fatebimur? PR. Constat. SO. Vndénam, ô amice Protarche, suscepit, nisi vniuersi corpus, quod eadem quæ & nostrum ac etiam præstantiora continet, animam habeat? PR. Constat. Aliunde nequaquam. SO. Neque enim existimandum, ô Protarche, quatuor illa, terminum, infinitum, mixtum, & causæ genus in iis quartum cunctis existens, quod iis quidem quæ apud nos sunt, animam præbet, corpúsque inflat vmbræ efficit, labefactóque corpore, remedia parat, & in aliis alia constituit atque restituit, atque omnem omnis generis sapientiam vocitari, cúmque eadem hæc vniuerso cœlo eiúsque partibus amplioribus insint, quæ puriores præstantioréque existunt, in eis tamen præclarissimorum pretiosissimorúmque naturam minimè reperiri? PR. Nullam profectò rationem id haberet. SOC. Quamobrem rationem illam vltetius prosequentes melius dicemus, vt sæpe-

* Leg. etiam σωματικὴν ἐμπειρίαν, quod significat, corporis exercitationem constituit.

numero diximus, infinitum prorsus in hoc vniuerso consistere, sufficientémque terminum causámque illis haud ignobilem semper adesse ornantem, disponentémque horas & menses & annos, mentem & sapientiam meritò nuncupatam. PR. Meritò. SO. Sapientia verò atque mens, absque anima nunquam sunt. PR. Nunquam certè. SO. Ergo in Iouis ipsius natura regiam animam, regiámque mentem inesse propter vim causæ confitebemur, & in aliis item alia pulchra, vt illorum cuique dici placet. PR. Maximè. SO. Præcedentem, ô Protarche, sermonem nequaquam temerè inductum putes: eorum enim quæ olim mentem omni modo præsidere ostenderunt, sententiam adiuuat. PR. Sanè. SOC. Meæ verò petitioni responsum porrigit, quòd a mens est progenies quædam eius causæ, quæ causa dicitur omnium, quæque est ex quatuor his quæ sunt commemorata, vnum quiddam: habes iam igitur expositionem nostram. PR. Habeo, & sufficienter quidem. quanquam cùm antea idem respondens, non intellexi. SO. b Remissio quædam * studii, ô Protarche, sæpenumero iocus est. PR. Præclarè loqueris. SOC. Nunc igitur, ô amice, in quo genere sit, quámue habeat vim, satis propemodum monstratum est. PR. Omnino. SO. Quinetiam similiter voluptatis genus iampridem patuit. PR. Nimirum. SO. Reminiscamur iam & horum circa vtraque, quòd mens quidem causæ cognata, eiusdémque cum illa generis ferme erat: voluptas autem infinita, eiúsque generis quod nec principium, nec medium, nec finem in seipso suapte natura continet, aut aliquando con-

a *Mens nostra est progenies mentis vniuersi, & est causa eorum, quæ in nobis ordinata & temperata sunt ex infinito & termino.*

b *locus sæpenumero remissio studij est.*

* i. rei seriæ.

do continebit. PR. Quídni reminiſcamur? SOC. Oportet itaque poſthac in quo horum vtrunque conſiſtit, & propter quam affectionem fit quoties fit, aduertere. Vtque voluptatis primò genus ipſum inueſtigauimus, ſic & iſta circa illam primò nunc inquiremus. Seorſum tamen à dolore voluptatem ſufficienter examinare non poſſumus. PR. Si hàc gradiendum eſt, hàc vtique gradiamur. SOC. Num igitur idem tibi quod mihi de horum generatione videtur? PR. Quid iſtud? SOC. Communi eodémque in * genere ſecúdum naturam dolor & voluptas eſſe videntur. PR. Hoc commune genus, amice Socrates, reducit nobis in memoriam, quídnam ex iis quæ ſuprà diſtincta ſunt, intelligi velis. SO. Pro viribus, ô mirifice vir, id agam. PR. Benè inquis. SOC. [a]Commune igitur intelligamus, quod ex quatuor tertium numerauimus. PR. An quod poſt infinitũ finitúmque locaſti, in quo ſanitatẽ & harmoniã, vt arbitror, colloca ſti? SO. Rectè dicis, ſed nũc maximè mẽtẽ adhibe. PR. Dic igitur. SO. Harmonia ſoluta in animãtib. vnà naturæ ſolutionẽ generationẽq; dolorũ eo in tẽpore fieri dico. PR. Cõſẽtaneũ. SOC. Rurſus harmonia contẽperata, & in ſui naturã protinus reſtituta voluptatẽ fieri dicẽdũ eſt, ſi modò res maximæ verbis paucis cõcludẽdæ ſunt. PR. Reor equidẽ te rectè, ô Socrates dicere: clarius tamẽ exprimere eadẽ admitẽdũ. SO. An nõ vulgaria, & notiſſima cognitu facilia ſũt? PR. Quænam iſta? SO. Fames quidẽ ſolutio eſt, atq; moleſtia. PR. Eſt. SOC. Comeſtio verò repletio atq; voluptas. PR. Ita. SO. Sitis iterũ corruptio ſolutióq; et dolor. Vis ũt humore quod arefactũ eſt reficiés voluptas

* Genus hic accipe pro ſubiecto.

a *Subiectũ commune voluptatis & doloris declaratur, ſimulque quomodo vtrũque fiat.*

est. Discretio insuper, & dissolutio præter naturã æstu quodam effecta molestia. At secundum naturam restitutio refrigeratióque voluptas. PR. Prorsus. SOC. Concretio quoque humoris præter animalis naturã frigore facta, dolor. Cõtrà humido liquescẽte, & in sniã redeunte naturam, reditus iste voluptas. Ac summatim considera, nũ tolerãda tibi hæc oratio videatur. a Quoties corrumpitur animata species ex infinito & termino secundũ naturã, vt in superioribus diximus, genita, eiusmodi corruptio dolor est. Cùm verò hæc in essentiam suã refluunt, regressum hunc dicimus voluptatem. PR. Esto. Videtur enim hoc mihi admodum verisimile. SOC. Hanc vnã itaque voluptatis, & doloris specié in iis passionibus vtrisque ponamus. PR. Ponatur. SOC. Pone b deinceps in anima expectationem harum passionum. Expectationem inquam quæ voluptaria antecedit, sperantem, gaudentem, atque securam: quæ verò molesta, formidolosam ac mœstam. PR. Est igitur hæc voluptatis & doloris species alia, seorsum à corpore ex solius animæ expectatione profecta. SOC. Rectè accepisti. In iis vtique, vt mea fert opinio, vtrisque synceris existentibus, nec mixtis, voluptate videlicet atque dolore, liquidò discernemus nũm voluptatis c vniuersum genus amandum sit, an hoc potius alteri cuiquã ex antè dictis attribuendũ: voluptati verò atque dolori, ceu calido, & frigido, cæterisque talibus, competat vt interdum amanda sint, aliàs non amanda: vtpote quæ bona minimè sint, sed quandoque [& aliqua ipsorum boni naturam recipiunt.] PR. Rectè ais, oportere sic incedere qui talia perscrutatur. SOC. Primùm igitur

a *Corporea voluptatis & doloris definitio.*

b *Voluptas animi quadam in expectatione boni futuri posita, cõtrà dolor quidã positus in expectatione mali.*

c *Bona, sed aliquando, & aliquæ ipsius speciesrecipiũt boni naturã.*

igitur id inſpiciamus: ſi verum eſt quod dicebatur, peremptis illis dolorem, ſaluis, voluptatem ſequi: quum neque intereunt, neque eam conſeruantur, quam potiſſimùm habitudinem tunc ſingulis animalibus tribuere debeamus. Intentus itaque animo mihi reſpondé, num tibi neceſſarium videatur quodlibet animal eo ipſo in tempore nullo modo vel lætari vel angi. PR. Neceſſarium certè. SO. Eſt [a] ergo ſtatus hic tertius præter mœrentis & gaudentis affectum. PROT. Eſt Profectò. SOC. Agedum huius meminiſſe conare: [nam ad quæſtionem de voluptate diiudicandam, huius meminiſſe vel minimè, multum refert] breuibus tamen aliquid de ipſa ſi vis perſtringamus. PR. Dicas ergo, quid iſtud? SOC. [b] Eum qui contemplationis vitam eligit, nihil ità viuere prohibet. PROT. Seorſum à lætitia, & moleſtia dicis? SOC. Dictum enim in cuiuſque vitæ comparatione virum contemplationi deditum nihil vlla ex parte vel gaudere vel angi. PR. Omnino ſic dictum. SOC. Nónne ſic illi conuenit? Ac fortè nil mirum eſſet, ſi vita hæc cæterarum omnium diuiniſſima ſit. PR. An abſurdum eſt [c] Deos gaudere vel contrà triſtari? SOC. Abſurdũ omnino. Indecens enim vtrunque eſt. At hoc deinceps inueſtigemus, ſiquid ad hanc diſputationem conferat: ac menti ad ſecundas victoriæ partes, ſi minus ad primas licet, accõmodemus. PR. Rectè loqueris. SOC. Atqui alia ſpecies voluptatum, quã animæ propriã aſſignauimus, omnis memoria conſtat. PR. Quo pacto? SOC. Primùm quid memoria ſit accipiendum videtur, quinetiam fortaſſe [ante memoriam, quid ſit ſenſus,] ſi planius hæc elucidari velimus.

[a] *Medius ſtatus inter voluptatem & dolorem, quum neque gaudemus, neque dolemus.*

[b] *Tertius ille & medius ſtatus contemplationẽ & vitam deorũ comitatur.*

[c] *Deus nec voluptate nec dolore afficitur.*

[a] *Quid sit sensus voluptatu & quo modo fiat.*

PRO. Quo pacto inquis? SOC. [a] Pone ex omnibus corporis passionibus quasdam in corpore prius extinctas, quàm in animam transfluant, passione vacuam dimittentes: alias per vtrunque diffusas & quandam quasi concussionem, tam propriam, quàm communem vtrique patiter inferentes. PROT. Ponantur. SOC. [b] Et passiones per vtrunque minimè propagatas si latere dixerimus animam, & per vtrunque manantes innotescere animæ, an rectè dicemus? PROT. Certè. SOC. Ipsam ergo latere nullo modo, vt dico, obliuionis generationem esse existimes. Est enim obliuio memoriæ exitus. Ea verò in iis quæ modò dicebantur, nondum erat. Eius autem quod nec est, nec fuit, iacturam fieri aliquam absurdum. PROT. Absurdum. SOC. Nomina ergo duntaxat permuta. PROT. Quomodo? SOC. Pro eo quòd latere animam diximus, quando absque passione corporei tumultus existit, quã nunc obliuionem vocare videris, * insensibilitatem, vel vacuitatem sensus, potius nominato. PROT. Teneo. SOC. Motum autem in cõmuni corporis & animæ passione factũ si sensum vocaueris, haud ab re nominabis. PROT. Vera loqueris. SOC. An non percipimus iam quid sensum vocari velimus? PRO. Percipimus. SOC. Sensus præterea conseruationem rectè quis memoriam mea sententia nuncupabit. PROT. Rectè nimirum. SOC. [c] Et à memoria reminiscentiã discrepare fatemur, necne? PROT. Fortè. SOC. An non in hoc præcipuè? PROT. Quónam? SOC. Quoties quæ cum corpore passa est aliquando anima, eadem sine corpore in seipsa resumens animaduerit, tunc meminisse eam asserimus, an non?

[b] *Quomodo item fiat voluptatis percepta memoria.*

* ἀναισθησία.

[c] *Memoria à reminiscẽtia quomodo discrepet.*

non? PROT. Valde quidem. SOC. Quinetiam quando memoriæ passa iacturam, deinde vel sensu, vel disciplina monente eam iterum recepit in seipsa, reminiscí putatur. Atque hæc omnia memorias reminiscentiásque vocamus. PR. Probè loqueris. SOC. Cuius autem gratia hæc dicta sunt omnia, hoc est. PR. Quídnam? SOC. Ne animæ voluptatem sine corpore quàm maximè atque perspicuè capiamus, simul & cupiditate. per hæc enim vtraque ista declarata videntur. PR. Pergamus iam ad reliqua, Socrates. SOC. Multa vt videtur, considerare decet, [a] voluptatis originem omnémque formam eius inuestigantes. [b] Et nunc quidem primò videndum quid est, & vbi nascitur cupiditas. PRO. Videamus iam obsecro. Nihil enim amittemus. SOC. Imò, ô Protarche, cùm quod modò quærebamus, inuenerimus, amittemus aliquid circa ista, videlicet de hisce rebus dubitationem. PR. Quàm bellè retorsisti. at iam quæ sequuntur expediamus. SOC. Nónne famem atque sitim, & huiusmodi multa, cupiditates quasdam esse diximus? PRO. Maximè. SOC. Ad quidnam idem respicientes res adeò diuersas vno nomine nuncupamus? PRO. Per Iouem haud facilè dictu, ô Socrates. dicendum tamen. SOC. Ab eisdem rursus exordiamur. PRO. Quibus? SOC. Dicimúsne sitire aliquem? PRO. Dicimus. SOC. Hoc autem est vacuum esse? PR. Quídni? SO. Et sitis cupiscentia est? PROT. Est. SOC. Potionisne? PROT. Potionis. SOC. An non repletionis potus? PROT. Huius certè. SOC. Vacuus igitur & exhaustus cõtraria eorum quæ patitur, appetit. Nam cum vacuus sit, impleri cupit.

[a] *Voluptatis origo.*

[b] *Quid est et vbi nascitur cupiditas.*

PRO. Manifestum est. SOC. Quid ergo? qui primò vacuus est, num potest vel sensu vel memoria quadã eius repletionem attingere, quod nec præsenti nec vnquam præterito in tempore, passus est? PR. Nullo modo. SOC. Sed eum qui cupit, aliquid cupere confiremur. PROT. Quidnis? SOC. Haud ergo quod patitur appetit. Sitit enim. sitis autem vacuitas est, is autẽ repletionem affectat. PR. Ita. SOC. Aliquid igitur eius quod appetit, expletionem attinget. PR. Necesse. SO. Corpus quidem nequit: nam exhaustum est. PR. Certè. SOC. [a] Restat vt anima expletionem per memoriam consequatur. PR. Patet. SOC. Nam quo alio consequeretur? PROT. Nullo fermè. SOC. An aduertimus quid nobis ex his rationibus efficiatur? PROT. Quid istud? SOC. Corporis cupiditatem esse ratio hæc non dictat. PROT. Quo pacto? SOC. Quoniam in omni animali, conatum animantis passionibus contrarium cupiditas ostendit. PROT. Penitus. SOC. Impetus autem in contraria quàm passiones trahens memoriam contrariam passionibus innuit. PROT. Omnino. SO. Ratio itaque ostendens memoriam ad concupita rapientem, animæ, omnem impetum, & cupidinem, principatúmque omnis viuentis tribuit. PROT. Rectè nimirum. SO. [b] Sitire igitur vel esurire corpus nostrum, aut aliquid eiusmodi pati nequaquam ratio hæc admittit. PROT. Vera loqueris. SOC. Hoc præterea circa ista considerabimus, quòd hæc ratio quandam vitæ speciem in iis demonstrare velle videtur. PRO. In quibus? & de qua vita loqueris? SOC. In replendo inquam, & euacuando, & omnibus quæ ad salutem siue perniciem animalium

[a] *Cupiditas propria est animæ non corporis, eáque non est sine memoria.*

[b] *Corpus nõ sitit nec esurit.*

malium attinent. Et si quis nostrûm in alterutro constitutus dolore afficitur, tunc secundum mutationes lætatur. PR. Sic est. SOC. Quid quoties in horum medio permanet? PR. Quomodo in medio? SOC. Ob passionẽ quippe tristatur, sed voluptatum interim præteritarum meminit: cessat quidem tristitia, nondũ tamen impletur: quid tunc dicendum? nónne in medio passionum esse? PRO. Dicendum. SOC. Vtrum dolentem omnino vel contrà gaudentem? PRO. Non gaudentem per louem, sed dupla potius affectum tristitia, secundum corpus in passione, secundùm animam in expectationis ardore. SOCR. Quónam modo Protarche dolorem duplum aiebas? a Nónne vacuus quispiam certam aliquando repletionem sperat, aliquando contrà desperat? PR. Maximè. SOC. Num, dum assequi sperat, ipsa recordatione gaudere videtur? simúlque vacuus eo in tẽpore cruciari? PR. Necesse. SOC. Tunc igitur & homo & animalia reliqua, lætantur simul ac mœrent. PR. Apparet. SOC. At cum vacuus aliquis expletionem omnino desperat, nónne tunc passio duplex circa dolores exoritur, quam ipse paulò antè intuitus, simpliciter duplam opinabaris? PR. Vera hæc sunt. SOC. Hac talium passionum considerationẽ ad id vtamur. PRO. Ad quid ais? SOC. Vtrum voluptates has atque molestias veras, an falsas, an alias veras, alias falsas dicere debeamus? PROT. b Quo pacto, ô Socrates, voluptates aut molestiæ falsæ esse possunt? SOC. Quomodo etiam, ô Protarche timores veri vel falsi? aut expectationes veræ, seu minimè veræ? aut opiniones veræ vel falsæ? PROT. Opiniones equidem

a *Spes animi, corporis dolorem leuat, contrà desperatio, auget.*

b *Voluptates illæ animi suprà memoratæ, sicut & dolores veræ possunt vel falsa esse, sicuti & opiniones veræ sunt vel falsa.*

confiterer : sed hæc reliqua minimè. SOCR. Quid ais? disputationem tamen haud breuem incœptare videmur. PR. Vera narras. SOC. At si præcedentibus sit cõueniens, ô viri illius fili, considerandum est. PROT. Istud fortè. SOC. Omnè igitur superuacuum, & quicquid præter decorum dicitur, omittendum est. PR. Rectè SOC. Dic itaque. Continua nempe me admiratio tenet semper circa eas quas nunc induximus quæstiones. PRO. Quo pacto inquis? SOC. An non sunt ex voluptatum numero falsæ aliæ, aliæ veræ? PROT. Quidni? SOC. Neque reuera igitur, neque falsò vel lætari, cum non lætetur, vel tristari, cum non tristetur, aut furentum, aut insanorum dicetur quisquam? PROTAR. Hæc omnia sic se habere, ô Socrates, omnes suspicamur. SOC. Num rectè? an fortè considerandum est, rectène, vel non ista dicantur? PROT. Considerandum quidem mea sententia. SOC. Distinguamus igitur euidentius, quod modò de voluptate atque opinione dictum est. Estne aliquid apud homines, opinari? PROT. Est. SOC. Et lætari? PRO. Et lætari. SOC. Quin & quod opinamur aliquid est? PROT. Cur non? SOC. Et hoc quo gaudemus? PRO. Et hoc. SOC. Qui opinatur, siue rectè, seu non rectè opinetur, ipsum tamen quod reuera est opinari, non perdit. PRO. Quo enim modo? SOC. Gaudens, etiam siue rectè gaudeat, siue non, ipsum tamè quod reuera gaudere est, haud amittit. PRO. Imò & hæc ita se habent. SOC. Quo igitur pacto opinio vera, & falsa sit, voluptas solummodo vera, cùm tamen opinari verè atque lætari vtraque similiter acceperint? PROT. Considerandũ hoc est. SOC. Nunquid ex eo quòd opinioni

verum,

verum, & falsum indita sunt? nec solùm ob hæc opinio facta est, sed qualis quædam opinio vtraque? Hócne considerandum inquis? PROT. Ita SOCR. Præterea inuestigandum est, an voluptas, & dolor ea ipsa duntaxat quæ sunt permaneant, nunquam verò qualia quædam efficiantur. PRO. Patet. SOC. Verù haudquaquam difficile est, quòd qualia quædã fiãt, inspicere. Iãpridem cõcessimus voluptates atque molestias, magnas & paruas, vehementes, remissasq; fieri. PROT. Concessimus. SOCR. Quòd si cui ex his prauitas adiiciatur, vt prauam opinionem ita & prauam voluptatẽ efficiconfitebimur. PROT. Quid prohibet? SOC. Quid si rectitudo vel contrarium rectitudini horum cuiquam admoueatur, num rectam opinionem quæ rectitudinem subiit, ac voluptatem similiter appellabimus? PRO. Necessario sequitur SOC. Et si quod opinione comprehenditur sit fallax, nónne opinionem falsam potiùs quàm rectam vocabimus? PROT. Imò. SOC. Item si voluptatem vel dolorem circa id quod gaudemus, vel angimur, aberrare cernamus, num rectam aut bonam voluptatem dicimus, aut aliquo præclaro nomine honorabimus? PROTARC. At id fieri nequit, siquidem voluptas ipsa delinquat. SOCRAT. Verumtamen sæpenumero nobis voluptates non ex vera, sed ex falsa exoritur. PROTA. Proculdubio attamen opinionem, ô Socrates eiusmodi falsam dicimus, voluptatem verò ipsam nemo vtiq; falsam denominaret. SOC. Promptè nimirum, ô Protarche, voluptatis rationem in præsentia tueris. PRO. Minimè. verum quæ audio, loquor. SOC. Nihilne, ô amice, apud nos

differt voluptas ab opinione recta scientiáque proficiscens, ab ea quæ falsam opinionem, & ignorantiam sequitur? PRO. Consentaneum est haud breui quodam interualło distare. SO. Verum ad hanc ipsam distantiã perscrutandã deueniamus. PR. Ô. Duc age quà lubet. SOC. B. Ecte hac te duco. PR. Quánam? SO C. Opinio, inquimus, quædam vera est, quædam falsa, PR. Esto. SO C. Has sæpenumero (quod nunc dicebamus) voluptas dolórque sequitur veram, inquam, falsámque opinionem. PRO. Sequitur. SOC An non ex sensu ac memoria in nobis opinio nascitur, & ipsum opinari posse? PR. Præcipuè. SOC. Nónne sic circa hæc nos habere putandum? PRO. Quomodo? SOC. Vt fateare hominem nonnunquam procul aliqua confusè cernentem, cupere clarius quæ cernit, discernere? PRO. Fateor equidé. SOC. Is igitur sicà seipso quodãmodo sciscitabitur. PROT. Quo pacto inquis? SOCR. Quídnã illud est quod iuxta saxũ sub arbore procul apparet? An hæc ille proferre secum tibi videtur, dum eiusmodi quædam aspicit, cuiusmodi sibi quandoque apparuerunt? PR. Quídni? SOCRAT. Deinde veluti sibiipsi respondens, homo est, inquit, sibiipsi, tanquam rem iam assecutus. PROT. Nimirum SOCR. Rursus fortè progressus, simulacrũ quoddam à pastoribus fabricatũ esse asserit. PRO. Maximè SOCRA. Hîc si quis adsit, eadé quæ animo secum ipse volutabat in vocẽ fundens, rursus præsenti diceret, ac sermo tunc fieret, quod antè opinionem vocabamus. PROTARC. Manifestũ. SOCR. At si solus sit, hoc idẽ secũ ipse reputans, & diu quandoque in seipso seruans procedit. PROT. Prorsus

a Opinio in nobis nascitur ex sensu ac memoria quod exemplo subiecto declaratur.

SOC.

SOC. Quid ergo? idémne tu hîc, quod ego, sentis? PR. Quid istud? SOC. Videtur mihi tunc hominis [a] anima libro cuidã persimilis. PR. Qua ratione? SOC. Memoria in idé cum sensibus incidens, & illa quæ circa istas passiones sunt, verba quædã in anima quodammodo inscribere mihi videntur: cúmque vera conscribunt, passionem huiusmodi veram opinionem dicimus, & orationes in nobis veræ ab hoc ipso proficiscuntur. At cum scriba hic noster falsa scribit, contraria veris eueniunt. PR. Omnino ita mihi videtur, & ea quæ dicta sunt, libenter accipio. SOCR. Accipe alium eorum quæ tunc fiunt in animis nostris opificem. PRO. Quem? SOCR. Pictorem, qui post ipsum scriptorẽ, dictorũ imagines in anima pingit. PR. Quomodo hûc, & quando id agere dicendũ? SOCR. Quando ab aspectu siue alio sensu dicta, & opinione percepta quis educens, dictorum & opinionũ perceptorum imagines in seipso quodammodo contuetur. an hoc in nobis efficitur? PR. Vehementer. SOC. Nónne verarum opinionum sermonúmque imagines veræ, falsæ verò falsorum? PRO. Omnino. SOC. Si modò rectè hæc diximus, hoc in iis præterea cogitemus. PRO. Quid hoc? SOC. Vtrum circa præsentia atque præterita hoc nobis accidere necesse sit, circa futura nequaquam? PRO. Eadem ratione circa tempora omnia. SOC. Nónne voluptates atque molestiæ ipsius animę proprię in superioribus dictę sunt voluptates & dolores corporis antecedere? Propterea; & prægaudere, & prædolere nos ob futura contingit? PRO. Vera narras. SOC. Vtrum literæ atque picturæ quas paulò antè

[a] *Anima libro & tabulæ rasa similis.*

nobis imprimi fingebamus, ad præsens præteritúmue respiciunt, ad posterum minimè? PR. Ad omnia. SOC. Num idcirco iis affluxum tempus existunt, nósque per omnem vitam perpetua spe nutrimur? PR. Prorsus so. Age ad hoc præter illa respondе. PR. Quid rogas? SOC. Vir iustus & pius, & probus nónne Deo amicus est? PR. Quídni? SOC. Iniustus & improbus contrà se habet. PR. Contrà. SOC. Plurima tamen, vt dicebamus, vnusquisque spe ducitur. PR. Sanè. SOCR. Sermones sunt in vnoquoque nostrûm, quas spes nominauimus. PR. Insunt. SOC. Quin etiam phantasmata picta. nam cuique licet fingere se cumulum auri maximum possidere, oblectamentisque variis abundantem omni suauitate perfundi. PR. Nil prohibet. SOC. Num dicendum interna hæc scriptaa bonis viris, quia Deo amici sunt, vera sæpe euadere, malis sæpenumerò contrà? PR. Dicendum certè. SOC. Et malis viris oblectationes nihilominus adsunt sæpe confictæ, ac denique falsæ. PR. Quídni adsint? Falsis igitur voluptatibus prauí vt plurimùm gestiunt, boni homines veris aluntur. PR. Necessárium dicis. SOC. Insunt ergo secundum hanc rationem falsæ quædâ animis hominũ voluptates, imitantes tamen veras, sed ridiculè, ac dolores eodem pacto. PRO. Insunt vtique. SOC. An licebat sic opinanti omnino, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec vnquã futura sunt, opinari? PROT. Licebat. SOC. Atque hæc erant quæ tunc opinionem falsam, & opinari falso efficiebant. An non? PRO. Erant SOCR. Nónne in illis reddendus est habitus aliquis volu-

a *Falsis voluptatibus prauí vt plurimùm gestiunt, boni homines veris aluntur.*

voluptatibus molestiísque contrà respõdens? PROT. Quomodo? SOCR. Quod liceat alicui reuera lætari, quoquo modo vel temere etiã gestienti, non tamen vt ea quæ propter lætatur, vel sint, vel fuerint aliquando: plerunque etiam lætari in iis quæ nunquã eueniẽt. PRO. Hæc quoque, ô Socrates, necessaria sunt. SOC. Et eadem ratio de timoribus & cupiditatibus, cæterísque huiusmodi omnibus sæpe scilicet illa falsa existere. PROT. Eadẽ profectò. SOC. Num opiniones ob aliud bonas vel prauas, quàm quòd verę vel falsæ sint, appellamus? PROT. Ob hoc ipsum. SOCR. Nec voluptates malas ob aliud putamus, quàm quia falsę. PR. Omnino, ô Socrates, contrariũ protulisti. Nã & voluptates & molestias propter solum falsum malas esse haudquaquam asserere decet, quæ in maximas ac multiplices insuper prauitates frequẽter impingũt. SO. Malas voluptates quæ propter prauitatem tales sunt, paulò post si placuerit referemus: falsas autẽ insuper alio modo, tum sæpe, tũ multas in nobis & esse, & fieri, dicendũ est: hoc enim ad iudicandũ fortasse nobis confert. PR. Quídni? modo sint. SOC. Atqui, ô Protarche, mea sententia, sunt. Hoc autem dogma quãdiu illa apud nos manet, à redargutione tutum esse, impossibile est. PROT. Probè. SOC. Aggrediamur iterum athletarum more hanc disputationẽ. PROT. Aggrediamur. SOCR In superioribus diximus, si quidem meminimus, cupiditates (quæ sic vocantur) quantisper seorsim nobis inessent, tunc corpus passionibus absque animæ passione occupari. PROTAR. Recordamur, dictáq; hæc proculdubio sunt. SOC. Nónne cupiebat anima contrarium corporis habitum?

Receptaculum autem doloris & voluptatis quæ passione fit, erat corpus? PRO. Erat. SOC. Collige quod ex his sequitur. PR. Dic SOC. Quoties ista concurrunt, congrediuntur quòque voluptates atque dolores, eorúmque sensus, quæ contraria sunt: quod profectò nunc patuit. PR. Apparet. SOC. Hoc quoque nónne inter nos conuenit, & pro confesso à nobis supra positũ est? PR. Quidnã? SOC. Vtrumque magis minúsue suscipere, voluptatem pariter atque dolorẽ, & ad genus infiniti referri? PR. Conuenit certè. SOC. Quædam est igitur via horũ rectè iudicandorum. PR. Vbinã, & quomodo? SOC. Nónne propositũ in hoc iudicio nobis est, passim dignoscere, quænã ex his maior, quæ minor, quæ magis, quo intensior voluptas scilicet ad molestiã, & ad molestiã molestia, ac voluptas iterum ad voluptatem? PR. Hæc quidẽ talia sunt, & istud iudicij nostri propositũ. SOC. Quid verò? in aspectu, eminus, aut cominus magnitudines inspicere, veritatẽ delet, falsáque opinari compellit: in doloribus autẽ & voluptatibus idẽ minimè fit? PR. Multo magis, ô Socrates. SOC. Id vtique illi quod paulò antè narratũ fuit, contrariũ est. PR. Quid ais? SOC. Tunc enim opiniones hæ falsæ veræque effectæ, passione sua dolores vnà & voluptates prorsus implebant. PR. Vera narras. SOC. Nunc[a] autem hæ ex eo quòd passim transmutare eminus cominus videantur, & ad se inuicem cõparentur, voluptates quidẽ ad dolores, maiores vehementioréſque videntur, & dolores rursus ad voluptates contrà. PR. Talia quædã necesse est ob eas causas fieri. SOC. Quòd si quanto vtraque maiora

[a] *Voluptas animi, quæ in spe posita est, comiũcta cum sensu corporis dolorifico, tãquã iuxta cõtrarium suum collocata et cum ipso cõparata, sicut & cõtra dolor cum voluptate, maior videtur quàm sit.*

maiora vel minora quàm reuera sint: apparẽt, tantundẽ amputaris, nónne id quod cùm apparet quidé vtrunque, non tamen sit, neque rectè apparere dices, neque vnquam eiusmodi voluptatis vel molestiæ portiones rectas aut veras audebis asserere? PR. Sic est. SOC. Posthæc igitur inspiciamus, nunc hac ratione occurramus, voluptates scilicet atque molestias falsas multò magis quàm istæ sint quæ vel apparent in viuentibus vel existunt. PR. Quales dicis, & quomodo? SOC. Dictum est sæpenumero, quod quorumlibet natura concretionibus vel discretionibus, repletionibus vel euacuationibus, incrementis vel decrementis corrupta, dolores, molestiæ, cruciatus, cæteráque istiusmodi nominibus appellata exoriuntur. PR. Sæpe iam dictũ. SOC. At cùm in naturã suã restituuntur, restitutionẽ talẽ voluptatẽ circa nos posuimus. PR. Probè. SO. Quid autem cùm circa nostrum corpus horũ nihil accidit? PR. At quando id contigit, ô Socrates? SOC. Nihil ad rem, ô Protarche, ista tua quæstio. PR. Cúrnam? SOC. Quia nihil impedies me, quin quod ante rogaueram, rursus te rogem. PR. Quid istud? Nisi fieri, ô Protarche, tale quid dicã, quid necesse est ex hoc nobis contingere? PR. An id dicis, si corpus in neutrã partẽ moueatur. SOC. Idipsum. PR. Constat ô Socrates, neq; voluptatẽ neq; dolorem eo ipso in tẽpore percipi. SOC. Rectè nimium respondisti. Verum vt arbitror id sentis, quòd necesse sit ex iis vnũ aliquid semper nobis accidere, quẽadmodũ[a] sapientes tradunt, cuncta quippe sursum deorsúmve semper fluunt. PROT. Aiunt sanè: nec malè loqui videntur. SOCR. Quomodo enim

[a] *Heraclitiopinio de perpetuo rerum fluxu.*

malè? cùm mali minimè fuerint. Verùm impendentem sermonem euitare volo, hàc autè fugere cogito, túque vnà mecum fugito. PR. Dic quàs? SOC. Ista sanè sic se habere iis concedamus. Tu verò respondè vtrum quicquid vnquam patitur animal, idem & sentiat patiendo, neque dum crescimus id nos latet, neque dum aliquid aliud huiusmodi nobis accidit? an contrà omninò? fermè enim talia quædam vniuersa nos fugiunt. PR. Contrà omnino. SOC. Haud igitur rectè dictum est à nobis quod modò diximus, mutationes sursum, deorsúmue factas, voluptates & dolores inferre. PR. Quid igitur? SOC. Si autem rectius ac tutius dicere licet. PR. Quomodo? SOCR. [a] Mutationes quidem magnæ voluptates dolorésque afferunt: mediocres autem & exiguæ, minimè. PR. Rectius isto modo quam illo, ô Socrates, dicitur. SOC. Enimuerò si ista sic se habent, mox vita in superioribus narrata redibit. PR. Quænam? SOCR. Quam absque mœrore & lætitia ponebamus. PR. Verissima loqueris. SOCR. Ex iis triplicem vitam ponamus, suauem, tristem, neutram. An tu aliud sentis? PR. Haud aliter quàm ita, [b] triplicem videlicet vitam esse. SOC. Non igitur idem erit non dolere quod & lætari. PR. Nequaquam. SOC. Quoties ergo audies omnium dulcissimum esse vniuersam vitam sine mœrore transigere, quid tunc sibi velle id dicentem existimas? PR. Dulce esse, significare ille mihi videtur idipsum quod dicitur non dolere. SO. Pone tria quædam, vt lubet, & vt pulchrioribus vtamur nominibus, alterum aurum, argêtum alterum, neutrum reliquum nominato. PR. Ponantur. SOCR. Quod horum neu-

[a] *Mutationes magnæ quæ corpori accidunt, voluptates dolorésque afferunt: mediocres autē & exiguæ minimè.*

[b] *Triplex vita, suauis, tristis, neutra.*

trum

trum est, potéstne alterum ex iis fieri, vel argentum, vel aurum? PR. Nequit. SOC. Vita igitur media, si quando suauis vel mœsta dicitur, aut existimatur, nequaquam rectè vel existimatui, vel dicitur. PR. Certè. SO. At tamen, ô amice, aliquos hæc loqui & opinari sentimus. PR. Maximè. SO. An igitur gaudere tunc quãdo non mœrent, existimant? PR. Aiunt quidẽ. Nónne tunc gaudere putant? non enim id dicerent. PR. Fortasse. SO. Falsò de lætitia opinãtur, siquidem ab vtriusque gaudij scilicet & indolentiæ natura diuersa est. PR. Diuersa profectò.

SO. Quid igitur percontabimur inter nos, vtrũ hæc vel vt tria sint, vel vt duo solũ ac nũ dolor hominib. malã, dolorũ autẽ vitatio, hoc ipso nomine bona, dulce nominet. PR. Quomodo id, ô Socrates, fiat, à nobis ipsis quęramꝰ: nõ enim intelligo. SO. Quia aduersarios huius, ô Protarche, Philebi reuera non intelligis. PR. Quósnã inquis? SO. [a] Eos qui rerũ naturã præcipue callere feruntur, qui voluptates esse negãt. PR. Quid ergo? SO. Dolorũ effugia eas oẽs vocãt, quas Philebi sectatores nuncupãt voluptates. PR. Hísne vt credamus, ô Socrates, cõtulis? SO. Nequaquã, sed tanquã vatibus quibusdã vtamur, nõ arte, sed quadã non ingenerosæ naturæ morositate à voluptate nimis abhorrẽtibus, nihílq; in ea sani esse existimãtibus, adeò vt illas ipsas quoq; eius illecebras maleficam quãdã illaqueationẽ potius quã voluptatẽ vocẽt. His ergo ad hęc vtere cõsiderans præterea & alias ipsorũ morositates. Post hæc autem & quas ego veras existimẽ voluptates, accipito, vt ex vtriusq; sermonibus vim eius cõsiderãtes, ad indicandum denique apponamus. PRO.

[a] Cõmemorat & refutatur eorũ opinio qui voluptatẽ nullã agnoscũt præter doloris carentiam.

Rectè inquis. SOC Hos igitur tanquam propugnatores secundum morositatis, & asperitatis eorum vestigium prosequamur. PR Eor equidem tale quiddam eos dicturos esse, principio alicunde longius repetito: si speciei cuiuscunque naturam cognoscere velimus, velut duri naturam, vtrum ad durissima respicientes, si maximè cognoscemus, an ad minimè dura? Oportet te, ô Protarche, istis morositatibus quemadmodum & mihi respondere. PR Oportet sanè, illísque respondeo, ad primas magnitudines susciendum. SOC. Si voluptatis genus quam naturam habeat nosse velimus, non in paruas voluptates longéque à suprema remotas, verùm in eas quæ supremę vehementissimæque dicuntur, aspiciendum. PR. Quilibet nunc ista tibi concederet. SOC. Num quæ in promptu præ cæteris posita, ac maximæ voluptates sunt, vt sæpe diximus, ipsæ scilicet circa corpus existunt? PR. Quidni? SOC. Vtrum vehementiores in ægrotantibus, quàm bene valentibus reperiuntur? Caueamus obsecro, ne temere respondentes offendamus. PR. Quónam pacto? SO. Fortè enim in bene valentibus fateremur. PR. Verisimile est. SO. An non voluptates illæ excedũt magnopere, quarum maximę cupiditates adsunt? PR. Verum id est. SOC. [b]Nónne febribus & huiusmodi morbis affecti homines & sitiũt vehementer & algent, & quodcunque pati corpore consueuerunt, magis admodum quàm cæteri patiuntur? quo fit vt magis indigeant, indigentiámque replentes, vehementius delectentur. An verum hoc esse negabimus? PR. Omnino, vt dictum est, apparet. SO. Quid verò, num rectè sentire videbimur, asseren-

2 Argumẽta eorũ qui voluptates esse negant.

[b] Voluptates ægrotantiũ quã replẽt indigentiam sanis aut sitis sunt vehementissimæ.

tes,

tes, si quis maximas voluptates videre velit, non ad sanitatem, sed ad morbum respiciendum? Et vide ne me hoc cogitantem rogare putes, pluribúsne oblectationibus ægrotantes quàm bene valentes deliniantur, sed magnitudo & vehementia voluptatis vbínam plurimũ sit, interrogare putato: seruandum quippe quæ natura constet, prædiximus, quámue dicant, qui nullo modo esse iam asseuerarunt. P R. Teneo penè quod inquis. s o. Fortassis etiam, ô Protarche, non minus demonstrabis. Respondemodò. In lasciuiáne & petulantia non plures dico, sed vehementiores & vi maiores voluptates, quàm in temperata vita vides? Die amabo, animum aduertens. P R. Percepi quid velis, & [magnum discrimen inter ipsas animaduerto:] temperatos nempe prouerbium *Ne quid nimis) præcipiens, semper continet, & huic illi obtemperant. Intemperantes autem & petulantes homines voluptatis furor ad furorem vsque occupans, immoderatis clamoribus exultare compellit. s o. Rectè loqueris. Et si verum hoc est, apatet in quadã deprauatione tum animę, tum corporis, potius quàm in virtute, vehementes voluptates, vehementésque cruciatus consistere. P R. Patet certè. s o. An non aliquas è multis elicere decet, & inuestigare qua ratione maximæ vocari debeant? P R. Necesse est. s o. Aduerte itaque talium morborum voluptates, qua ratione se habeant. P R. Qualium? s o. Deformium, *sub. aliquo corporis, vel animi habitu* voluptates, quas illi quos difficiles & morosos vocauimus, penitus horrent. P R. Quales iuquam. s o. Velut in scabiei medela quæ fricando fit, cæteríque huiusmodi, haud alio phar-

* Prou. ne quid nimis.

a *Vehemẽtes cũ voluptates, tũ dolores, in depraua tione quadã tũ animę tum corporis consistere.*

maco indigentibus. hoc enim malum, prò dij immortales, voluptatémne, an dolorem potius nuncupabimus? PR. Malum quiddam ô Socrates mixtum hoc esse videtur. SOC. Haud equidem, vel Philebi gratia, hoc exemplum produxissem, sed nisi hæ ô Protarche, voluptates, & quæ hasce sequuntur, inspiciantur nunquam ferme quod quæsitum nunc est, dijudicare valemus. PR. Ergo ad istarum cognatas pergendum est. SOCR. Num eas inquis, quæ mixtione communicant? PR. His ipsas. SOC. a Sunt igitur mixtiones corporis quidem ipsius in corporibus, animæ in anima. Et dolores animæ & corporis voluptatibus mixtos reperiemus, eámque vtrorumque cõmixtionem interdum voluptatem, interdum verò dolorem cognominatam. PR. Quónam pacto? SOC. Vt ecce cum quis in restitutione, vel corruptione simul contraria patitur, algens sæpe calescit, & calens aliquando refrigescit, quærens, vt arbitror, id assequi, illud abiicere, ac, * quod dicitur, amaro dulce permixtum, & cum difficultate reiectionis adsistens, molestiam, postea verò ferum quendam congressum sub. doloris & voluptatis facit. PR. Est maximè verum quod dicis. SOC. Nónne harum mixtionum quædam ex æquali vtrinque & voluptate & dolore, quædam ex alterutro excedente conflantur? PR. Nihil prohibet. SOC. Dic igitur ex earum numero quæ doloris plus quàm delectationis cõtinent, eas esse quæ sequuntur scabiem & titillationes quando quod intus est feruet atque [ebullit,] neque illuc perfricando aut exagitando quis penetrat: sed quod in superficie est solum, diffundit. Tam sanè illa in ignem ferentes, &

a *Mixtiones voluptatis & doloris in corpore.*

* Prouerb.

nunc

nunc hinc, nunc illuc consilij inopia reuoluti, inæstimabiles sæpenumero voluptates pariũt: aliquando contrà interioribus ad exteriorum molestias voluptatibus mixtis, in vtram partem declinatio fiat, exhibent ex eo quòd cõmixta per violentiam diffundant, vel dispersa confundant, simúlque voluptatibus dolores admoueant. PR. Vera narras. SOCR. Nónne iterum cùm voluptas amplior secundum hæc omnia commiscetur, tunc portio doloris immixta titillat, & leuem quandam indignationem parit? atque iterum voluptatis vberior pars infusa prouocat, & interdũ prosilire compellit, & omniformes colores, omnigenas figuras, omnimodo spiritus cum omni incitamento & exclamationes cum insania parit? PR. Summopere. SOC. Cogit præterea, ô amice, de se, tum ipsum, vel tum alium exclamare, quòd his voluptatibus[a] perfusus propemodum moriatur: eóque magis eiusce modi voluptates sectatur quisque, quo intemperatior quis & imprudentior est. Atque has insuper summas oblectationes prædicat, & eum qui in iis deliciis vel maximè totam vitam agit, beatissimum numerat. PR. Omnia quæ apud multos in existimationem veniunt, ô Socrates, collegisti. SOCR. De voluptatibus, ô Protarche, quæ in communibus corporis passionibus extrinsecus intrinsecúsue miscentur, est dictum. Ea[b] verò quæ miscentur in anima, [aduetsa quædam vi corpori obnituntur, voluptas scilicet dolori, & dolor voluptati ita vt in vnam mixtionem concurrant.] Et hæc in superioribus percurrimus, quod quando exinanitur, repletionem cupit, & speratans gaudet, inanis angitur. Ista tunc quidem

[a] *Voces hominũ amentiũ se in immodicas voluptates immergẽtium.*

[b] *Mixtiones voluptatis animæ cũ dolore corporis.*

testimoniis minimè confirmauimus, nunc verò dicimus, quòd anima à corpore discrepante in iis omnibus, quorum haud satis multitudo comprehenditur, mixtio vna doloris & voluptatis emergit. P R. Rectè nimium loqui videris. s o c. Vna præter ea doloris voluptatísque congressio restat. P R. Quænam. soc. Quam sæpe ipsam in seipsa animam accipere diximus. P R. Qua ratione hoc asserimus? s o. Iram, timorem, desiderium, lamentationem, amorem, æmulationem, inuidiam, & huiusmodi reliqua, an non hæc omnia dolores quosdam ipsius animæ ponis? P R O. Equidem. s o c. Nónne dolores huiusmodi plenos miris quibusdam voluptatibus inuenire licet? An fortè in memoriam nobis illud reducere oportet, *Quæ fecit excandescentia & ira virum prudentissimum sæuire: quæ multò dulcior melle effluo.* & voluptates in lamentationibus atque desideriis tristitiæ mixtas? P R. Nequaquam, verùm si hæc, nec aliter accidunt. s o. Quinetiam meministi eos, qui tragicis spectaculis adstant, dum delectantur, sæpe lugere. P R. Memini. s o. Et in comœdiis animi nostri affectum ad oblectationem simul atque mœrorem declinare sensisti. P R O. Haud satis adserti. s o c. Non enim facile est, ô Protarche, affectum huiusmodi vbique comprehendere. P R. Non certè, vt mihi videtur. s o c. Ipsum igitur tanto magis accipiamus, quanto est obscurior, vt in cæteris facilius quis voluptatis tristitiæque concursum percipere valeat. P R. Dic iam. s o c. Inuidiæ nomen paulò ante cómemoratum, vtrùm dolorem quendam significare censes, nécne? P R. Censeo. s o c. Inuidus tamen proximorú aduersis lætari deprehenditur.

a *Voluptates animæ in anima doloribus permixtæ.*

ditur. P R. Vehementer. s o. Malum quidem ignorantia est, & vt nunc loquimur, stoliditas quædam. P R. Quidni? s o c. Ex his vide ridiculum illud quam naturam habet. P R. Dic modò. s o c. Est vtique summatim deprauatio quædam habitus alicuius cognomento dicta, omnis autem improbitatis affectio contrario modo se habet quàm illud Delphicum elogium. P R. Præceptum illud inquis, ô Socrates, Nosce teipsum? s o c. Aio. Oppositum huic esset, si forte præciperetur, Nullo modo teipsum nosse? P R. Esset. s o c. O Protarche, conare nunc id trifariam distribuere. P R O. Dic tu, ego enim nequeo. s o c. Ais ergo me nunc istud diuidere oportere? P R. Et non solùm dico sed etiam obsecro. s o c. [a] Nónne quisque ex iis qui seipsos ignorant, secundum tria id necessariò patitur? P R. Quomodo. s o. Primò enim secundum pecunias: opulentiorem quippe quàm sit, aliquando seipsum existimat. P R. Multi quidem ita decipiuntur. s o. Plures etiam qui maiores formosiores[que] se putant, & quæcunque ad corpus attinent, suprà quàm reuera sunt. P R. Plures profectò. s o c. Longè verò plurimi, quod ad tertiam speciem attinet, qui animi dotes maiores quã habeant, habere se putant. P R O. Et maximè quidem. s o c. Quantum verò ad virtutes animi pertinent, nónne vulgus sapientiam prorsus sibi vendicans plenum est contentionibus, falsáque sapientiæ ipsius opinione? P R O T. Quidni? s o c. Si quis ergo affectionem illam omne malum quoddam vocarit, recte nimirum appellabit. P R. Maximè. s o c. Hoc igitur iterum, ô Protarche, bifariam partiendum, si ridiculam inuidiam cognoscentes, mi-

[a] *Ignorantiæ sui, qua homines vulgò laborare solent, circa tria versatur.*

ram voluptatis & molestiæ mixtionem nosse velimus. PR. Quomodo bifariam partiendum? SOC. Ita: Quicunque hanc falsam de se opinionem stultè præsumunt, iis quemadmodum & omnibus cæteris mortalibus accidat necesse est, vt quidam eorum robur ac potentiam habeant, quidam verò nequaquam. PR. Necessarium est. SOC. Hac ergo ratione distingue, quicunque ex iis imbecilles sunt, & derisi, vlcisci iniurias non possunt, meritò ridiculi nuncupantur: qui verò possunt terribiles & robusti & hostiles iure vocantur. *Ignorantia enim potentum robustorúmque hominum hostilis atque teterrima res est. hęc enim & quæcunque eius similia proximis omnibus noxia. sin autem imbecillis ignorantia sit, ridiculorum naturam subit. PR. Rectè loqueris. Attamen voluptatis, dolorísque concursus nondum in iis nobis patuit. SOC. Liuoris primò vim accipe. PR. Dic. SOC. An non tristitia quædam, lætitiáque iniusta est? PR. Necessarium hoc est. SOC. Aduersariorum malis lætari nec iniustum, nec inuidum est. PR. Non. SOC. [a] Malis autem amicorum lætari potius quàm tristari, nónne iniustum est? PR. Est. SOC. Ignorantiam omnibus malam esse diximus. PR. Et rectè quidem. SOC. [b] Amicorum igitur arrogantiam sapientiæ atque pulchritudinis, & quodcunque paulò antè diximus tribus in speciebus fieri, ridicula, quidem cum imbecilla, odiosa, verò, cùm valida: hunc inquam, amicorum habitum nónne fatemur quum quis innoxium aliis habet, ridiculum esse? PR. Fatemur sanè. SOC. Hunc quoque cùm ignorantia sit, malum esse? PR. Certè. SOC. Lætamúrne, an tristamur, dum hæc irride-

*Legitur in quibusdam cod. ἄνοια, quod est amentia.

[a] *Inuidus vt dolet amicorũ prosperis rebus, ita eorũ gaudet aduersis.*

[b] *Ridere solent homines amicos, qui falsa sui opinione turgẽt.*

ridemus? PR. Lætamur plane. SOC. Voluptatem verò in amicorum malis, nónne à liuore proficisci prædiximus? PR. Certè. SOCR. Nos igitur in amicorum rebus ridiculis subridentes miscere voluptatem dolori, dum inuidiæ lætitiam addimus, ratio ista concludit. liuorem quippe tristitiam quandam animæ iamdudum esse constitit, derisionem verò lætitiam, simúlque hæc in eo tempore congredi paruit. PR. Vera loqueris. SOCR. Ratio igitur nobis hæc dictat, nos non modò in lamentationibus & in tragœdiis, neque in fabulis tantùm, sed in totius vitæ tragœdia atque comœdia dolores voluptatibus immiscere & in aliis sexcentis. PROT. Impossibile est ista tibi, ô Socrates, non concedere, etiam si quis alteri parti potissimum adstipularetur. SOCR. Iram, desiderium, lamentationem, metum, amorem, æmulationem, inuidiam, proposuimus, cæteráque huiusmodi in quibus diximus nos reperturos ea quæ iam sæpe repetimus, commixta, an non? PR. Ita. SOC. Num videmus quòd de lamentatione, ira atque inuidia omnia iam sunt nobis confecta? PR. Quídni videamus? SOCR. Multa igitur restant. PR. Sanè quàm multa. SOC. Ob quam verò potissimum causam mixtum in comœdiis affectum declarasse me tibi existimas? nónne vt tibi fidem facerem?] quia in amoribus timoribúsque & aliis huiusmodi mixtio ipsa facilius ostendi potest. Quæ cum ex te ipso intelligas, me dimitte, nec me cogas ad illa singulatim ordine descendentem, in longum disputationem producere; verùm simpliciter id accipio, & animam absque corpore, & absque anima corpus, & mutuum etiam vtro-

rumque congressum, in omnibus perturbationibus habere voluptatis & doloris concursum. Dic ergo nunc, vtrum me dimittes, an ad multam noctem detinebis. Reor enim te si pauca quædam dixero, me dimissurum. nam de his omnibus eras me tibi dicturum polliceor: in præsentia verò ad iudicium quod Philebus instituit, pergere cupio. P R. Præclarè inquis, ô Socrates, & idcirco quæ restant, vtcunque tibi placuerit, enarrato. s o c. Secundum naturam quidem post mixtas voluptates necessitate quadam ad puras immixtásque quodammodo deueniemus. PRO. Rectè mirum. s o c. Conabor equidem [illas vobis exponere, nonnullorum qui hac de re locuti sunt commutata sententia.] Nam his qui dicunt voluptates omnes dolorum sedationes esse, haud prorsus assentior. Cæterùm, vt dixi, iis quasi testibus vsus sum, ostendens pleraſque videri quum non sint, voluptates. item alias quasdam magnas multásque videri, sed mixtas esse tristitiæ, & sedationibus ingentium dolorum, & circa corporis & circa animæ defectum. P R. Quas denique voluptates veras, ô Socrates, meritò censere quis debet? s o c. [a] Eas vtique quæ circa decoros colores, figurásque & odores pleroſque & sonos consistunt, præterea quæ circa ea sunt, in quibus defectus quidem est, sed qui nec sentitur, nec lædit. Impletio verò, quæ & suauis est, & sentitur, & tristitia vacat. P R. Qua ratione, ô Socrates, hæc sic dicimus? s o c. Sunt quæ loquor haud statim perspicua, veruntamen explicare conandum: figurarum [b] enim pulchritudinem, non vt plerique forsitan intelligerent, vt puta animalium vel picturarum

[a] *Quæ veræ voluptates, videantur Socrati.*

[b] *Quarũ pulchritudinũ aſpectus veræ & purã voluptatem cieat in oculis.*

quæ-

quarundam nunc proposui dicere. sed rectum quiddam & circulare, & ab iis ea quæ tornis fiunt, plana vel solida, & quæ canonibus, id est, regulis atque angulis construuntur, si modò hæc tenes. hæc siquidem nequaquã ad aliquid aliud respicientia, quemadmodum cętera pulchra dico, sed pulchra semper suapte natura, voluptates proprias nullo modo motuum delectationibus conuenientes habentia: eadẽ ratione colores itẽ pulchros atq; gratos esse dico. Sed nũquid intelligimus, aut quid est? PR. Annitor equidẽ, ô Socrates: verũ ipse quoque lucidius explicare nitere. SO. [a] Dico præterea & voces perspicuas & suaues, vnámq; aliquã purã penitus concinentes melodiam, ad nihil aliud comparatas, sed natura pulchras esse, & innatam afferre voluptatem. PR. Hoc quoque verũ est. SO. [b] Genus autem voluptatũ quod odores sequitur, minus diuinum est: quòd autem ipsis necessarii dolores nequaquam misceantur, & in quo id inesse contingat, cum illis proximis eadem prorsus ratione habere dico. Iámque duas voluptatũ species, si modò intelligis, collegimus. PRO. Intelligo. SOC. [c] His item disciplinarũ voluptates addamus, si & istæ famem discendi nequaquam continere videntur, neque propter disciplinarum famem & auiditatẽ principio statim dolores inferre. PR. Mihi sic videtur. SOC. Quid verò, si quis doctrinis imbutus, earum posteà per obliuionẽ iacturã faciat, nõne tristitiã quandã sequi vides? PR. Non natura quidem, sed quadã cogitationis passione, cum quis orbatus propter indigentiã, tristatur. SO. Cæterùm, ô beate, nos in præsentia non cogitationis, sed naturæ passiones tractamus. PR.

[a] *Qui soni puras voluptates efficiant in auditu.*

[b] *Voluptates, quæ ex odoribus percipiũtur, minus puræ.*

[c] *Voluptates quæ ex disciplinis percipiuntur puræ sunt, & sua natura, doloris expertes.*

Verum est igitur quod asseris, doctrinæ oblivionem plurimũ absque tristitia euenire. SOC. Voluptates igitur disciplinarum doloris expertes nec multorum hominũ, sed paucorum admodum esse fatendum. PR. Fatendum procul dubio. SOC. Posthæc igitur voluptates puras ab his quæ rectè propemodum sic dicũtur, impuris secreuimus, addenda est iam vehementibus voluptatibus immoderatio, remissioribus moderatio. Eásque etiam quæ intensius, remissius, magnum, paruum, rarò, crebrò, suscipiunt, ad infiniti genus, quod per animã corpúsque secundũ magis minúsue discurrit; referre decet: quæ verò ista non capiunt, ad commensurati genus potius referendæ. PR. Rectissimè inquis ô Socrates. SOC. Posthæc id insuper circa voluptates instituendum. PR. Quid istud? SOCR. Vtrùm purum ipsum atq; syncerum dicendum est, conferre ad veritatẽ, an potius ipsum vehemens, multum magnũq; & sufficiens? PR. Quid tibi vis, dum ista rogas, ô Socrates? SOC. Nihil ô Protarche, in ista disceptatione voluptatis & scientiæ prætermittere vellem. siquidem vtriúsque illorũ portio quædam pura, quædam impura est, vtrũque purum in iudicium veniens, & mihi & tibi, & istis denique cunctis ad iudicandũ se apertum expeditúmque præbeat. PR. Scitè. SO. Age igitur de omnibus quæ genera pura vocamus, in hunc modum cogitemus, vnũ aliquod ex illis primum in medium inducentes. PR. Quid potissimùm eliciemus? SO. Album si vis, primò genus consideremus. PR. Volo equidẽ. SO. Quomodo ita albi, & quæ puritas erit? Vtrum quod maximum quiddam est ac plurimum? an quod ita syncerum, ve

nihil

a *Voluptates vehemẽtes ad infiniti, moderatæ & puræ ad commensurati genus referuntur.*

b *Id in vna quaque re maximè purum & verum censendum est, non quod maximũ & plurimũ, sed quod maximè syncerum, & minimũ contrarii sui aut alieni admixtũ habeat.*

nihil in eo coloris alterius insit? PR. Constat planè, quod præcipuè syncerum est. SO. Probè. nonne hoc verissimum, ô Protarche, & pulcherrimum alborum omnium affirmabimus, non autem quod plurimum aut maximum? PR. Rectè. SO. Si ergo quod paruum pútúmque album est, mixto multóque albo albius simul & pulchrius & verius esse dicamus, rectè penitus asseremus? PRO. Rectè procul dubio. SOC. Nunquid exemplis huiusmodi pluribus ad iudicandam voluptatem egebimus? an potius hinc nosce sufficiet, quod vniuersa voluptas paua quàm magna, pauca quàm multa, modò à dolore remota sit, suauior est & verior, ac denique pulchrior? PR. Maximè sanè, & exemplum hoc idoneum est. SO. Quid verò hoc? [a] quòd audiuimus voluptatis quidē generationē semper esse, essentiā verò nunquam existere. Elegantes enim quídam viri nobis hoc tradere conantur, eíque gratia est habenda. PR. Quid tum? SO. Víse id interrogando amice Protarche, percurram? PR. Dic & interroga modò. SO. [b] Sunt igitur duo quædam, vnū quidem propter sei-ipsum, alterum semper aliud appetens. PRO. Qua ratione? & quæ ista esse dicis? SOC. Hoc suapte natura summopere venerandum, illud verò deficiens. PR. Exprime clarius. SO. Vidimus sæpenumero pueros pulchros simul & probos, & viros eorum amatores. PR. Vidimus. SO. Istis ergo duobus existentib. duo quędā alia consimilia quære per omnia quæcúq; dicimus alteri tertiū esse. PR. Profer obsecro Socrates, clarius adhuc quod sentis. SO. Nihil est hic diuersū, ô Protarche, sed nobis iocabúdus illudit sermo. Dicim' aūt quòd ex iis quæ sūt,

[a] *Quorundā opinio voluptatem semper generari, nec vnquam consistere eius essentiam.*

[b] *Quicquid est, illud propter se est, vel propter aliud.*

aliquid semper est alterius gratia, aliquid verò cuius gratia semper id quod alterius gratia fit, efficitur. PR. Vix tandē ob crebram repetitionā percepi. s o. Fortè ô puer, procedente disputatione clarius cōprehendemus. PR. Quídni? s o. Duo hæc altera iterum adsumamus. PR. Quænam? s o. Alterum quidem omniū generationem, essentiam alterum. PR. Equidem duo hæc abs te accipio, essentiam & generationem. s o. Rectè. [a] vtrū antem horum alterius gratia dicimus? generationémne essentiæ gratia? vel essentiam causa generationis? PR. Hoc quod appellatur Essentia an generationis causam dicamus? hóccine est, quod nunc percontaris? s o c. Videor. PR. Sed per deos quid me interrogas? s o c. Eiuscemodi quiddam, ô Protarche, interrogo, num fabricatio nauium nauigii gratia fit? An contra nauigium fabricationis nauium? Et de omnibus quæcunque talia sunt, idem dico, ô Protarche. PR. Cur non ipse, ô Socrates, tibi ipsi respondes? s o c. Nihil prohibet. Attamen tu quoque simul loquere. PR. Imò. s o. Generationis gratia inquam, pharmaca & organa omnia, omnémque materiam omnibus adhiberi, singulas autem generationes singularum essentiarum, vniuersam denique vniuersæ essentiæ gratia. PR. Perspicuè admodū. s o. Nónne & voluptas, siquidē generatio est, alicuius essentiæ gratia necessariò fiet? PR. Quídni? s o. [b] Quod tale est, vt eius gratia fiat, quod semper alterius gratia fit, in boni sorte locatur: quod verò alterius gratia, in aliam sortem, ô vir optime, reducēdum videtur. PR. Necessarium id omnino. s o. Quamobrem si voluptas generatio est, ad aliam quàm boni sortem

[a] *Generatio est essentiæ causa.*

[b] *Id cuius gratia cætera fiunt, est bonum.*

sortem meritò referemus. PR. Meritò certè. SO. Nónne vt in principio disputationis huius prædixi, dicenti voluptatis quidem generationem, essentiam verò nullam existere, habenda gratia est? Constat enim eos qui voluptatem bonum prædicant ab hoc derideri. PR. Magnopere. SOC. Quinetiam hic idem eos qui generationi impensius studet, ridebit. PR. Quo pacto & quales ais? SOC. [a] Eos qui dum famē sitímque restinguūt, vel aliquid aliud ex iis quæ generatio curat ac sedat, generatione lætantur, quasi ipsa sit: aiúntque vitam se nihil moraturos, nisi sitiant & esuriant, atque aliis quæ hæc sequuntur, afficiātur. PR. Videntur sanè. SOC. Eius autē quod est, Fieri cōtrariū. Destrui ipsum cuncti fatemur. PR. Necessariò. SO. Corruptionem generationémque eligit quisquis hæc expetit: nō autem tertiam illam vitam, quam & lætitia & tristitia vacuam, intelligentiæ verò quoad fieri potest, purissimè compotē proposuimus. PR. A ratione procul, ô Socrates, erit quicúque voluptatem nobis bonū asseuerabit. SO. Procul admodum, quandoquidē & hæc præterea ratione ostendere licet. PR. Qua? SOC. Cur [b] enim absurdum sit, cum nihil bonum decorúmue sit, siue in corporibus, siue in aliis vllis præterquam in anima, in ea tamen solūmodo voluptatē bonū vocare? fortitudinem verò, temperantiā, intelligentiā, ac reliqua quę cunq; bona fortitus est animus, minimè? Ac præterea hominē voluptatis expertē, dolore verò affectū, malū tunc dum dolet, asserere, licet omniū optimus sit, & eū contrà qui voluptatibus delinitur, quo magis gestit, eò vir-

[a] *Voluptas non est bonū quia est generatio tendens ad medium illū statum, in quo neque dolemus, neque gaudemus.*

[b] *Absurda multa sequuntur, si voluptas animi etiam ea qua pura & sincera est, bonum ipsum esse dicatur.*

tute præstantiorē dicere. PR. Hæc, ô Socrates, omnia suprà quàm dici possit, absurda sunt.

SO. Ne tamen disputationem omnē in voluptate consumamus, mentē verò & scientiam prætermittere videamur, [a] age iā si quid [putre habeant, pulsando excutiamus,] donec ad purissimā eorum naturā tandē penetrantes, & ipsam inspicientes, ad iudicandū tum harum, tū voluptatis partibus verissimis vti possimus. PR. Scitè. SO. Nónne aliud nobis scientiā circa doctrinas, aliud circa educationē vel nutritionē exhibet? PR. Sic est. SO. In manuariis primū artib. videamus nū artiū alia sciētia magis, alia minus sit, oporteátq; aliā purissimā, aliam impurissimā arbitrari. PR. Decet profectò. SO. Præcipuas vtiq; à singulis discernendum. PR. Quales, & quo pacto? SO. Vt ecce si quis ab omnib. artibus segregaret numerādi dimetiēdíque & pōderādi peritiā, vile quiddā esset, quod vniuscuiúsq; restaret. PR. Vile profectò. SO. Residuū quippe imaginatione quadā ac sensuū experiētia & exercitatione, cōiecturísq; cōsequi liceret, quas pleríq; [b] artes vocant, cura & labore vim suā omnē adeptas. PR. Necessaria prorsus dicis. SO. [c] An nō musica iis plena est? primò concentū contēperat non mensura, sed [exercitationis atq; industriæ] potius cōiectura, tum vniuersa eius pulsandi facultas mensuram chordæ cuiusque coniectura motæ perquirit. Itaque vt obscuritatem plurimam mixtam habet, ita stabilitatem minimam. PR. Verissimè. SO. Quinetiam medicinam, agriculturam, gubernatoriam, militarem, similiter institutas esse reperiemus. PROT. Quàmmaximè. SOCR. Architecturam ve-

[a] *Inter sciētias quæ puræ, & quæ minus puræ sint, explicatur.*

[*] ἔιπη τι σαθρὸν ἔχει πᾶν περικρούωμεν.

[b] *Ars propriè quid.*

[c] *Musica practica, minus pura est scientia.*

rò

rò mensuræ, & instrumenta iam plurima quibus vtitur illa crebrò, vt [accuratam] maximè, ita supra cæteras artificiosam reddunt. PR. Quonam pacto? SOC. In ipsa profectò nauium & domorum constructione, multisque aliis id genus [fabrilibus artibus] vtitur amussi regulâque, torno, circino, filo, perpendiculo, instrumento quoque ad dirigenda ligna idoneo. PROT. Rectè admodum, ô Socrates, inquis. SOC. Ponamus igitur eas quæ dicuntur artes, in ordine duplici, alias quæ musicam quidem in operibus sectantur, [minus accuratas,] alias architecturæ pedissequas aliquantò plus. PROT. Ponamus. SOC. Harum omnium [accuratissimas,] quas paulò antè primas vocauimus. PROT. Numerandi peritiam, & quas cum illa suprà iunxisti, innuere mihi nunc videris. SOC. Prorsus, sed num, ô Protarche, has iterum duplices affirmare, an aliter debemus? PROT. Quas inquis? SOC. [a] Arithmeticam primò, nónne aliam vulgarium, aliam Philosophantium? PROT. Quánam ratione quis partiens aliam atque aliam arithmeticam assereret? SOC. Haud exigua discrepantia, ô Protarche. Illi enim vnitates inæquales eorum quæ secundum numerũ sunt, dinumerãt, velut duos exercitus, boues duos, duo quæ minima, duo etiã quæ omniũ maxima: hi verò nunquã eos sequerentur, nisi quis partiũ vnitatẽ aliã ab alia vnitate nihil discrepantẽ posuerit. PR. Quàm optimè loqueris, dum multam infers diuersitatem eorum qui circa numerũ versantur, adeò vt decens sit, in duo quædã diuidere. SOC. Quid verò computandi & dimetiendi illa secundã

[a] *Arithmetica duplex.*

architecturam mercaturámve facultas, itémq; illa secundum philosophiam geometria ratiocinatióque diligens, vtrum vna quædã, an duæ potius artes sunt? PRO. Priorem ergo responsionẽ secutus, mea quidem sententia, duas esse ponerem. SOC. Probè: sed num intelligis cuius gratia in mediũ hæc induximus? PROT. Forsitan, attamen quod nunc quæsitũ est, explanare te velim. [SOC. Videtur autem mihi hic noster sermo non minus quàm quum ipsum initio exorsi sumus, quærens diuisionẽ scientiarũ * altera parte respondentem diuisioni voluptatis huc processisse,] dũ indagat, nũ sit scientia quædam alia scientia purior, quemadmodum voluptate voluptas. PRO. Constat horũ gratia [ista illum *sub. sermonem* aggressum esse]. SOC. Quid autẽ? nónne in superioribus repertum est [artẽ aliam alia clariorem & obscuriorem esse?] PROT. Maximè. SOC. In iis autem an non artem quandam ratio velut æquiuocam proferens, & quasi vnam innuens, rursus quasi duæ sint, inquirit, num perspicuitas puritásque illarum penes philosophantes, aut non philosophantes existat? PR. Et maximè quidem id inquirere mihi videtur. SOC. Quale hîc responsum, ô Protarche, reddemus? PRO. O Socrates, ad miram scientiarum differentiam declarandam descendimus. SOC. An non responsio facilis? PRO. Quídni? asseramus itaque has artes longo interuallo à cæteris discrepare. Ab iis præterea eorum qui re vera philosophi sunt, studium mirum in modum synceritate & veritate circa mensuras numerósque differre. SOC. Sunto igitur ista ex tua sententia, nósque cibi credentes, audacter importunis disputatoribus respondea-

* ἀντίστρο-φον.

ſpondeamus PRO. Quídnam? SOC. [a] Duas arithmeticas eſſe, ac duas metiendi artes, aliáſque facultates harum comites plurimas, geminationem habentes huiuſmodi, & in nomine vno communicantes. PROT. Demus ſecunda fortuna his quos importunos vocaſti, reſponſionem hanc, ô Socrates. SOC. Háſne ſcientias quàm maximè ſynceras, atque ſupremas aſſeueramus? PRO. Omnino. SOC. Veruntamen, ô Protarche, nos diſſerendi facultas ipſa facere non patiatur, ſiquam aliam ipſi præferemus. PRO. Quam rurſus hanc dicere decet? SOC. [b] Eam quæ omnē modò inductam peritiam noſcit. hanc enim cùm circa id quod eſt, & verè eſt, & ſemper eodem modo ſe habet, verſetur, arbitror omnes quibus modò aliquid ſanæ mentis adſit, longè omnium veriſſimam cognitionem eſſe protinus conceſſuros. Tu verò, ô Protarche, quid ſentis? PR. [c] Gorgiam ſæpe audiui, cùm diceret perſuadendi facultatē artibus cunctis præcellere: quippe quæ omnia non vi, ſed ſponte ſibi ſubiiciat, longéque omnium artium optima ſit. Nunc verò nec tibi, nec illi aduerſari velim. SOC. Arma mihi vidêris dicere voluiſſe, verùm pudore adductus prætermiſiſſe. PR. Sunto hæc vt lubet. SOC. Egóne in cauſa ſum vt minus bene acceperis? PR. Quid? SOC. Non ego, ô amice Protarche, quæ ars, aut ſcientia omnibus eò antecellat, quòd maxima potiſſimáque & vtiliſſima omnium ſit, ex te quæſiui: ſed quæ perſpicuum, ſyncerum, veriſſimum contempletur, quamuis parua ſit ac minimè vtilis: hoc profectò eſt quod modò quærimus. At vide: nihil enim Gorgiam offendes, ſi eius arti vtilitatis laudem

[a] *Duæ arithmeticæ.*

[b] *Dialectica nomen, Metaphiſica ſeu prima philoſophiæ tribuitur.*

[c] *Artem bene dicendi præferebat omnibus aliis artibus Gorgias.*

præstantiámque concedas: ei verò quam ipse modò narraui, facultati veritatis præcellentiã tribuas, quẽadmodum suprà de albo dixeram quod licet paruũ, si tamẽ purum esset, multo impuróque secundũ veritatis excessum præstaret. Et nunc quidẽ adhibita vehementi meditatione, & satis cõmoda disputatione confecta, ne respiciamus in vlla disciplinarum vel commendationes vel cõmoda: [sed si quæ facultas animi nostri veritatis est amans, eiúsq; gratia cuncta peragit, hanc * dicamus esse aut considerantibus nobis mentis nostræ sagacitatem videndum num hãc scientiã, quã modo commemorauimus: veritatem amplecti probabile sit, an aliam aliquã ipsa præstantiorẽ.] PR. Confidero equidem, concedóque difficile inueniri posse aliam vel artem vel scientiam quæ sibi magis vindicet veritatem. S O C. Nunquid tale quiddã cogitans, hæc modò dixisti? quòd videlicet artes multæ, & quęcunque cisca hæc versantur, primò quidẽ opinionibus vtuntur, & quæ circa opiniones consistunt, [cõstituto quodã ordine] perquirunt: siue etiam quæ ad naturã spectant, indaganda quis putet, puta quæ circa mundũ sunt, quomodo videlicet factus sit, quomodo patiatur, quomodo agat p omnẽ vitã scrutatur. fatemur hæc, an nõ? PR. Vtique. S O C. Nec circa ea quę semper existũt, sed quę sunt, erũtq; & fuerũt, hîc versatur, PR. Vera loqueris. S O C. Nũ [a] ex iis quæ nũquã aut in præterito, aut futuro, aut præsenti eodẽ modo se habẽt, aliquid exactissima veritate pspiciũ esse dicemus? PR. Nõ licet. S O C. Etenim in iis quæ nullã prorsus stabilitatẽ habẽt, quo pacto nos stabile quicquã assequeremur? PR. Nulla vt arbitror ratione. S O C. Neq; mẽs igitur, ne quis

* Nempe Dialecticam, seu metaphysicã.

[a] *Physica scientia non est firma, nec certa.*

neque sciētia vlla circa ista est, veritatē supremam habens. PR. Consentaneū. SOC. Te igitur & me, & Gorgiam, atque Philebum valere sinamus: hoc autē ratione nunc asseramus. PR. Quid istud? SOC. Quòd illa nobis facultas firmitatem, puritatem, veritatem, syncēritatem continet, [a] quæ circa ea quæ semper eodem modo & simplicissima sunt, stud t, aut quod secundo loco quā maximè illis proximū. Reliqua omnia secunda & posteriora dicenda. PROT. Vera nimium. SOC. Atqui illa nomina quæ circa talia quædam pulcherrima omniū sunt, an non rebus, quoque pulcherrimis assignanda? PROT. Par est. SOC. Mens & sapientia nomina sunt omnium pretiosissima. PRO. Sunt. SOC. Hæc igitur cognitioni eius quod verè est, exactissima ratione perfecta atque tributa rectè vtique accommodantur. PROT. Prorsus. SOC. At quæ ipse in iudicium suprà produxi, non alia sunt quàm hæc nomina. PR. Haud alia. SOC. Cæterum si quis mixtionem voluptatis & sapientiæ nobis velut opificibus propositum dicat, vt quæramus ex quibus & in quibus confletur, rectè coniiciet arbitror. PROT. Et maximè quidem. SOC. Itaque deinceps miscere conandum. PROT. Conandum planè. SOC. Nónne hæc priùs dicere, & in memoriam reuocare præstabit? PR. Quæ? SOC. Quæ & antea memorauimus? præclarum nēpe * prouerbium illud quod dicitur, quæ pulchra sunt, & bis & ter repetēda esse. PR. Quidni? SOC. [b] Age igitur per Iouem. sic enim existimo superiora dicta fuisse. PROT. Quomodo? SOC. Philebus voluptatem inquit finē rectum cunctis animalibus esse, omniáque ad eā intendere oportere, atque id bonum ipsum

a *Metaphysicæ subiectum.*

* prou. δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά.

b *Recapitulatio superiorum.*

vniuersis existere: præterea duo hæc nomina bonum & iucundū eidem naturæ congruere. Socrates autē primùm id minimè esse inquit: vtq; duo nomina sunt, bonum atque iucundū, dūas etiam differentes esse naturas. Quinetiā sapientiā magis quàm voluptatē boni participem esse. Nonne hæc, ô Protarche, sunt quæ dicebantur? PR. Maximè. SO. Hoc quoque & tunc & in præsentia nónne confitendum erit? PR. Quale? SOC. Ipsius boni naturam hoc præcipuè ab aliis discrepare. PR. Quonā? SOC. Cuicunque hoc adest ex viuentibus semper & omnino & vndique, id nullo alio indiget, perfectamque sufficientiam continet. itáne? PR. Ita prorsus. SOC. An non ratione ipsa conati sumus alterum ab altero seiungere, voluptatem, à sapientia, sapientiam à voluptate, sic vt altera alterius ne minimum quidem participet, sic in vitam cuiusque respicere? PRO. Certè. SOC. Visúmne tunc alterutrum ex his sufficiens esse? PROT. Et cui videatur? SOC. Quòd si quis fortè tunc præterueetus est, nunc refumens rectius asseueret: & cum memoriam, scientiā, sapientiam, verā opinionē eiusdē * ideæ ponat, cōsideret vtrùm absq; his aliquis, vel se, vel aliū aut esse quicquā, aut quicquam fieri exoptet, nedum vt voluptatem seu plutimam seu vehementissimā sine iis eligere debeat. Siquidem his priuatus neque rueta gaudere se opinabitur, neque qua conditione affectus sit, vllo modo noscet, neq; affectus ipsius memoriā per tempus aliquod reseruabit. Eadem quoque de sapientia dicas. Num quispiam procul ab omni etiam minima voluptate sapientiam adipisci, quàm cum voluptatibus quibusdam malit, aut voluptates omnes

* Idea pro specie seu forma.

fine

sine sapiētia potius quàm cū sapientia quadā? PR. Nullus, ô Socrates. Veruntamen nihil opus est hæc sæpius percontari. SOC. [2] Quapropter horum neutrum perfectum, & omnibus expetendum, ac penitus bonum. PR. Neutrum. SOC. Aut igitur bonum ipsum perspicuè, aut figuram eius aliquam sumere decet, vt quemadmodum diximus, cui potissimum secundæ partes tribuendæ sint, videamus. PRO. Scitè admodum loqueris. SOC. An non semitam ad bonum ipsum quandam ingressi sumus? PRO. Quam? SOC. Si quis hominem aliquem quærens, domum quam inhabitat, primum cognorit, adminiculum sanè ad eum inueniendum ingens habebit. PR. Quidni? SOC. Ita & nos præsens atque superior ratio monuit ne in simplici vita, sed mixta, bonum ipsum indagaremus. PR. Omnino. SOC. At spes certior, in eo quod pulchrè mixtum, quàm in oppositio nos quod quærimus reperturos. PR. Certior sanè. SOC. Misceamus igitur, ô Protarche, diis antè vouentes, siue Dionysius, siue Vulcamus, siue alius quispiam deorum sortitus est mixtionis officium. PR. Ita prorsus agendum. SOC. Atqui nobis tanquam vinum miscentibus quibusdam, fontes adstant. [b] Et melli quidem voluptatis fontem comparare quis potest: verum sapientiæ fontem sobrium & vini expertem quæ cuipiam acri, atque etiā saluberrimæ. Hos ergo liquores quàm pulcherrimè in vnum confundere studeamus. PRO. Studendum certè. SO. Dic age primùm: si omnem voluptatem cum omni sapientia misceamus, num pulchrè iunxerimus? PR. Forsitan. SOC. Verum minimè tutum. Quo tamen pacto securius misceamus, me nunc de-

[2] *Nec voluptas seorsim, nec sapientia item per se sunt bonum.*

[b] *In mixtione Sapiētiæ cum voluptate: voluptas melli, sapientia aquæ comparatur.*

claraturum confido. PRO. Dic quomodo. SOC. Patuitne in superioribus aliâ voluptatẽ alia, rursúsque scientiam aliam alia synceriorem esse? PR. Patuit planè. SOC. Scientia quoque à scientia differens, & altera quidem circa illa quæ oriuntur & occidunt, altera circa ea quæ neque fiunt, neque intereunt, sempérque secũdum eadem eodẽ modo se habent. Atque hanc ad veritatẽ ipsam respicientes, illa veriorẽ esse putamus. PRO. Recte admodũ. SOC. Si vtriúsque portiones verissimas inuicem primũ cõmiscea mus, nunquid istarũ mixtio sufficiens erit ad vitam nobis optabilissimã exhibendã? aut alio præterea quodã & non talibus egebimus? PR. Mihi quidẽ videtur sic agendum. SOC. Esto igitur nobis vir quidã sapiens qui norit quid ipsa iustitia sit, rationémque intelligentiæ comitẽ habẽt, nec non reliqua cuncta quæcũque sunt similiter calleat. PRO. Esto sanè. SOC. Num hic sufficienti scientia præditus erit, si a circuli & sphæræ ipsius diuinæ rationẽ teneat, humanã verò hãc sphærã & hos circulos prorsus ignorẽ, dum in architectura similibúsque operibus canonibus, id est, regulis circulísque vtetur? PR. Ridicula erit, ô Socrates, cognitio nostra, si in diuinis duntaxat versetur. SOC. Quid ais? num falsi canonis atque circuli impurã & inestimabilẽ artẽ in cõmune inserere & immiscere debemus? PRO. Necessariũ hoc est, si modò quis nostrũm vel viã quæ ducat domũ repertурus sit. SOC. An verò & musicã, quã paulò antè diximus cõiecturis imitationéq; plenã, à puritate, pcul abesse? PR. Necessariũ id quoq; si quidẽ vita nostra, aliquando vita futura sit. SO. Vis ergo tanquã ianitor à turba pulsus atq; coactus, ego nunc superatus fores pendã scié-

tiásque

a *Intelligit Ideã ipsam circuli & sphæræ.*

tiásque omnes confluere iam & confundi sinam, cũ pura passim deteriorẽ? PR. Haud scio, ô Socrates, num quis à scientiis aliis lædatur, qui primas habet. SOCR. Permitto iam cunctas in Homericæ* mixtionis velut conuallem quandam, eámq; valde poëticam cõfluere. PR. Fluant. SOC. Rursus ad voluptatũ fontem proficiscendũ videtur: quando enim ipsas miscere cogitauimus, partes veras primũ, id nobis datũ non est, sed quia omnem scientiam amplectebamur, in idem concurrere ipsas aceruatim permisimus, & prius quàm voluptates. PR. Vera loqueris. SO. Est igitur tempus, vt de voluptatib. etiam consultemus, vtrum & ipsæ aceruatim omnes, an primæ duntaxat, ac veræ sint admittendæ. PRO. Permultum ad securitatem interest primas verásque admittere. SOC. Harum ergo cõmerciũ admittatur. At quid deinceps? si quæ necessariæ sunt, num quẽadmodũ & istic, hę quoque in mixtionẽ sunt accipiendæ? PRO. Quid prohibet? Necessaria videlicet. SOC. Si autẽ quẽadmodum artes omnes nosse innocuũ & vtile in vita esse constitit, ita nunc de voluptatib. constet. videlicet quod omnib. frui innoxium & vtile sit, fortè erunt omnes omnib. immiscendæ, quid ad hæc? PR. Qua ratione de his loquemur? & quomodo agemus? SOC. Nõ à nobis Protarche tale aliquid, sed ab ipsis voluptatib, & scientiis quęrendum. PRO. Quid istud? SO.[a] O amice (siue voluptates, siue alio quodã nomine appellare vos deceat) vtrũ eligitis cum omni sapientia congredi, an esse seorsum à sapientia? Reor equidem hoc illas necessariò responsuras. PROT. Quid? SOCR. Quòd quẽadmodum in superiorib. dictũ est, nec possibile, neque vtile est genus aliquod

* μισγάγκεια.

[a] ἐικὼν qua voluptates & sapientia inducuntur loquentes.

purum, seorsum, solitariúmque esse. Omnium verò generum optimum, si vnum vni cohabitet, nobis fore putamus genus ipsum, [a] quo tũ cætera omnia, tũ etiam singulæ nostræ vires perfectè nosc̃untur. PR. Et rectè quidẽ respondisse illas meritò confitebimur. SOC. Restat vt mentem & sapientem rogemus, cùm ipsa mixtione quodammodo voluptatibus egere dicamus, qualib. præcipuè voluptatibus egeãt. PR. Meritò. SOC. Nostra verò posthac interrogatio talis erit, vnum præter illas veras voluptates vobis opus est vehementissimarũ maximarúmq; voluptatũ commercio. Fortè sic illæ respondebunt: Et quo pacto, ô Socrates? HÆC nãq; impedimenta nobis innumerabilia præbent. Animas [b] siquidẽ quas incolimus, voluptates furiosæ perturbant, nec adolescere nos permittunt, nostrásque progenies vt plurimum per negligentiam obliuione illata omnino corrumpunt. Alias autẽ voluptates veras ac puras quas ipse narrasti, fermè nobis domesticas arbitrare: ac præter istas, illas insuper, quæ cum sanitate & tẽperantia cæterísque virtutib. capiũtur. Has enim quæ virtutis tãquã deę cuiusdã pedisequę sunt, libẽter admittimus. Quæ verò cũ dementia, & alia improbitate congrediuntur, eas menti miscere absurdum est, si quisquã pulcherrimam illam cernés concordémq; mixtionẽ atque temperiem, in ea perdiscere quid & in homine & in vniuerso suapte natura bonum sit, quæve ipsius idea existat, diuinare velit. An non sapienter & tanquã sui cõpotem mentẽ hæc, & de seipsa, & de memoria, rectáq; opinione respondere dicemus? PR. Omnino quidẽ. SOC. Atqui & hoc necessariũ est, nec vnquã aliter fieri

[a] *Sapientia intelligitur.*

[b] *Vehementes voluptates sapientiæ officiũt.*

fieri posset. PRO. Quid istud? SOC. Cui veritatem non miscemus, nunquã id vere fieri aut factum esse possit. PROT. Quo enim modo? SOC. Nullo. verum siquid huic mixtioni vlterius deest, dicite tu & Philebus. Mihi enim tanquam mũdus quidã incorporeus animato corpori pulchrè dominaturus sermo hic peractus fuisse videtur. PROT. Mihi quoq;, ô Socrates, idem videri scito. SOC. Nónne si cerni ipsius [& habitationis eius vestibulũ nos modò ingressos esse dicamus, forsitan rectè quodam modo profiteamur? PROT. Mihi sanè videtur. SOC. Quid igitur in huiusmodi mixtione pretiosissimum, maximéque cur cõstitutio hæc omnib. gratissima sit, nobis in causa esse videtur? Si enim id nouerimus, mox perpendemus voluptatíne an menti cognatũ magis propiúsq; in vniuersõ consistat? PRO. Scitè. Id enim ad disceptationem nostrã maximè conferet. SOC. Atqui nequaquam inuentu difficile est, quæ causa sit, ob quam mixtio quæ vel plurimi vel minimi faciẽda sit. PRO. Quo pacto inquis? SOC. Nullus hoc hominũ ignorat. PRO. Quid hoc tandem? SOC. Quòd quæcũque & qualiscũque mixtio expers vel mensuræ est, vel naturæ commensurati, necessariò omnia quæ mixta sunt, sed & seipsam primò perdit. Neque enim tẽperies hæc est, sed quædam intẽperata cõgeries verè talis fit, plerunque iis qui re vera eam possidẽt calamitas. PRO. Vera loqueris SOC. Nũc quidẽ nos ipsius boni potentia in naturam pulchri se transferens eam fugit. Moderatio enim commensuratióque, pulchritudo planè ac virtus vbique fit. PROT. Protsus. SOCR. Quinetiam veritatem diximus ipsis in ea temperie commisceri. PR.

a *Quænam sit Boni causa vitæ mixtæ ex Sapientia & voluptate.*

* Idea pro forma.

a Omnino, s o. Quòd si bonũ ipsum vna* idea cõsequi non licet, saltẽ vnà cum trib. pulchritudine, commensuratione, veritate cõprehendentes, dicamus id vniuersum velut vnũ, causam eorum quæ in mixtione sunt esse, & propter hoc, vtputa quod bonum sit, mixtionem fieri talem. PROT. Rectè nimium. s o c. Vnusquisque iam, ô Protarche, facilè arbitror de sapientia & voluptate iudicarit, vtra earum optimo isti cognatior, & præstans magis, & apud homines, & apud Deos esse contingat. PROT. Constat quidem: attamen ratione id quoq; dicendo percurrere præstabit. s o c. Secundũ quodlibet igitur horum trium, de voluptate & sapiẽtia iudicemus. b Videndũ enim vtri vnumquodque triũ cognatius asseramus. PR. Num de pulchritudine, veritate mensuráque loqueris? s o c. Certè. primùm igitur veritatem sume Protarche, cúmq; sumpseris, ad tria iam respice, mentem, veritatem, & voluptatem: & postquã diu maturè cõsideraueris, tibi ipsi responde, vtrum voluptas, an mẽs veritati propinquior. PR. Quid diuturna meditatione opus est? Permultum vt arbitror interest. Voluptas enim maximè omniũ temeraria. *Fertur enim [quòd in venereis voluptatibus quæ vehementissimæ sunt omniũ æstimantur, peierantibus, dijs prorsus ignoscũt, eo quod instar puerorum voluptates, nullius sint intelligentiæ compotes.] Mens autem, aut idem est quod veritas, aut omnium certè similima atque verissima. s o c r. An posthac mensuram illam moderationémque considerandum restat, voluptásne an sapientia eius sit capacior? PR o. Id quoque quod nunc infers, exploratu perfacile est. Reor equidẽ nihil volu-

b *Mens seu Sapientia propinquior est ei quod boni est causa in vita mixta quã voluptas.*

v Peierantibus, propter venereas voluptates deos ignoscere fertur.

voluptate, eiúſque exultatione immoderatius inueniri poſſe: nihil contrà, mente & ſcientia moderatius. SOC. Præclarè, verùtamen tertiú quoque reſpõde. Mẽſne pulchritudinis magis eſt particeps, an ipſa voluptas? quídue pulchrius? an mẽs voluptate, an cõtrà? PR. Mentẽ quidẽ & ſapientiã, ô Socrates, nemo vnquam aut reuera aut falsò deformẽ vel vidit, vel aliquo pacto cogitauit, aut fuiſſe vnquã, aut eſſe, aut deinde futurã. SOC. Rectè. PR. Si quẽ verò voluptatib. præſertim maximis fruentẽ aduertimus, vel quòd ridiculæ, vel quòd obſcœnæ ſint, ipſi quidẽ erubeſcimus, atq; celamus, noctis tenebris talia cómittentes, quaſi ſint diurni luminis indigna cõſpectu. SOC. Cũctis igitur, ô Protarche, & per nũcios & voce præſenti declarato, quòd voluptatis poſſeſſio neque primũ eſt, neque ſecundũ bonum. Sed primum circa menſurã & moderationem, & opportunitatem & quęcunque talia ſempiternã quandam naturã ſortita eſſe putare decet. PR. Apparet vtique ex iis quæ modò ſunt dicta. SOC. Secundũ deinde circa commenſuratũ, & pulchrum, perfectũ atque ſufficiens, & quotcunque huius generis ſunt. PR. Videtur. SOC. Tertium, vt ipſe vaticinor, aſi mẽtem ſapientiámque poſueris, haud procul à veritate diſcedes. PR. Fortè. SOC. Quarta verò ſunt quæ ipſius animæ propria potuimus, ſcientiæ & artes opinionéſque rectæ, quæ ideò tribus illis ſtatim ſuccedunt, quia bono ſunt quàm voluptas cognatiora. PR. Fortaſſe. SOC. b Quinto loco pone voluptates eas, quas expertes moleſtiæ definimus, quas puras nominabamus animæ ipſius ſcientias, ſenſus autẽ ſequentes. PR. Fortaſſis. SOC. In ſexta verò progenie, inquit

Bonorum gradus.

a *Mens tertium gradũ in Bonis obtinet.*

b *Voluptates puræ quintũ locũ tenent.*

Orpheus cantilenę ornatũ finite. Nostra quoque oratio in sexto iudicio finiri videtur. vnde nihil deinceps nobis aliud restat, nisi vt dictis tanquam caput adhibeamus. PRO. Decet profectò. SOC. Tertio iam orationẽ eandem conseruatorem deum contestati breuiter percurramus. PRO. Qualem inquis? SOC. Philebus quidẽ inquit, omnem penitus voluptatẽ nobis ipsum bonum esse. PROT. Tertio, ô Socrates, quẽadmodũ videtur: dicebas paulò antè repetendam orationẽ esse. SOC. Hoc ipsum quod autem sequitur audiamus. Equidẽ quod modò dixi, orationem Philebi aliorúmq; innumerabilium cõsiderans grauitérq; ferẽs, meam tem longè meliorem potiorémq; hominum vitæ quàm voluptatẽ contendi esse. PRO. Dicta hæc sunt. SOC. R. Suspicatus tamen esse & alia multa intuli, quod si apparuerit aliquid ambobus hisce præstantius, pro mẽte ipsa aduersus voluptatem de secunda sorte pugnarem voluptátsque secundis etiã honoribus spoliaretur. PROT. Hæc quoq; dixisti. SOC. Præterea cùm dixissem bonũ ipsum esse omnium sufficientissimum, neutrum ex iis tamen sufficiens esse constitit. PROT. Vera narras. SOC. Et cum in ea oratione nec mens nec voluptas sibiipsi sufficientem perfectámque, vim habere viderentur neutram esse bonam ipsum apparuit. PRO. Rectè admodum. SOC. Quinetiam cum tertium quiddam vtraque melius esse constaret, mens vtique lõgo quodam interuallo propinquior potiori superantíque ideæ quàm voluptas eluxit. PROT. Quidni? SOC. Ergo nónne quintum gradum ex ea sententia quam præsens iudicium protulit, voluptatis potentia sortiretur? PRO. Videtur. SOC.

Primùm

Epilogus tertius dialogi.

PRIMVM tamen voluptati locum omnes bones darent,& equi,& feræ deniq; omnes: quibus plurimi fidem, haud secus quàm augures auibus,habentes voluptates ad bene viuẽdum potissimas omnium arbitrantur: ferarúmque amores, locupletiores testes asserunt, quàm tot responsa philosophorum. PR. Verissima, ô Socrates,te narrasse cũcti fatemur.SOC. Nónne ergo me iam dimittis? PR. Exiguum adhuc quiddam restat,ô Socrates: neque enim prius tu quidem discedes: ego verò quæ restant, in memoriam tibi reducam.

a *Voluptati ferarum & eorum qui sunt feris similes iudicio primus loc⁹ in bonis assignatur.*

PLATONIS HIPPIAS MAIOR, vel,de pulchro.

Marsilij Ficini Argumentum.

DE *pulchro,in Phædro, Sympolio, & Hippia disputatur. In Hippia,qua Socrates agit aduersus Hippiam sophistam, qui cùm ignoraret,se scire putabat quæ ignorabat: animum reddit indocilem, quid pulchrum si nõ satis docet, sed quid non sit ostendit,& opiniones falsas redarguit.* b *Sophistam vocat eum qui se sapientem videri magis quàm esse studet,pecuniarũ honoris⁹ gratia. Talem verò Hippiã esse in proœmio declaratur. & in fine proœmy. Sumpta occasione ab oratione quadam Hippiæ quæ de pulchris officiis disserebat, interrogat Socrates quid ipsum per se pulchrum quo reliqua omnia pulchra fiunt. Oportet enim particularia ad vniuersale quod in particularibus & vniuersale quod in particularib. ad ipsum quod supra singula est vni-*

b Sophista quid.

uersale referre. In primis Hippias pulchram virginē ipsum pulchrum esse respondet. Quod esse falsum ex eo constat, quod nō omnia quæ pulchra sunt per virginem pulchra fiunt. Et virgo si cum brutis comparetur, pulchra: si cum diis, deformis apparet. Quare nō magis pulchra quā turpe esse videtur. Tū Hippias aliud quidā similiter è singulis pulchris, nō cōmune respondet, Aurum quippe ipsum pulchrū, quo omnia pulchra fiunt. Quod ea ratione reiecit Socrates, quoniam aurum quibuscunque conuenit, pulchra illa facit: alia verò deformat. Ergo non simpliciter pulchra facit, sed cū decet. Quocirca non sit magis quā alterius ratione res ornat. nec aurū solū est, quo cuncta ornantur, sed argentū quoq; & ebur, cæteraq; huiusmodi. Tertio loco aliud quiddam inferit, quod etiā proprium est potius quā cōmune. Pulchrū, inquit, corpore bene valere, diuitem esse & honoratum, senē mori, sepelri à filiis, sepelisse parentes. Falsum hoc esse patet, quia nō res omnes præter hominem hoc ipso pulchræ reddūtur. præterea hoc inter homines fortè pulchrum: inter deos deorúmque filios turpe, vbi parentes non moriuntur. His redarguit quæ circa singula corporea per sensum & opinionem Hippias adducebat. Socrates iam ad altiora tendens, non quod sensus opinioni, sed quid opinioni ratio perrigit infert. Primò enim decorū pulchrum dicit. Quod quidē incorporeū est magis, pluribusq; commune. Id tamē hac diuisione refellit. Decorū aut videri solum pulchro, aut tā videri quàm esse præstat. Si primū, deceptio quædam circa pulchrū, potius quā ipsum pulchrum, decorum existit. Vera enim pulchritudo pulchra esse facit, quemadmodum vera magnitudo, magna, etiā si non videantur. Si secundum dixerit, falsò dixerit. Nam si ipsum pulchrum quoties esse dat pulchra, videri quoque pariter largiretur, quæcunque pulchra sunt, vt sunt, ita omnibus apparent. Id esse falsum, cō-

ten-

tentiones de rebus pulchris & controuersiæ nobis oſtẽdunt. Secundò aliud quiddã etiam, quod ratio opinioni offert, adducit. Vtile porrò pulchrũ vocat. Quod decens pulchrũ non ſit, conſtituit: quòd nec vtile: ſic oſtendit. Vtile eſt quod potentiã ad aliquid faciendũ habet. Potentia igitur & vtilitas idem. Quicquid agimus potentia quadã agimus, ſed mala vt plurimũ facimus, potentia itaq; & vtilitas malum vt plurimum inferunt, pulchrum autẽ nunquã mali cauſa. Ergo non ſimpliciter quæcunque vtilitas pulchrum. At ſaltem quæ ad bonum confert, reſpondebit quiſpiã: aduerſus quẽ ſic argumẽtatur: Quod ad bonum tendit, conducibile: Conducibile bonum efficit: quod aliquid efficit, aliud eſt quã id quod efficitur: quapropter aliud conducibile, aliud bonum. Conducibile, & pulchrum, idẽ. Ergo pulchrum & bonum aliud. Neque pulchrum igitur bonum, neq; bonum pulchrũ, quod prorſus abſurdum. Tandẽ ſenſus opinioni, cogitationiſq; conuictu erroribus mens rationi dicitat, pulchrum eſſe gratiã quandã, quæ animã per mentẽ, viſum & auditum mouet & allicit. Quod ſanè partim ex huius dialogi calce, partim ex Phædro & Sympoſio Platonis elicitur. Qua ratione gratia hæc inſit, & quo nomine nuncupãda, inquit Socrates, nec tamen ambitioſo ſophiſtæ declarat, quæ Phædro reuelauit, & Agathoni, qui quãuis ignorarent, ſuã tamen ignorantiam agnoſcentes, dociles erant. Gratia profectò pulchritudo eſt, non ratione ſenſus, quia mẽti non conuenit & cæterũ cenſibus æquè vt auditui viſuiq; cõpeteret. Non ratione mẽtis, quia oculos auréſque effugeret. Non voluptatis etiam ratione, quia hæc non in auditu & viſu duntaxat, ſed in omnibus ſenſibus reperitur. Non ratione auditus ſolum: non enim menti viſuique congrueret. Non ratione viſus: Aud tui nanque mentique deeſſet. Non ratione auditus viſuſque ſimul, quia in viſu auditui

vna coniuncta pulchritudo ineſſet: In vnoquoque verò illorum ſeorſum ab altero agente, pulchritudo nulla. Volumus autem gratiam illam tribus animi vtibus communiter percipi, tribus quoque obiectis earum ineſſe communiter. Quapropter addit voluptates mentis, viſus auditúſque ex eo pulchras eſſe, quòd maximè omnium voluptatum innoxiæ ſunt & optimæ. Si optimas idem quod conducibiles intelexeris, redibit ſuperior ambiguitas. Conducibile bonum facit. ergo boni cauſa: Cauſa & effectum aliud. Ergo aliud conducibile, aliud bonum. Quo ſequitur, aliud pulchrum, aliud bonum eſſe. Ideò neque pulchrum bonum, neque bonum pulchrum. Sin autem optimas, id eſt, innoxias, faciles, ſpiritales, lucentes, vitaléſque, vt ita dixerim, expoſueris, veri compos efficieris. Nam pulchritudo nihil aliud eſt quàm ſummi boni ſplendor, fulgens in iis quæ oculis auribus, mente percipiuntur, pérque illa ad ipſum bonum, viſum, auditum, mentémque conuertens. Quò fit vt pulchritudo circulus quidam diuinæ lucis exiſtat, à bono manans, in bono reſidens, per bonum & ad bonum ſempiternè reflexus. Hoc Socrates myſterium quod à Diotima Sibilla didiciſſe, aſſeruit, non ſophiſtis, ſed diſcipulis reuelauit.

SOCRATES, HIPPIAS.

Sapiens & pulcher Hippia, quàm longo interuallo Athenas veniſti! HIPPIAS. Non datur, ô Socrates, otium. Nam Elienſes ciues quoties cum ciuitate quapiam aliquid eſt tractandum, mihi præ cæteris legationes committunt, idoneum me iudicem, ac nuncium exiſtimantes eorum quæ [à ſingulis

gulis ciuitatibus dicuntur. Quamobrem sæpe & ad alias vrbes, sæpius etiam & de maximis rebus Lacedæmonem legatus accessi. Quo fit vt hæc loca, quod ipse quærebas minus frequentem. SOCR. Hoc certè, ô Hippia, sapientis perfectique viri proprium est. Tu quidem cùm priuatim, multa ab adolescentibus, accepta pecunia, plus quàm conferre illis quàm quæ acceperis, vales: tum publicè patriæ tuæ prodesse, vt decet eum qui non contemnendus vulgo, sed summo in pretio sit habendus. Cæterum, quenam, ô Hippia, causa[a] quòd prisci illi qui sapientum magnum cognomen adepti sunt, Pittacus atque Bias, & qui Thaletis Milesij tempore, quíue deinceps vsque ad Anaxagoram sapientiæ studio floruerunt, vel omnes vel plurimi ciuilibus rebus abstinuere? HIP. Quid aliud putas, ô Socrates, quàm imbecillitatem ingenij, cùm non possent vtraq; priuata & publica prudenter administrare? SOCR. An verò putas quemadmodum cæteræ artes incrementum tempore susceperunt, adeò vt nostri temporis artifices superioribus longè præcellant, ita & facultatem vestram, studium videlicet sophistarum creuisse, ac veteres sapientiæ studiosos si vobiscum comparentur, viles admodum extitisse? HI. Rectè omnino loqueris. SOC. Ergo si hodie Bias reuiuiscat ad vos collatus iure irrideretur, quemadmodum ipsum Dædalum sculptores aiunt, si reuiuiscens talia fabricaret, qualia quondam ex quibus sibi gloriam comparauit, ridiculum fore. HI. Sic se res habet vt ais, ô Socrates. Veruntamen priscos homines præferre semper recentioribus consueui, vt & viuentium inuidiam, & defunctorum indignationem

[a] *Sapientes prisci à Reip. administratione abstinuerũt.*

vitarem. soc. Probè, ô Hippia, & sentire & loqui mihi videris. Ego quoque testari possum te vera loqui. Nam reuera vestra facultas adaucta est, quæ cum priuatis obire etiam publica potest. Gorgias siquidem hic Leontinus sophista huc patriæ suæ legatus venit, vtpote qui esset ad tractanda ista publica munera Leontinorum omnium præstantissimus: is & ad populum concionari præclarè iudicatus est, & priuatim disputando, & cum iuuenibus conuersando, magnum quæstum fecit, cœpitque ex hac vrbe. Quinetiam si audire vis, amicus noster Prodicus & sæpe aliàs publicis muneribus functus est, & nuper ex Ceo insula publicè veniens, cùm in consilio dixisset, summoperè probatus est: & priuatim sui specimè præbens, iuuenésque erudiens, pecunias innumeras est lucratus. E priscis autem illis nullus vnquam voluit argenti mercedem sequi, aut propriam sapientiam in cœtu diuersorum hominum ostentare: adeò inepti & imperiti erant, eósque quanti argentum sit, latebat. Sed vterque illorum quos modò retulisplus argẽti sapientia sua quàm alius quiuis artifex ex qualibet arte cumulauit. Idémque Protagoras ante illos effecit. HI. Nihil, ô Socrates, egregium hac in re nosti. Nam si videres quantum ego argenti lucratus sum, mirareris. Mitto alia. Verùm in Siciliam quandoque profectus, vbi tunc Protagoras habitabat, summóque in honore habebatur, me senior, ego multòquàm ille iunior breui plus quàm centum & quinquaginta minas collegi, & ex regione quadã angusta, Inyca nomine, plus quàm minas viginti: dúmque domum rediissem, patri dedi: quod quidem tam ille quàm reliqui ciues

a *Ironiæ Socraticæ exẽplum.*

vehe-

vehementer admirati sunt. Enimuerò me plures fermè pecunias quàm duos alios simul quoscunque vis sophistas congregasse existimo. SOC. O rem præclaram! potissimum Hippia id argumentum est, quanto & tu & alij huius seculi veteres illos superatis. Nam quanta eorum, quæ ante Anaxagoræ tempora fuerūt, inscitia videri potest? Cum ille, [a] cōtrà ac vobis contigit, amplum patrimonium cùm accepisset, neglexisse dissipasséque dicatur, adeo stultè philosophatus est: déque cæteris illorū temporum sapientibus alia quædā huiusmodi traduntur. Quapropter optimam hanc attulisse cōiecturam videris, quod sapientes nostri superioribus præstant, multúque in hoc consentiūt, *sapientem in primis sibiipsi sapere oportere. Huius autem hæc est summa, vt argentū plurimum acquiratur. Et de iis satis. hoc autē mihi dicas, cùm multas vrbes adieris, vbinam potissimum lucratus es? Num Lacedæmone, quo frequentius es profectus? HI. Nōn per Iouem, ô Socrates. SO. Quid ais nunquid minimum? HI. Imo nihil penitus vnquam. SOC. Monstrū est & mirabile quod dicis, ô Hippia, ac mihi dic: Vtrum sapientia tua illos qui tecum versantur discúntque, meliores ad virtutem efficere possit, néne? HI. Et maximè quidem. SOCR. Nunquid Inyciorum ciuium filios meliores reddere potuisti? filios autem Spartanorum minime? HI. Absit. SOCR. An fortè Siculi meliores fieri student. Lacedæmones negligunt? HI. Imo & Lacedæmones idem affectāt. SOC. Num pecuniarum defectu tua consuetudine caruerunt? HI. Nequaquam. satis enim diuites sunt. SOCR. Cùm igitur sapientiam affectarent, & supperterent facultates, túque illis

[a] *Anaxagoras amplum neglexit patrimoniū vt philosophare tur.*

*Prou. Sapiē tē sibiipsi in primis sapere oportet.

magnas vtilitates afferre posses, cur non inde locupletissimus rediisti? An fortè ipsi Lacedæmones melius quàm tu filios suos erudiũt? Vis ita dicamus, ac tu consentis? HIP. Nullo modo. SOCR. Vtrum iuuenibus Lacedæmone persuadere non potuisti, vt tibi adhærentes magis proficerent ad virtutem, quàm si cum suis vixerint. An parentes inducere non potuisti vt tibi filios potius quàm diligentiæ suæ committerent, si modo filiorum curam haberent? Neque enim adeo inuidebant filiis, vt optimos euadere nollent. HI. Equidem inuidisse non arbitror. SOCR. Nunquid Lacedæmonibus is legibus instituta est? HI. Bonis profecto. SOCR. In ciuitatibus vero bonis legibus institutis virtus maximè omnium honoratur. HI. Maximè quidem. SOC. Tu autem hanc aliis tradere, præ cæteris hominibus optimè nosti. HIP. Prorsus, ô Socrates. SOCR. Qui facultatem equestrem egregiè docere potest, nónne in Thessalia magis quàm in reliqua Græcia coleretur, lucraretúrque plurimũ, similitérque & alibi vbicunque hæc ars in pretio est? HI. Consentaneum id quidem. SO. Qui ergo potis est præclarissimis virtutis præceptis iuuenes instituere, cur non Lacedæmone summopere honoretur, ibíque innumeras affatim pecunias cumulet, ac similiter in quacunque ciuitate Græcorum virtus maximi estimatur? At fortè in Sicilia magis & Inyca, putas ista credere debemus Hippia. Si tu iusseris credendum est. HI. Non est, ô Socrates, mos patrius Lacedæmoniis mutare leges, aut præter instituta sua filios erudire. SOC. Quid ais? Lacedæmonibus haud patrium est, recte agere, sed aberrare? HI. Id haud ego asseruerim.

SOC.

SOC. Rectè vero agerent, si melius, non si deterius iuuenes erudirent? HI. Rectè verùm peregrinas disciplinas lex illorum non admittit. Alioquin si quis vnquam alius ibi docendi gratia lucratus esset, scito me plurimum fuisse lucraturum. Lætantur ergo cum me audiunt, laudántque: sed vt dicebam, lex illorum peregrina vetat. SOC. Legem, ô Hippia, perniciem ciuitatis, an salutem vocas? HI. Constituitur, mea quidem sententia [a], vtilitatis gratia lex, nonnunquam tamen obest, si malè sit constituta. SOC. Nónne vt maximum quoddam ciuitati bonum legem constituunt latores legum, legéque sublata, legitimè in ciuitate viuere non possumus? HI. Vera loqueris. SOCR. Quoties igitur à bono aberrant hi qui leges ferre nituntur, à legitimo legéque discedunt. Quid ad hæc? HI. Exacta quidem ratione sic se res habet, ô Socrates: non tamen sic homines nominare consueuerunt. SOCR. Vtrum, ô Hippia scientes an ignorantes? HIP. Vulgus. SOCR. Qui verum cognoscunt, vulgus sunt? HI. Nequaquam. SOC. At vero cognoscentes, hi quod vtilius est magis legitimum, quàm quod inutile, reuera omnibus hominibus esse censent, nónne fateris? HI. Fateor equidem ita reuera esse. SOC. An non ita est, vt scientes existimant? HI. Prorsus. SOC. Præstat autem, vt tu ais, Lacedæmonios disciplina tua licet peregrina quàm patria imbui. HIP. Et vera loquor. SOCR. Quinetiam quæcunque vtiliora sunt, magis legitima sunt. Hóccine dicis, ô Hippia? HI. Dixi equidem. SOC. Ergo secundum rationem tuam magis è lege est, vt Lacedæmoniorum filij ab Hippia, quàm à parentibus doceantur, quandoquidem tu magis quàm il-

[a] *Lex ciuitatis maximũ bonum.*

li reuera prodesses. HI. Prodessem proculdubio Socrates. SOCR. Contra legem igitur agunt Lacedæmonij, cùm tibi filios suos eruditendos auri oblata mercede non tradant. HI. Assentior equidem: videris enim pro me dicere: quamobrem repugnare tibi non decet. SOCR. Bonarum legum, ô amice violatores Laconas esse inuenimus, & in rebus quidem maximis, cùm tamen optimis legibus vti videantur. Te verò quando potissimum laudant, Hippia, & quibus rebus audiendis præcipuè delectantur? An videlicet cum illa natras, quę ipse egregiè nosti, astra cœlestiúmque corporum affectiones. HI. Nullo modo hæc sustinent. SOC. Num geometriæ sermo illos oblectat? HI. Minimè omnium: nam multi admodũ ex illis, vt ita dicam, ne numerare quidẽ sciunt. SOC. Longè igitur abest vt supputationes libenter audiant. HI. Longè per iouem. SOC. Nunquid illa quæ tu acutissimè omnium hominum intelligis literarum syllabarúmque distinctiones, rhythmorum harmoniarúmque naturas? HI. Quas, ô bone vir, harmonias, ac literas? SO. At quæ tandem ista sunt, quæ audientes illi lętantur, téque laudant? Tu saltem referas, postquam ego inuenire non possum. HI. Stirpem heroum atque hominum, & habitationes, vt vrbes quondam extructę sint, ac summatim omnem antiquitatis historiam attentè audiunt. Quocirca illorum causa edissere, meditarique huius generis omnia coactus sum. SOC. Quàm bene tecum actum est, ô Hippia, quòd Lacedæmonij molestè ferant, si quis nostros principes incipiens à Solone recenseat! Alioquin eorum nominibus ediscendis fatigari te oportuisset. HI. Quid fatigari So-

Socrates? semel audiens quinquaginta nomina memoriter repetam. SOC. Ain verò? Sed ego te memoria pollere non aduerteram. Quapropter Lacedæmonios te meritò delectari tanquam multarum rerum perito iam intelligo, téque perinde vti, ac aniculis pueri, ad confabulandi iucunditatem. HI. Per Iouem, ô Socrates, nuper ibidem de pulchris studiis, quibus incumbere iuuenem decet, differens admirationi fui. Extat enim de iis à me composita luculenta quædam oratio, quæ præcipua verborum elegantia pollet, forma verò & principium orationis eiusmodi est. *Capta*, inquit, *oratio, Troia, Neoptolemus Nestorem interrogauit, qua pulcherrima essent, quibus incumbens iuuenis, vir illustris euadat. Cui respondens Nestor, multa & pulchra præcepta recenset.* Hanc equidem orationem ibi ostendi, & hîc quoque tertio ab hinc die in Phidostrati ludo, atque insuper alia multa auditu digna ostensurus sum. Eudices enim Apemanti filius me rogauit: Quare da operam vt tu quoque adsis, & alios tecum ducas, quęcunque id genus dicta iudicare sciant. SOCR. Ita fiet, si Deus voluerit, Hippia. In præsentia autem breue quiddam de hoc ipso respondę, nam opportunè me admonuisti. Nuper enim, ô vir optime, cùm in sermone quodam alia vt pulchra laudarem, alia vituperarem vt turpia, hanc quispiam in medium dubitationem induxit, me valdè contumeliosè sic interrogans. Vnde tu Socrates pulchra turpiáue cognoscis? potésne quid pulchrum sit definire? ego autem ob ignauiam meam hæsitaui, neque quod accommodatè responderem habui, atque ex cœtu hominum abiens, mihi ipse iratus sum,

ruditatémque meam vehementer accusauit: ac minatus sum, cùm mihi primùm quempiam vestrûm qui sapientiam profitemini, obuium haberem, conaturum me id audire ac discere, & diligenter præmeditatum, ad eum qui rogauerat reuerti, vt rursus eadem de re depugnem. Quapropter nec tu, vt dicebam, peropportune venisti. Doce, obsecro, me quid ipsum pulchrum est: conare, inquam, diligentissimè omnem respondendo rem aperire, ne iterum redargutus irridear. Nosti enim perspicuè, idque exiguum quiddam est è multis disciplinis quas tu calles. HIP. Exiguum per Iouem Socrates, & nullius; vt ita dicam pretij. SOC. Facilè itaque discam, neque vllus vlterius me refellet. HI. Nullus certè. Vile nanque & rude studium meum esset. SOC. Per Iunonem bene loqueris Hippia, si virum illum capiamus. Verum num tibi impedimento fuero, si imitatus illum tibi respondenti me opponam, vt me magis exerceas? Fermè enim obiiciendi formas quoquo modo teneo. Si ergo nihil molestum est, opponam ego me tibi, vt vehementius firmiúsque perdiscam. HI. Obsice vt lubet: nam vt modò dicebam, non ardua quæstio est, sed ad difficiliora te respondere docerem, vt nemo te refellere possit. SO. O quàm bene loqueris! At postquam tu iubes, eius ipse personam indutus, te interrogare aggredior. Si illi sermonem tuum de pulchris disputantem [institutis] ostendisses, quùm primùm finem dicendi fecisses, de nullo alio prius quàm de pulchro quæsisset. Mos enim hic illius, & in hunc modum interrogasset. O Eleensis hospes, nónne iustitia iusti sunt quicunque iusti? Responde quæso Hippia, tanquã per-

percontante illo. HI. Iustitia profectò. SOC. An non aliquid hæc ipsa iustitia est. HI. Prorsus. SOC. Et sapientia sapientes sunt quicunq; sapiunt,& bono similiter bona omnia quæ bona sunt? HI. Quid prohibet? SOC. Sapientiã verò & bonum [aliquid] esse oportet. Nam si ipsa non essent, alia per illa nunquam talia fierent. HI. Sic est. SOC. Nónne & pulchra omnia ipso pulchro sunt pulchra? HI. Pulchra certè. SOC. Estne igitur ipsum pulchrũ aliquid? HI. Est proculdubio,sed quorsum? SOC. Hîc ille ítatim quæret: Dic hospes,quid hoc ipsum pulchrum est? HI. Num qui hæc interrogat, audire aliud quærit quàm quid sit pulchrum? SOCRA. Non mihi videtur, sed quódnam est ipsum pulchrum. HI. Quid hoc ab illo differet? SOC. Nihílne tibi videtur? HI. Nihil certè, non enim differt. SOC. Constat enim te melius nosse. Considera tamen: a non quæ res pulchra est, ille petit,sed quid ipsum pulchrum est. HI. Intelligo iam,ô bone vir, [& quid ipsum pulchrum sit,] respondebo adeò vt nunquam redarguar. b Si verũ dicere oportet,scito Socrates virginẽ pulchram ipsum pulchrum esse. SOC. Præclare per canem,ô Hippia, & decorè admodum respõdisti. Nũquid ergo si hoc respondero,ad interrogata respõsũ erit & rectè,neq; refellar? HI. Qua te ille ratione corripiet si quod omnibus videtur,& de quo audiẽtes singuli pro te testabuntur,respõderis? SOC. Esto sanè. Sed mecũ ipse,ô Hippia quod dicis,reputo. Ille si quidẽ ita percõtabitur. c Age respõde mihi, ô Socrates,hæc omnia quæ pulchra dicuntur, si quid ipsum pulchrũ est, per ipsum sunt pulchra;ego autẽ respõdebo. Si pulchra est virgo,

a *Aliud est res pulchra, aliud ipsum pulchrum.*

b *Prima definitio pulchri allata ab Hippia.*

c *Confutatio definitionis.*

ipsa est pulchrum illud propter quod hæc pul
chra fiunt. HI. Putásne illum te reprehen-
dere vlterius auſurum, quaſi non pulchrũ ſit
quod dicis? Vel ſi fortè auſus fuerit, non ab o-
mnibus irriſum iri? SO. Quod quidem aude-
bit, ô vir mirifice, certò ſcio: vtrum verò au-
ſus ridiculus euaſurus ſit, res ipſa oſtẽdet. Quæ
tamen ille inferet, tibi dicere cupio. HI. Dic
iam. SOC. Quàm lepidus es, ô Socrates, dicet.
Pulchra equa, nónne pulchrum? quam in ora-
culo Deus ipſe laudauit. Quid ad hæc, ô Hip-
pia? pulchram equam nónne pulchram eſſe
fatebimur? nã quo pacto quod pulchrum eſt,
eſſe pulchrum negemus? HI. Vera narras, ô So-
crates, rectè quippe Deus cecinit, pulcherrimæ
enim equæ apud nos naſcuntur. SO. Addet
ille poſt hæc, Lyra pulchra, nónne pulchrum?
HI. Ita. SO. Quæret iterum (certus ſum enim,
ex eius moribus coniecturam faciens) O vir o-
ptime, pulchra olla, an non pulchrum? HI. O
Socrates, [qualis homo ille eſt? quàm rudis eſt
& imperitus? qui in re graui & nobili tam vi-
lia nominare audeat?] SO. Talis ille eſt, ô Hip-
pia: non enim comptus vrbanúſque, ſed ſordi-
dus, nihílque aliud præter veritatem curans.
Attamen reſpondendum illi eſt, & ego præſa-
bor, ſi olla à bono figulo facta ſit læuis & ro-
tunda, ſatíſque cocta, quales ſunt ollæ quædã
vtrinque auritæ atque perpulchræ, quæ ſex
choas capiunt: ſi de tali inquam olla interro-
get, reſpondendum pulchram exiſtere. Quo-
modo enim quod pulchrum eſt, non eſſe pul-
chrũ aſſeremus? HI. Nullo pacto, ô Socrates,
SOC. An non & olla, inquiet, illa pulchra pul-
chrum eſt quid? Reſponde. HI. Sic eſſe arbi-
tror, pulchrum quoque vas hoc eſt, quum ex

arte

arte est fictum, sed totũ hoc si cũ equa & virgine, aliisque pulchris omnibus comparetur, tali cognomento indignum est. SOC. En Hippia, iam intelligo quid interrogãti illi qui petit, obiiciendum sit. O vir ignoras quàm scitũ a sit illud Heracliti, Pulcherrima simiarũ deformis est cum alio genere animalium compa rata: nec non ollarum pulcherrima turpis est, si cum virginum genere conferatur, vt sapiẽs Hippias iudicauit. Nónne sic Hippia? HI. Rectè sanè ô Socrates respondisti. SO. Audi, deinceps enim scio sic inferet, Quid si quis genus virginum, ô Socrates, cum deorum genere cõferat, nónne idem patietur quod & olla collata cum virgine? An non formosissima virginum dæmonium esse videbitur? nónne Heraclitus, quem tu in testimonium adduxisti, hoc idem tradit, hominem scilicet sapientissimum ad Deum simiam apparere quo ad sapientiã, & formam, & alia omnia? Confitebimur Hippia, formosissimã virginem cum deorum genere comparatã esse deformẽ? HI. Quis huic Socrates contradixerit? SOC. Si hæc admittamus, ridebit ilico, & in hunc modũ me iterum cõpellabit. Recordaris Socrates quid interrogatus fueris? At ego, recordor equidẽ me interrogatũ fuisse, quid ipsum pulchrũ sit. Tum ille dicet: interrogat' quid pulchrũ sit, b respõdes q; nõ magis pulchrũ quã turpe esse cõtingit, vt tu ipse fateris, ita videri dicã? Dic quídnã tu amice mihi respõdẽdũ cõsulis? HI. Hoc ipsum. SO. Quinetiã quod ad deos collatũ genus hominũ pulchrũ minimè sit, cõcedet. Sin autẽ ab initio te dicet ille rogasse quid pulchrũ turpẽq; est, & tu mihi eadẽ quę in præsẽtia respõdisses, an nõ rectè respõdisses? præterea nũ tibi ipsũ

a *Heraclitidictũ, simiãpulcherrimam esse deformẽ, si cũ alio genere animalium comparetur.*

b *Vniuscuiusque rei Idea cõtrarij sui nullo modo particeps est.*

pulchrum quo decorantur omnia, pulchrăque apparent, quoties illa ſpecies adeſt, virgo videtur eſſe, vel equa, vel lyra? HI. Si id ille quæſierit Socrates, facilimè reſpondebitur quid ipſum pulchrum ſit, quo cætera omnia decorãtur, cuiúſue præſentia pulchra videntur. Ineptiſſimus nempe homo eſt, nihílque de pulchris rebus intelligit. Si enim tu illi reſponderis, pulchrũ ipſum quod quærit, nihil aliud eſſe à quàm aurum, hæſitabit profectò, neque te cõfutare tentabit. Conſtat enim apud omnes, cuicunque hoc adeſt, licet turpe illud antea viſum fuerit, pulchrum videri auro perornatũ.

Secunda definitio falſa.

Confutatio.

SOC. Neſcis Hippia, quàm moleſtus vir ille ſit, quámue difficile dicentibus aſſentiatur. HI. Quid tum? quod rectè dicitur concedat neceſſe eſt, ho enim ſi reſpuerit, ludibrio omnibus erit. SO. Atqui reſponſionẽ hanc non modò non accipiet, ſed acriter me mordebit. O faſtu excæcate vir, dicet, Phidiã rudem artificẽ putas? Et ego illi, vt arbitror, nullo modo putare me dicam. HI. Et rectè quidem. SOC. Rectè proculdubio, poſtquam verò peritum artificẽ Phidiã eſſe conceſſero, hæc inſuper addet. Exiſtimas id quod pulchrum vocas, Phidiã ignoraſſe? At ego, cur ita maximè? dicam. Tum ille, quoniã Mineruæ oculos non aureos fecit, nec reliquum vultũ, neq; pedes, neq; manus: quandoquidẽ ſi aurea fuiſſẽt, pulcherrima extitiſſẽt, ſed eburnea reddidit: in quo certè propter inſcitiã aberrauit, eũ ignoraret aurũ eſſe, cuius præſentia pulchra omnia fiũt quibuſcũque adhæret. quid illi hæc dicenti reſpondebimus, ô Hippia? HI. Nihil arduum. Rectè enim feciſſe fatebimur. Nam eburneum quoque pulchrum eſt. SO. Sed ille, Cur non pu-

pillas

pillas etiã oculorũ eburneas fecit, sed lapideas, inueniens quoad fieri potuit lapidis cum ebore similitudinem? Nũ pulchrum lapidem, pulchrum esse, ô Hippia respondebimus? HI. Imò certè quum decens est. SO. Quum verò non decens, turpe fatendũ, nécne? HI. Fatendum sanè cum minimè decet. SOC. His adiiciet ille, O vir sapiens, ebur & aurũ nónne cũ decent, pulchra omnia reddunt? contrà verò cùm dedecent? Negabimúsne, an fatebimur eum rectè dicere? HI. Fatebimur planè quicquid aliquid decet, pulchrũ illud efficere. SO. Hic ille inferet. Vtrum decet pulchræ ollæ de qua supra diximus, vbi quis eã igni admouerit, plenam bonorum leguminum aureã tudiculam addere an ficulneum? HI. Pro Hercules, qualem hominem narras? Non vis eius nomen proferre? SO. Haud agnoscerem hominẽ licet nomen audires. HI. Veruntamen in præsentia indoctum illum esse cognosco. SOC. Curiosus nimium est, ô Hippia. Cæterũ quid dicemus? Vtram potius è duabus tudiculis leguminis & ollæ congruere? an ficulneam? suauiorem quippe sabarum odorem præstat, neq; colliden frangénsque ollam diffundet leguminas, nec aqua ignem extinguet, neque conuiuas pretioso priuabit obsonio. Contrà verò aurea tudicula, omnia hæc faciet. Quamobrem videtur mihi ficulnea magis decere quàm aurea, nisi tu quippiam aliud dixeris. HI. Decet sanè magis, quamuis ego cum homine talia perquirenti minimè disputarem. SOC. Probè nimirum, ô amice. Tibi enim talibus nominibus repleri non conuenit, cùm tam speciosa amictu calceísque ornatus sis, & inter omnes Græcos sapientia polleas: me au-

tem nihil prohibet, quo minus cum illo verser. me igitur ante erudias, meíque gratia respondere digneris Ille nanque sic deinde perget Si ficulnea decet magis quàm aurea, nónne pulchrior? HI. Quandoquidem quod decet, ô Socrates, pulchrius quàm quod dedecet, es confessus. SO. Nunquid Hippia, confitendum ficulneam pulchriorem esse quàm aureã? HI. Vis tibi dicam Socrates, quomodo pulchrum definiens, [prolixi sermonis ansam illi sis præcisurus?] SO. Quídni velim? modò tamen priùs mihi dixeris vtram è duabus illis tudiculis decentiorẽ pulchriorémque existere respondendum sit. HI. Atqui si vis, illam quę ex ficu est, pulchriorem esse responde. SOC. Nunc iam dicas quod paulò ante incœptabas. Hac enim responsione, qua ipsum pulchrum aurum esse aio, nihilo pulchrius, vt arbitror, aurum, quàm lignum ficulneum apparebit. Nunc denuò quid ipsum pulchrum asseris? HI. Dicam equidem: requirere nanque mihi videris tale quiddã pulchrum respondere: quod nunquã alicui turpe videri queat. SO. Omnino, ô Hippia, rectè nũc accipis. HI. Audi modò, & si quis contra hoc obiicere possit, scito me confiteri, nihil omnino me scire. SO. Dic per Deos citò. HI. [a] Aio equidem semper, apud quemlibet, & vbicunque pulcherrimum esse, vt sanus aliquis sit, diues & honoratus inter Græcos vsque ad senectutem: & sicut parentes suos defunctos egregio funere decorauit, sic à filiis suis præclarè, atque magnificè sepeliatur. SO. Hui, hui, ô Hippia, quàm mirificè & excellenter, & vt te decet, dixisti! per Iunonem valdè te amo, quia mihi videris summa cum beneuolentia pro viribus auxiliari.

[a] *Tertia definitio falsa.*

Virum

Virum tamen illum nondum compræhendimus, sed nunc effusius nos, mihi crede, ridebit. HI. Improbum, ô Socrates, risum. quũ enim nihil aduersus ista proferre valeat, rideat autem, seipsum ridebit præsentibúsque omnibus ipse ludibrio erit. SOC. Fortè sic se res habet: forte etiam ex hac responsione, vt ego vaticinor, non solum illudere me audebit. HI. Sed quidnam? SOC. Si fortè baculum habuerit, neque ego fugiens eum effugero, præclarè me [attingere] conabitur. HI. Quid ais? An tuus ille dominus est? si hoc fecerit, non vocabitur in crimen, ac dabit pœnas? an iniusta vestra ciuitas? cæderéque se mutuò ciues permittit? SOC. Nullo modo. HI. Nónne igitur punietur, si te iniustè percusserit? SO. Non iniustè quidem, ô Hippia, si talia responderem, sed iure mihi videtur. HI. Mihi quoque quandoquidem & tu hæc putas. SO. Vis tibi dicam, quã ob causam me talia respondentem verberibus dignum putem? an tu me incognita causa verberabis, vel rationẽ admittes? HI Graue hoc esset, ô Socrates, si non admitterẽ, sed qua ratione id ais? SOC. Dicam eodem modo quo paulò antè, imitatus illum, ne coram te verba, quibus ille mecum vtitur, proferam duranimium & absurda. Nam sic me proculdubio allocquetur. [Dic age, ô Socrates, an iustè te cædi censes, qui Dithyrambum tam inconcinnè canens, tam absonè & procul à proposita quæstione responderis?] At ego, quoniã pacto interrogabo. Tũ ille, quia nõ potes meminisse, quæsitũ fuisse ipsũ pulchrũ, quòd oĩa quibuscũq; inest, pulchra efficit, lapidẽ, lignũ, hominẽ, Deum, actionem denique & disciplinam omnem, hoc ipsum, ô vir, pulchrum quid

est, perquiro. tu verò non magis audisti me, quàm si lapis coram assedisset, & molaris quidem, nec aures, neque cerebrũ habens. Quòd si ego perterritus, ad hæc ita respondeam, num graviter feres, Hippia? HIP. a Quónam modo? SOC. Sic inquam. Hoc tamen Hippias pulchrũ esse dixit, quamuis ego illum, vt tu me nunc interrogassem, quod omnibus pulchrum, semperque existit. Quid ais? An molestè feres, si hæc dixero? HIP. Certo scio, ô Socrates, quod dixi omnibus esse pulchrum, & ita videbitur. SOC. An & erit? dicet ille. semper enim pulchrum quod pulchrũ. HIP. Omnino. SO. Nónne & erat, interrogabit? HIP. Et erat. SOCR. Ad hæc ille. & nunquid Eliẽsis hospes, inquit, Achilli pulchrum esse, post genitores suos sepultum esse & auo illius Æaco, aliisque quicunque ex diis nati sunt, & ipsis denique diis? HIP. * In malam rem, quid hoc hominis? prophanæ enim sunt, ô Socrates, huiusmodi quæstiones. SOC. Quid verò? percontante alio hæc asserere non valdè prophanum? HIP. Forsitã. SOC. Fortè igitur tu is es, ille dicet, qui cuilibet ac semper pulchrũ esse dicis à filiis funere honorari, parẽtibus parentare. An non ex omnibus vnus Hercules erat, aliisque quos anteà memorauimus? HIP. At verò non diis dicebã. SO. Nec heroibus etiam, vt videris. HIP. Non certè quicunque deorum filij fuerunt. SOC. Illis verò qui non deorum? HIP. His ipsis. SO. Ergo secundũ sermonem tuũ ex heroum numero Tantalo quidẽ & Dardano atque Zeto graue, prophanum & turpe est: Pelopi verò, aliisque similiter genitis pulchrum. HIP. Ita mihi videtur. SO. Ad hæc ille, Tibi ergo videtur, quòd in superioribus nó dicebas, sepelire parentes, à

a Confutatio tertia desinentis.

* βάλλ' εἰς κακοδαίμονα.

filiis

filiis sepeliri, quandoque & quibusdam turpe contingere, imò impossibile esse, hoc omnibus esse pulchrũ. Quamobrem similiter hoc atque superiora illa scilicet virgo & olla, habet: atque etiam ridiculè magis,[a] aliis pulchrum est, aliis minimè. Quocirca sic me ille corripiet. Nondum hodie potes, ô Socrates, quid ipsum, de quo quæritur, pulchrũ sit, exprimere? Et meritò me ita iurgabit, dũ sibi talia respondebo. Talis est, ô Hippia, plurimũ disputatio nostra. Quandoque verò tanquã imperitiam meã & insciti am miseratus, ipse mihi occurrit, interrogans vtrum tale quiddã pulchrũ ipsum esse mihi videatur, vel de quouis alio disputetur & de quo mentio fuerit. HIP. Quomodo id ais, ô Socrates? SOC. Dicam. O beate Socrates, inquit, ita respondere talia desine: inepta quippe sunt, & facilè refelluntur. Sed aduerte, nũ tale quiddam ipsum pulchrum appareat. quod nos suprà tetigimus, quũ aurum diceremus, quibus decens est, esse pulchrum: contrà, quibus minimè: atque alia omnia, quibus ipsum decens, eiusque natura competit, pulchra fieri. Vide igitur num hoc ipsum pulchrum sit, ego autem ista passim concedere consueui. Nam quid obiiciam, non inuenio. [b] Tibi verò decorum, ipsum pulchrum esse videtur? HIP. Omnino, ô Socrates. SOC. Caueamus ne in aliquo deciamur. HIP. Cauendum certè. SOCRAT. Vide itaque, decorum id vocamus, quod adueniens videri pulchra singula facit quibus adest, vel quod esse efficit, vel ex iis neutrum? HIP. Mihi quidem videtur. SOC. Vtrum quod apparere pulchra facit, perinde ac si quis deformis, amictu calceisque decoris ornatus, pulchrior appareat? Nonne si decorum ea qui-

[a] *Definitio debet omni definito cõuenire.*

[b] *Quarta definitio pulchri, qua dicitur pulchrum esse, id quod decet.*

bus ineſt, pulchriora quàm ſint, videri faciat, deceptio quædam circa pulchrum decorum eſſet? neque eſſet hoc quod quærimus, Hippia. Illud quippe quæſiuimus, quo res omnes pulchræ, pulchræ ſunt, quemadmodum omnia magna, exceſſiu magna ſunt. hæc enim omnia magna ſunt: atque etiam ſi non videantur, excedant tamen, magna eſſe neceſſe eſt. Si & pulchrum quæſiuimus, quo pulchra ſunt omnia, ſiue appareant, ſiue non, quid eſſet? Decorum quidem non eſt: pulchriora enim quàm ſint, videri facit vt ipſe aiebas: qualia verò ſunt, videri non ſinit. Quod autem pulchra eſſe facit, quemadmodum paulò antè dicebam, ſiue appareant, ſiue non, quid eſt dicendum: hoc nempe quæritur, ſi modò pulchrum quæritur. HIP. Atqui decorum ô Socrates, & eſſe & apparere pulchra quum adeſt, efficit. SOC. Igitur impoſſibile eſt, quæ reuera pulchra ſunt, non videri pulchra, dum adeſt quod videri facit. HIP. Impoſſibile. SOC. Confitebimur hoc, ô Hippia? omnia reuera pulchrè inſtituta & ſtudia exiſtimari etiá pulchra ab hominibus? vel contrà, ignorari, adeò vt de his homines priuatim & publicè acerrimè pugnent? HIP. Ignorari potius, ô Socrates, arbitror. SOC. Non tamen ignoraretur, ſi vt pulchra ſunt, ita pulchra etiam apparerent: apparerent autem, ſi decorum pulchrum eſſet, neque eſſe ſolùm, ſed videri etiam pulchra cogeret. Quamobrè ſi decorum eſt quod pulchra facit eſſe, eſt vtique quod quærimus pulchrum, non tamen id quod videri cogit: ſinautem videri duntaxat, decorum efficit, nequaquam pulchrum ipſum eſt, quod petimus. eſſe namque illud compellit. Apparere autem ſimul & eſſe, neque pul-

chrum

chra, neque aliud quicquam efficere idem poteſt. Eligamus iam, vtrum decorum eſſe putemus, quod videri pulchra, vel quod eſſe facit. HI. Quod videri, ô Socrates, arbitror. SOC. Papæ, quàm longè nos, Hippia, ipſius pulchri cognitio fugit. poſtquàm decorum aliud quiddam præter ipſum pulchrum eſſe apparuit. HI. Per Iouem, ô Socrates, mihi quidem abſurdè nimium. SOC. Cæterùm, ô amice, nondum dimittamus: neque enim omnem abieci ſpem, quid ſit pulchrum inueniendi. HI. Omnino ſperandum ô Socrates, neque enim inuentu difficile: mihi quippe conſcius ſum, quòd ſi pauliſper ſecedens apud me conſiderarem, accuratius quàm ipſa accuratio eſt, tibi id explicarem. SOC. Heu ne alta id voce dicas, ô Hippia, ne indignetur, longiúſque nos effugiat. nõ vides quantum nos hactenus fatigaueris? Verũ nihil dico. Tu enim cùm ſolus eris, facilè vt puto inuenies. Sed age per deos, me præſente inuenias: & ſi vis, vt hactenus, ita deinceps vnà mecum perquire. Si inueniemus, bene erit ſin minus, ego quidem mea ſorte contentus ero: tu verò poſtquàm abieris, facilè inuenies ſi tamen nunc inueniamus, haud amplius tibi moleſtus ero, quid tecum ipſe excogitauerit, percontans. In præſentia verò conſidera, num tibi id pulchrum eſſe videatur. Attende obſecro diligenter, ne delirem. [a] Hoc vtique pulchrum eſto, quod vtile eſt. Cuius quidem rei hinc maximè coniecturam facio, quia pulchri oculi ſunt, non qui impotes videndi, ſed qui apti & vtiles ad videndum. HIP. Certè. SOCRAT. Et vniuerſum corpus ita pulchrum dicimus, aliud ad curſum, aliud ad luctam. Itémque animalia omnia, vt pulchrum equũ,

[a] *Vtile poſitum, vt idẽ atque pulchrum, inuenitur poſtea eſſe duntaxat genus ipſius pulchri.*

gallúmque, & coturnicem, & vasa omnia, atque vehicula, tum terrestria, tum maritima, naues atque triremes, instrumenta quoque omnia tam ad musicā, quàm ad artes alias pertinentia, item si vis studia atque leges, singula hæc eadem fermè ratione pulchra vocamus, respicientes scilicet qua conditione vnumquodque natum, vel fabricatum, vel locatum vtile est, & qua ratione vtile, & ad quid vtile, & quando vtile, pulchrum esse dicentes: quòd verò secundum hæc inutile, turpe. An non idem tibi quoque videtur, ô Hippia? HIP. Mihi verò. SOC. Probè igitur nunc dicimus, præcæteris omnibus quod vtile est ipsum, pulchrum esse. HIP. Probè admodum, ô Socrates. SOC. Nónne quod efficere aliquid potest, ad id vtile est, quod hoc effici potest? quod non potest, inutile? HIP. Prorsus. SOC. Potentia ergo pulchrum, impotentia turpe. HI. Maxime, nam & alia nobis omnia sic esse testantur, & ciuilia præcipuè. Quoniam in ciuitate sua, atque republica potentem esse, omnium est pulcherrimum, impotentem verò turpissimum. SOC. Præclarè loqueris. Sed nunquid ob hanc ipsam rationem, sapientia pulcherrimum omnium, insciti a contrà turpissimum? HI. Tu verò quid putas, ô Socrates? SOC. Quiesce parumper, ô dulcis amice. Nam de eo quod dicimus, suspicor atque timeo. HI. Quid metuis Socrates? nónne scitè dicta hæc sunt? SOCR. Velim equidem, sed mecum hoc animaduerte, vtrum quis vnquam quod neque scit, neque potest efficiat. HI. Nequaquam. quo enim pacto quod nequit ageret? SOCR. Qui delinquunt, & mala agunt, efficiúntque imprudentes, si hæc non potuissent, nunquid egissent?

egissent? HI. Minimè. SOC. At verò potentia possunt, quicunque possunt: non enim impotentia. HI. Non certè. SOC. Possunt autem omnes facere quæ faciunt? HI. Proculdubio. SOC. Mala verò multò plura quàm bona, omnes homines statim ab ineunte ætate omnẽ vitam agunt, neque sponte delinquunt. HI. Vera loqueris. SOC. Quid porrò? hanc potentiam, atque hæc vtilia quæ ad malorum executionem conducunt, num pulchra vocabimus, an non multùm abest? HI. Multùm, vt mihi videtur, ô Socrates. SOC. Non ergo potens nobis & vtile, vt videtur, ipsum pulchrũ existit. HI. Imò si modò bona possit, ad eáque conferat. SOC. Illud igitur reprobatum est, quòd potens & vtile simpliciter pulchrũ sit. Sed nunquid hoc erat, ô Hippia, ad quod animus noster respiciebat? ipsum scilicet potens & vtile ad bonum conficiendũ, pulchrũ esse. HI. Mihi quidem videtur. SOC. Hoc conducibile est, an non? HI. Valdè. SOC. Sic vtique pulchra corpora, pulchra instituta legum, & sapientia, & alia quæ paulò antè retulimus, omnia ex eo pulchra sunt, quòd conducibilia sunt. HI. Constat. SOC. Conducibilia itaque ipsum nobis pulchrum esse videtur. HI. Maximè omnium. SOC. [a] Atqui conducibile est, quod bonum efficit. HI. Idipsum. SOC. Efficiens autem nihil aliud est quàm causa: nónne? HI. Sic est. SOC. Ergo boni causa pulchrũ est. HI. Est profectò. SOC. Aliud verò est causa, aliud id cuius causa est. Neque enim causa ipsius causæ, causa esse potest. Quod hinc maximè coniectare licet. Nónne causam efficientem esse constitit? HI. Planè. SO. Ab efficiente verò effectum fit, nõ efficiens. HI. Verum est.

[a] *Pulchrum si idem esset atque conducibile, Pulchrum non esset Bonum.*

SOC. Aliud efficiens, aliud effectum. HIP. Aliud certè SOC. Non ergo causa ipsius causa est, sed eius quod ab ipsa efficitur. HIP. Sic est. SOC. Itaque si pulchrum boni causa est, à pulchro fit bonum. Et ob hanc causam vt videtur, prudentiam, aliáque pulchra omnia exoptamus, quia opus quod ex his gignitur, id est bonum, exoptandum est. Vnde per ea quæ inuenimus, pulchrum ad bonum, ideam patris cuiusdam habere videtur. HIP. Omnino quidem. præclarare enim loqueris. SOC. Num & hoc præclarè quòd neque pater filius est, neque filius vicissim pater? HIP. Et hoc. SOC. a Enimuerò nec causa effectum est, nec effectum causa. HIP. Vera loqueris. SOCR. Per Iouem, ô vir optime, neque pulchrum bonum est, neque bonum pulchrum. An tibi ex his quæ dicta sunt, fieri posse videtur? HIP. Num mihi, non per Iouem. SOC. Placet nobis istud, & asserere volumus, quòd neque pulchrum bonum, neque bonum pulchrum. HIP. Non per Iouem, non mihi placet. SOC. Per Iouem mihi quoque ô Hippia, nihil minus ex his quæ dicta sunt placet. HIP. Ita sanè videtur. SOC. Haud amplius igitur sermo ille vt suprà pulcherrimus esse videtur, quòd id pulchrum asseretur, quod conducibile vtileque & potés ad bonum aliquod efficiendum. imò si possibile est, absurdior iudicandus quàm superiores illi, quibus virginem, & singula quæ suprà narrauimus, pulchrum ipsum nuncupabamus. HI. Apparet. SOC. Equidem, ô Hippia, quò me vertam nescio, hæsito enim & ambigo tu verò num fortè quid habes? HIP. In præsentia minimè, sed vt aliàs dixi, si mecum animaduertero, inuenturum me aliquid certò scio.

a *Causa non est effectum nec contrà.*

SOC.

SOC. At videor mihi ob discendi ardentem auiditatem moram tuam nequaquam toleraturus. Sed ecce nunc aliud quiddam mihi in mentem venit. Attēde obsecro. [a] Vtrum quod nos delectat: (non de qualibet voluptate loquor, sed de illa quæ per visum atque auditū) tale quiddam pulchrum sit vocandum. Nam quo pacto repugnare possumus, cùm pulchri homines ornamentáque omnia picturæ & figmenta pulchra, intuentes nos delectent? Cantus quoque pulchri & voces, vniuersáque musica, sermones & confabulationes similiter nos afficiant? Quapropter si audaci illi pertinacíque homini responderemus, pulchrum esse quod per visum auditúmque delectat, nónne audaciam eius reprimeremus? quid putas? HIP. Nunc mihi, ô Socrates, quid ipsum pulchrum sit, scitè dictum videtur. SOC. Quid verò, studia pulchra ac leges, propterea pulchra dicemus, quòd per visum auditúmque iucunda sint, an alia quadam specie contineri? HI. Hæc ita fortè, ô Socrates, etsi hominem latent. SOC. Per canem, ô Hippia, non illum quem ego maximè omnium vererer, quoties deliti arem, aut aliquid dicere profiterer, cùm nihil dicerem. HIP. Quem dicis? SOC. Socratem Sophroniſci filium, qui nihilo magis concederet vt hæc indiscussa facile iudicarem, quàm vt scire putarem quæ nescio. HIP. Atqui mihi quoque postquàm ipse dixisti, aliud quiddam id quod ad leges attinet, esse videtur. SOC. Quiesce aliquātulum, ô Hippia. Nam in eandem circa pulchrum dubitationem incidisse videmur, in quam paulò antè, dum putamus quiddam certi nos habere. HI. Quo pacto id ais, Socrates?

[a] *Pulchrum an idē quod delectans visum & auditum.*

SOC.

SOC. Dicam equidem quod mihi videtur, si quid tamen dico. Hæc enim quæ ad studia legésque pertinent, fortasse non extra sensum videndi audiendique sunt. Præterea hunc sermonem, qui aserit quòd his sensibus gratum est esse pulchrum, feramus, nec leges in medium producamus. At si quis nos interroget, siue is quem dico, siue quiuis alius in hûc modum: Quid, ô Hippia, atque Socrates, id dũtaxat iucundum quod sensibus duobus percipitur, pulchrum esse censetis? quæ verò cæteros sensus suauitate perfundunt, cibus, potus, veneris actus, aliáq; huiusmodi omnia pulchra esse non dicitis? An fortè neque dulcia hæc, neque in sensibus præterquam in audiẽdo videndóque voluptatem ponitis vllam? Quid inquam, ô Hippia, respondebimus? HIP. Magnas quoque, ô Socrates, inesse aliis sensibus voluptates assentiemur. SOC. Sed ille, qua de causa, dicet, cùm non minùs hæ quàm illæ, voluptates sint, pulchri eas cognomento priuatis? Quoniam, respondebimus, nemo est, qui nos non rideat, si dicamus non dulce comestionem esse, sed pulchrum: odorem item suauem, non suaue esse, sed pulchrũ. Veneris quoque motus dulcissimũ quiddã esse vnusquisq; aduersus nos contendet, sed eos ipsos quũ exerceat quispiã, ita exerceat oportet, vt conspectui hominũ velut turpissimã rem subducat. Cùm hæc dixerimus Hippia, ille forsitan respondebit: intelligo equidem iamdudũ quòd vos pudor impedit, quominus voluptates huiusmodi pulchras nominetis, quia hominibus non videantur. Ego verò non quærebam, quod vulgo pulchrum videtur, sed quod pulchrũ ipsum est. Dicemus enim, puto, quid pul

chrum-

chrum esse posuerimus, partē scilicet eam iucūndi, quæ per oculos aurésque delinit. Tu verò Hippia, potésne hac eadē vti disputatione, an aliud quippiam dicemus? HIP. Non alia præter hęc, ô Socrates dicemus. SO. Præclarè dicitis, inferet ille. Si ergo solum quod per visum, auditúmque gratū aduenit, pulchrū est, quod per alium sensum delectat: minimè pulchrū. Cōfitebimúrne? HIP. Cōfitebimur. SOC. Ille verò sic iterū. An quod per visum iucundum, per visum & auditū iucūdū est? Et quod per auditū iucundū, per auditū & visum etiā? Ad hæc nos, nullo modo quod per alterū est, per vtrūq; esse: hoc enim quærere nobis videris. Nos vero diximus quod vis è duobus his iucundis, ipsum per se pulchrū esse, & vtrūque simul: nónne sic respondendum? HI. Sic prorsus SOCR. Nunquid igitur, inquiet ille, à iucundo iucundum: eo ipso quod iucūdum est, differt? haud quæro vtrum maior minórve sit, aut magis minúsve voluptate voluptas, sed vtrum ex pluribus voluptatibus vna quędam hoc ipso ab alia differat, quòd hęc quidem voluptas sit, illa minimè. Nobis quidem non videri dicemus. HI. Non videri planè. SO. Sic ille inferet. Nónne propter aliud quiddam quàm propterea quòd voluptates sint, has potissimum voluptates è numero omniū elegistis, tale quiddā in vtrisque inspicientes, quòd videlicet naturam quandā habent ab aliis differentem ad quam profectò respicientes pulchras esse illas asseueratis? neque enim visus voluptas idcircò pulchra est, quia per visum fit. Nam si illius pulchritudinis hæc esset causa, nullo modo per quæ auditum fit, pulchra esset, cùm per visum nequaquam efficiatur.

Nos autem vera illum dicere confitebimur? HI. Confitebimur sanè. SOCR. Neque rursus auditus voluptas ex eo pulchra, quia per auditum fiat? alioquin quæ per visum percipitur, pulchra non esset, quippe cùm nõ eadem sit cum illa quæ per auditum efficitur. Eum virum qui ita dicit, ô Hippia, vera loqui fatebimur? HI. Vera nimirum. SOC. Veruntamen vtræque, inquiet, pulchræ sunt, vt dicitis. Dicimúsne? HI. Dicimus certè. SOC. Habent igitur commune quiddam atq; idem, quòd eas pulchras efficit, quódue ambabus communiter inest, & vnicuique propriè. Alioqui haud ambæ pulchræ essent, & vtraque. Age mihi tanquam illi respondе. HI. Ita mihi vt ais, videri respondeo. SOC. Si enim voluptates hæ aliquid ambæ susciperent, quod non earũ vtraq; pateretur, nunquam huiusmodi passione pulchræ existerent HI. Sic est, ô Socrates. Qui enim fieri potest, vt quod neutra illarũ patitur, ambæ perpetiantur? SOC. Non tibi videtur? HI. Atqui & rerum istarum, & locutionũ huiusmodi penitus imperitus essem. SOC. Iucundè quidem, ô Hippia, æternum fortassis periculũ est, ne mihi videar aliquid intueri, quod ita se habeat, qualiter habere impossibile tibi videtur. [cum tamen nihil videam] HIP. Non est periculum, ô Socrates, sed omnino planissimè malè vides. SOC. Enimuerò permulta generis huius mihi animo obuersantur, quib. fidẽ non præsto, post quàm nõ probãtur tibi, qui argenti plus sapientiæ professione, quàm cæteri nostri tẽporis mortales cumulasti. Ego autẽ, ô amice, vtpote qui nihil vnquam lucratus sum, cogito ne me fortasse ludas, ex industriáque fallas, adeò mihi multa videntur. HIP. Nemo

melius

melius quàm tu intelliget, Socrates, ludã nécne, si hæc quæ tibi occurrunt proferre cœperis: nihil enim dicere videberis, quoniam nunquam reperies, quòd cùm nec ego patiar, nec tu, ambo perpetiamur. S o c. Quomodo inquis Hippia? fortè tu aliquid dicis, quod ego minus intelligo. Verũ auscultа me, quod sentio planius explicabo. Mihi quidem videtur, quod neque contigit me esse, neque sum, neque tu similiter, hoc ambos pati nos posse. Item alia quæ ambo patimur, neutrum nostrûm existere. Hi. Monstra rursus afferre videris, ô Socrates, & maiora certè quàm paulò antea responderis. Attende modò, si ambo iusti essemus nónne & vterque? Vel si iniustus vterque, nónne & ambo? Aut si sani ambo an non vterque? Et si vterque nostrûm laborat in aliquo, vel vulneratus est, vel percussus, siue aliud quiduis passus fuerit, nónne idem ambo perpetimur? præterea si aurei, vel argentei, vel eburnei, ac etiam si vis generosi, aut sapientes, aut honorati, vel senes, vel iuuenes, aut aliud quiduis humanum, ambo essemus: nónne omnino necessariũ esset hoc vtrúque nostrûm esse? s o c. Omnino quidem. Hip. Cæterùm ipse, ô Socrates, res ipsas totas nõ considerас, neque illi quibuscũ disputare es solitus: plauditis autẽ ilico, [quasi pulchrum cõprehenderitis vnãquãq; rem dissẽdo dissecaris, atque conciditis:] atque idcirco ita vos magna latent corpora, continuam essentiam ex natura sortita. Et nunc adeò circa hæc te veritas fugit, vt putes esse passionem aliquam vel essentiam, quæ circa ambo quẽdã versetur, circa verò vtrunq; minimè: atq; vicissim quæ circa vtrunq; quidẽ sit, circa ambo verò neq; quã-

adeò absurdi, temerarij, inepti, fatui estis. SOC. Talia quidem nostra sunt, Hippia, *non qualia quis optaret, vt trito prouerbio fertur, sed qualia esse possunt. Sed ipse semper admonendo nos iuuas. Etenim priùs quàm nos in his admoneres, quàm stolidè affecti essemus, adhuc tibi clariùs aperiam, si quæ de his sentimus retulero. Dicámne? HI. Scienti Socrates, referas: noui enim omnem eorũ qui in disputando versantur conditionem [a] Veruntamen si cupis, enarra. SOC. Cupio equidẽ. Enimuerò, vir optime, ita rudes eramus antequã tu hæc nobis diceres, vt de me ac te opinaremur, quòd vterque nostrûm vnus sit, neque tamen ambo id simus quod quisque nostrũ nõ enim vnus, sed duo sumus. Adeò fatui eramus. Nũc verò abs te didicimus, quòd si duo ambo sumus, duo similiter vtrũque nostrum esse necesse esse: & si vnus vterque, vnũ pariter ambos. Impossibile enim est vniuersali & continua essentiæ ratione secundũ Hippiam, aliter se habere. Et quod ambo erant, idẽ & vterque: & contrà quòd vterque pariter ambo. Nunc igitur à te persuasus hîc sedeo: priùs tamen, ô Hippia, id mihi memora, vtrũ vnus ego túque simus, vel tu duo & ego duo. HI. Quid ais Socrates. SOC. Hæc ipsa quę dico. Vereor enim apertè coram te loqui: nã mihi succenses, turbásque, quãdo dicere aliquid tibiipsi vidêris. Simul autẽ mihi dicas, nónne vterq; nostrum vnus, & vnum esse contingit vtrunque? HI. Omnino. SO. Quòd si vnus, impar quoq;, an nõ vnum impar existimas? HI. Equidẽ. SOC. Num & ambo cum simus duo, impares sumus? Nequaquã, ô Socrates. SOC. Sed pares ambo, nónne? HI. Pares, SOC. Nunquid ex eo quòd ambo

pares

*Prou. οὐχ οἷα βούλεταί τις ἀλλ' οἷα δύναται.

[a] *Quomodo duo simul aliquid sunt, quod neuter seorsim est.*

pares,par etiã vterque noſtrũ? HI. Minimè.s o.
a Non ergo neceſſe eſt omnino,vt modò dicebas,quæcũq; ambo vtroſque, & quæcũque vtrique ambos eſſe. HI. Nõ in rebus huiuſmodi,ſed in his quæ ipſe ſuprà narraui.s o.Sat habeo Hippia.Nãiſta ſufficiunt,poſtquã alia ſic, alia aliter ſe habere videtur. Dixi equidem, ſi recordaris vnde ſermo hic eſt ortus, voluptates per viſum & per auditũ, non hoc pulchras eſſe,quod vtraque earum habet,ambæ nequaquã,vel quod ambæ, ſed vtraq; minimè, imò eo quod & ambæ habẽt & vtraque: & idcirco ambas & vtrãque pulchras eſſe, & tu cõceſſiſti.& ego hac de cauſa per illã ipſam *eſſentiã quæ ambas ſequitur, ambas eſſe pulchras, ſi modò pulchræ ſunt,cenſui:per eam verò quæ alterã deſerit,minimè.Et nũc quoque idẽ exiſtimo.Verùm mihi tanquã à principio dicas,ſi voluptates quæ per viſum & quæ per auditũ fiunt,ambæ & vtraque pulchræ ſunt, quod ipſas pulchras efficit, nónne ambas & vtrãque ſequitur? HI. Prorſus.s o c. An ex eo quod vtraque atque ambæ ſunt voluptates, pulchræ ſunt? vel hac ratione aliæ quoque voluptates non minus pulchræ? nihil enim minus voluptates illas eſſe conſtitit.meminiſtin? HI. Memini.s o c.Sed quia per viſum & auditũ fiunt, idcirco pulchras eſſe illas eſt dictũ. HI. Ita dictum.s o c.Vide num vera loquar. Sic enim,vt memini, diximus,pulchrũ eſſe quod iucũdum non quidẽ per ſenſus quoſlibet, ſed quod per viſum dũtaxat atque auditũ. HI. Sic prorſus. s o c.Nónne paſſio hæc ambas ſequitur,vtranque minimè?Non enim vtraque illarũ.quemadmodum ſuprà diximus, per ambas eſt, ſed ambæ quidem per ambas, vtraque minimè.

a *Non neceſſe eſt,quodcunque ambo ſunt, illud, vtrũque eſſe & quod vterque ſit,illud etiam ambos eſſe.*

* *οὐσία hîc accipitur ſimpliciter pro re.*

Est ita? HIP. Est. SOCR. Non ergo hoc vtraque pulchra est quod non sequitur vtrasque: ambo enim non sequitur vtrunque. Quamobrem ambo illa vocare pulchra secundum suppositionem licet, vtranque verò nequaquam. an aliter dicimus? Nónne hoc necessarium est? HI. Videtur. SOC. Dicendúmne ambo quidem pulchra esse, vtranque verò nequaquam? HI. Quid prohibet? SOC. Hoc mihi, amice, obstare videtur, quod quædam sic adesse aliis iudicata sunt, vt si ambobus adsint, adsint & vtrique: & cõtrà si vtrique, & ambobus. Hæccine omnia sunt, quę tu narrasti? HI. Erant certè. SOC. Quę autem ego retuli, minimè: è quorum numero erat quod ambo dicitur, & quod vtrunque. Est ne ita? HI. Est. SOC. Vtrum tibi videtur, ô Hippia, ex his quæ ipse exposuisti pulchrum esse? Vt si ego robustus & tu, ambo robusti. Item si ego iustus & tu, ambo, & contrà, si ambo & vterque. Vel nihil prohibet ita contingere, vt in ipsis paribus & imparibus accidit: vbi ambo aliquando paria sunt, imparia vtraque, & aliquando paria: necnon vtraque interdum talia sunt, vt exprimi nequeant, ambo queant, & interdum nequeant. Aliáque huius generis plurima quę mihi occurrere dixeram, quorum in numero pulchrum ponis? Num ita tibi de hoc vt mihi apparet? nimis enim absurdum esse mihi videtur, vt ambo pulchri simus, non vterque. Vel contrà, vterque pulcher, non, ambo aut aliud quodlibet talium. Itane ipse eligis vt ego? An illo potius modo? HI. Sic equidem. SOC. Rectè agis Hippia, vt à longiore inquisitione nos liberemus. Si enim ex his est pulchrum, haud amplius quod per visum, & auditum delectat, pulchrum erit.

Ambo

Ambo nanque pulchra facit, vtraque minimè. Hoc autem impossibile, vt inter nos conuenit. HIP. Conuenit certè. SOCR. Impossibile igitur quod per visum, & auditum iucundum, pulchrum esse, nam si id pulchrum esset, impossibile aliquid sequeretur. HIP. Vera hæc sunt. SOCR. Hic contentiosus ille dicet, exponite iterum à principio, postquàm istud vos fefellit, quid esse pulchrum hoc dicitis, quod ambabus voluptatibus inest, propter quod istas præ cæteris honorantes pulchras vocastis. Necessarium mihi videtur, ô Hippia, vt respondeamus, quod innoxiæ sunt præ cæteris voluptatibus, atque optimæ tam ambæ, quàm vtraque. An tu aliquid aliud habes, quo ab aliis differant? HIP. Nihil, reuera enim optimæ sunt. SOC. Tum ille, hoc igitur pulchrum esse dicitis conducibilem voluptatem? Videri equidem respondebo. tu verò? HI. Et ego. SOC. Ille verò ad hæc, [a] Nónne cõducibile est quod bonum efficit? Efficiens autem & effectum aliud esse nunc constitit. vnde eôdem relabimur. Neque enim bonum pulchrum esset, neque pulchrum bonum, si quidem aliud vnumquodque illorum esset. Ita esse nos illi, ô Hippia, si sapiemus, illicò respondebimus. Nefas enim est, recte loquenti non assentiri. HIP. Quid tu aliud, Socrates, cuncta hæc esse ducis, quàm contractiones quasdam, concisionésque sermonum, vt antè dixi, in minima resolutas? Illud verò pulchrum & multi faciendum est, vt quis valeat, præclara oratione habita in iudicio vel concilio, vel ad aliam quandam postatem ad quã verba fiunt, auditoribus persuasis, non minima quædam, sed maxima præmia reportare, suiipsius, rerum suarum,

[a] *Redit iterũ superius iam cõfutata definitio pulchri.*

amicorúmque salutem. Hęc sanè omissis minutis his quæstiunculis complecti decet, ne demens esse videaris, dum deliramenta, & nugas, vt modò pertractas. SOCR. O amice Hippia, tu quidem beatus es, qui nosti quibus dare operam hominem decet, & ipse abundè, vt asseris, dedisti operam. Me verò mira quædam fortuna detinet: quippe aberro semper, atque egeo. Quoties autem inopiam meam sapientibus vobis ostendo, verbis rursus à vobis obiurgor. Obiicitis enim continuò, quæ & tu nunc obiecisti, me scilicet stolida, exilia, & nihili facienda tractare. Demum cùm persuasus à vobis eadem quæ & vos profero, longè optimum esse posse orationem eleganter & ornatè compositam perorare in iudicio & alio quouis cœtu, rursus nonnulli è nostris & ille vir qui me semper redarguit, grauiter increpant. Proximus ille vir mihi genere est, & vnà mecum habitat. Ergo cùm primum domum ingressus sum, & ille me talia dicentem audit, interrogat quid non erubescam de pulchris vitæ institutis disputare, cùm adeò manifestè circa pulchrum redargutus sim, quòd ipsum pulchrum quid sit ignorem. Inquit enim qua ratione intelliges, quæ oratio pulchrè composita sit, quæ non aut aliam quamlibet actionem pulchram esse, vel turpem, dum pulchrum ipsum quid sit ignoras? Et quando ita affectus sis, viuere te, quàm mori præstare putas? Contigit itaque mihi quod modò dicebam, vt & à vobis & ab illo malè verbis accipiar, maléque audiam. Sed fortè operæpretium est hæc omnia tolerare: neque enim id absurdum, modò quippiam lucratus sim. Tantum enim Hippia

pia cõsuetudine vtrorunque profeci, vt* prouerb. illud, quod Pulchra difficilia esse dicit, intelligere mihi iam videar.

* Prou χαλε πὰ τὰ καλὰ.

PLATONIS LYSIS, VEL, DE AMICITIA.

Marsilij Ficini Argumentum.

VBi Socrates cum sophistis eorúmque sectatoribus disputat, opiniones falsas redarguit, veras significat potius, quàm deceat. Nam acuta ingenia redargutis falsis, exiguo deinde vestigio verè venantur. Quod in Euthydemo, Protag. Menone, Hippia, Euthyphrone, & Lyside patet. Vbi verò cum discipulis & studiosis sui sermonẽ habet, ostendit ac docet, quod quidem ex multis dialogis intelligitur. In Lys. igitur cum de amicitia inter sophistarum disputetur, confutandis falsis potius, quàm monstrandis veris, Socr. studet. Quæ verò sit de amicitia, & amore. Platonis sententia, ex hoc libro coniicere, sed ex libris de legibus aliísque multis compræhendere possumus. [a] *Amicitiam esse vult honestam perpetuæ voluntatis communionem. Huius finem esse, vitam vnam. Principium eius, cognationem. Medium autem, amorem. Vt honestam dicit, excludit improborum hominum contubernia, lasciuorúmque congressus. Vt perpetuæ, leues adolescentulorum beneuolentias, etiam si honestæ sint, nondum amicitias appellandas monet. Vt voluntatis, significat, non similitudinem opinionis cuiusdam, vel artis ad amicitiã perficiendam sufficere. Vt communionem, beneuolentiæ vicissitudinem indicat. Huius finis est, vt è duobus animis vnus voluntate fiat, ex vna volunta-*

[a] *Amicitia vera quid sit Platoni.*

te vita vna, ac demum ex vna vita, numinis vnius eiusdémque ideæ fruitio. principium quo communionis huius desiderium excitatur, cognatio est. Cognatio conuenientiam in idea, sidere, genio & quadam animæ corporisque affectione significat. Nam qui ex vno pendent, in vnum, per vnum, atque ad vnum reuerti nituntur. Medium & quasi quidam ad amicitiam trames, amor existit. Cùm autem amor pulchri desiderium sit, & amicitia ab amore & ducatur pariter & dicatur, necesse est eos qui amici futuri sunt, pulchros esse. Pulchros inquam, quorum animi pulchri. Homo enim animus est: Corpus hominis instrumentum. & quisquis pulchrum amat corpus, non hominem, sed ea quæ sunt hominis amat. Quamobrem quoties cognatio illa adest, & animorum pulchritudo concurrit, perfecta nascitur amicitia. Si corporis formæ huic animorum pulchritudini adiuncta est: citius amare incipiunt, & breui amicitiæ habitum assequuntur. Quod in Plat. Dionisque mutua beneuolentia contigit. Sin autem forma corporu cum animi deformitate coniugitur, non honesta communionis, sed turpis congressus cupido exoritur. Vnde non amicitia, imò petulantia primum, deinde discordia proficiscitur. Quare si cognatio deest, amici nunquam. Si adest cognatio, deest omnis pulchritudo: interdum beneuoli potius quàm amici. Sin autem cognationi pulchritudo corporis nō animi est adiuncta, pro amicitiæ desiderio obscœni congressus ardor exeritur. Cùm vnus animo pulcher, turpis alter, admonitionis & increpationis studium cognatio illa parit. Quod si pulcher vnius animus, alterius nec pulcher est, nec turpis docendi discendiq; inuicem voluntas ex cognatione prouenit. Tandem ex increpatione illa, & hac doctrina amicitia nascitur. Quod quidem in Phædrum & Alcib. Socratis amor ostendit. At verò cognatio pulchritudinem

vtrin-

utrinque nacta. citò indissolubilem procreat amicitiam. Idq; in Plat. Asteriscis, benevolentia constitit. Atque hæc vt è multis colligitur, de amicitia Plat. nostri sententia est. In hoc autem dial. primò eos qui amore abuntur, & sub amicitiæ specie turpitudini seruiunt, increpat. Deinde eos qui ex sola corporis forma, amari se dignos existimant, admonet. Tertiò illos, qui minus verè de amicitia sentiebant, refellit. Postremò callem quendam sagacib. animis ad venandam amicitiam indicat. Singula membra suis in locis legentibus patent.

SOCRATES, HIPPOTHALES, CTESIPPVS, MENEXENVS, LYSIS.

IBAM ex Academia in Lyceũ rectà per suburbium iuxta mœnia, & cum ad portam vbi fons est Panopis, venissem, Hippothalẽ Hieronymi filium, & Ctesippum Pœnæum, aliósque vnà cum his adolescentes multos offendi. Cúmque me Hippothales venientem videret, ô Socrates, inquit, quonam & vnde? At ego, ex Academia proficiscor in Lyceum rectà. Tum ille, adésdum, rectà ad nos, inquit, non accedis? decet enim. Ad hæc equidem, decet inquam: sed vbinam, & apud quos vestrum esse me vultis? Ille verò, Adésdum, inquit, & regione mœniorum gymnasium quoddam ostendens muro circundatum, & ianuam apertam. hîc, ait, ipsi & alij quàm multi, & quidem honesti nos exercemus. Qua potissimum in re est hæc vestra exercitatio? In palæstra quę nuper est constructa, ac vt plurimũ in sermonibus, quos tecum libenter communicaremus. Rectè agitis. Sed quis ibi præceptor?

Socius & laudator tuus Miccus. Per Iouem non malus ille quidem, sed satis magnus sophista. Visne me intrò sequi, vt eos qui ibi sunt, videas? Id in primis libenter audirem, ad quid ingrediar, & quis, pulcher ille. Alius alij nostrûm videtur, ô Socrates. Tibi verò, quis, ô Hippothales? Dic obsecro. At ille interrogatus erubuit. Tum ego, ô Hieronymi filij Hippothales, vtrum ames quempiam nécne, nihil opus est vt aperias. Noui enim quòd non solùm amas, sed quod in amore progressus sis iã procul. [a] Etenim cæteris in rebus hebes & inutilis sum: id autem vnum mihi munus à Deo datum, vt primo aspectu & amantes & amatos cognoscam, quod cùm ille audisset, multò etiam magis erubuit. Verùm Ctesippus, Quàm vibanus es, inquit, Hippothales qui amati tui nomen Socrati referre detrectas. Quòd si paulisper ille hîc moretur, necabitur assiduè ex te audiendo. Nobis enim dudum, ô Socrates, aures compleuit, surdásque reddidit nomine Lysidis. Vbi verò largius potauit: nihil nobis crebrius vsu venit, quam vt à somno excitati, Lysidis nomen audire videamur. Nec admodum molestum esset, sit molestum licet, soluta oratione de illo loquentem audire, ni carmina & commentationes suas nobis offundere conetur, & quod molestissimum est, amores suos voce miranda canat, quam perferre necesse habemus: nunc verò abs te rogatus erubescit. Iuuenis, inquam, Lysis hic esse videtur: coniicio autem. nam audiens eius nomen, haud agnoui. Tũ ille, ratò, nomen eius enunciant, sed ex patris nomine cum sit vir admodum nobilis, adhuc iuuenis ipse cognominatur: id enim mihi persuadeo, fieri non posse, vt pueri for-

[a] *Socrates sibi attribuit vim, statim & primo aspectu cognoscendi amatos & amantes.*

mam

mam ignores: adeò nanque egregia præditus
est, vt vel ea sola notus omnibus esse possit.
Cuius inquam filius est: dicite quæso. Demo-
cratis, inquit, Axonei maximus natu filius. At
ego, Esto, ô Hippothales, vt generosum con-
stantémque amorem nactus sis. Age verò mi-
hi quoque quæ & his ostende, vt videam vtrũ
scias, quæ de amato amantem, vel ad seipsum,
vel ad alios dicere oportet. An tu horũ quic-
quam, ô Socrates, quæ ille dicit, ponderandũ
censes? Tu verò inquam ego, amare te illum
quem hic dixit, negas? Nequaquam, inquit: sed
nihil componere aut scribere me de amoribus
aio. Ad hæc Ctesippus: haud sanæ mentis hic
est, sed delirat, atque insanit. Tum ego, O Hip-
pothales, nec carmina, nec etiam cantilenam,
si quam in adolescentulum composuisti, audi-
re admodum curo: sed qua mente sis in pue-
ros amatorios intelligere cupio. Tum ille, Cte
sippus iste tibi referet: nouit enim meminit-
que: siquidem, vt ipse ait, quotidie audiens
à me obtunditur. Maximè per deos, inquit
Ctesippus, noui. Sunt enim ridicula. Valdè
nanque ridiculum est vt quem hic præ cæte-
ris amet, de eius ingenio, quod non vel puer
aliquis dicere queat, afferre nihil possit. Quæ
enim ciuitas vniuersa de Democrate & Lysi-
huius auo, déque omnibus illorum maiori-
bus prædicat, eadem & ipse circunfert, diui-
tias, equorum copiam, victorias Pythone,
Isthmo, & Nemea, quadrigis & equis, necnon
istis antiquiora. Ac nuper Herculem hospitio
exceptum nobis in conuiuio quodam retulit,
quod propter Herculis cognationem proauus
eorum hospitio Herculem exceperat, quippe
quum ille quoque ex Ioue & filia cuiusdam

principis populi, natus esset, quæ quidem & aniculæ cantant. Cæteráque huiusmodi permulta, ô Socrates. Hæc sunt quæ hic narrando canendóque audire nos cogit. Quæ cũ audissem, dixi, * O ridicule Hippothales, antequam viceris, encomium in te ipsum componis cantássque. Non in me, inquit, ô Socrates, hæc vel paro, vel canto. Non putas, inquam. Quî isthuc dicis? inquit ille. Maximè omnium in te vnum odæ hæ redundant. Nam si amicum talem appræhenderis, ornamento tibi erunt laudes eiusmodi, tanquam triumphatori cuidam, cum amicum huiusmodi nactus fis. Sin autem fefellerit, quò maiores illi laudes tribuisti, tanto maiorem expers bonorum, magis etiam ridiculus iudicaberis. Quicunque igitur in comparandis amicis sapit, non prius quenquam eorum laudat, quam ipsorum familiaritatem fuerit assecutus, futura nanque formidat: plerique enim cum laudari se, & extolli sentiunt, fastu & insolentia tumescunt, an non idem tibi videtur? Mihi verò. Nónne quò superbiores sunt, eò difficilius capiuntur? Verisimile est. Qualis tibi venator ille videtur esse, si venando feras abigeret & perterreface-ret, capi difficilius in posterum possent? Iners videlicet. Atqui sermonibus cantibúsque non demulcere, sed exacerbare potius homines, nónne hominis est imperiti? Videtur. Vide igitur, ô Hippothales, ne his omnibus obnoxiũ reúmque te ob poesis studium reddas. arbitror sanè nullum te bonum poetam existimaturũ, qui seipsum poëmate læserit. Nullum per Iouem. quæ enim hæc esset absurditas? Ob hanc profectò causam tecum, ô Socrates, mentem meã communico: & si quid habes aliud, cõsu-

*Prou. canere triumphũ ante victoriã.

le,

le, qua ratione quis aut dicendo, aut agendo conciliare sibi quos amet, possit. Non facile, inquam ego, dictu est. Verũ si hunc mecũ colloquio iungeres, tibi fortè ostenderem, quę illi dicenda sint, pro his quæ loqui te, & canere isti narrarunt. Nihil prohibet. Si enim vnà cũ Ctesippo ingrediaris, & ibi sedens disputes, sua sponte, vt arbitror aderit. Nam audiendi aprimè auidus est. Ac ibi etiam Mercurialia celebrantes, tũ iuuenes, tum pueri in vnum cõueniunt. Ad te igitur aduentabit, & nisi id fecerit, Ctesippi familiaris est propter Menex. huius cognobrinũ, cuius ille socius est charissimus. Accersat itaque hic illum, si minus ipse per se accesserit. Sic agendũ est, inquã, & simul apprehenso Ctesippo, in palæstram prosequutus sum, & alij nos à tergo sequuti sunt. Ingressi autem iuuenes sacrificantes inuenimus, & sacra fermè peracta, illos autem cõptos, calculis talisque ludentes, partim in ipso vestibulo foris, partim in angulo apodyterij *locus est vbi luctaturi vestes deponunt*, *pari impari ludebãt, calculos è calathis quibusdam deligentes. Hos spectantes alij circunstabant, è quibus Lysis erat, qui astabat inter iuuenes & pueros coronatus & omnibus specie præstans, nec pulcher tantũ, sed & honestus, & bonus existimãdus. Nos autem è regione vbi quieti locus erat, cõsedimus inuicem differentes. Cõuersus Lysis, frequẽter in nos oculos cõiiciebat, vtpote qui propius accedere cuperet, sed solus accedere verebatur. Interi Menexen' inter ludẽdũ è vestibulo ingressus est, méq; & Ctesippũ cõspicatus, cõsessũ venit. Quẽ Lysis intuitus, secutus est, & iuxta eũ assedit. Aduẽtarũt insuper alij. Hippothales aũt postquã multos substitisse perspexit

* Pari impari ludere.

eos tanquam vmbraculum sibi opponens atque prætexens, pone quos lateret] eò se recepit, vbi videri non posse à Lysíde arbitrabatur, ne forte illi molestus foret, & sic aftans audiuit. Ego verò Menexenum inspiciens, O fili Demophontis, inquam, vter vestrum natu maior? Ambigimus, respondit ille. Nunquid etiam vter generosior sit ambigitis? inquam ego. Prorsus inquit. An etiam vter pulchrior sit. Subriserunt ambo. Vter vestrum ditior sit, haudquaquam interrogabo. Amici nanque estis, nónne? Et maximè quidem, responderunt. Amicorum verò communia esse dicũtur, qua propter hoc nihil differtis, siquidem id verè de amicitia dicitis. Consenserunt. Sed cum percontari vellem vter iustior & sapientior esset, interrupit nos quidam, qui Menex. accersiuit, dicens illum à gymnasij magistro vocari. Visus enim mihi est [sacrificulus quidam esse.] Abiit igitur, & ego Lysidem interrogaui. Dic age, ô Lysis, vehementer te pater ac mater amant? Valde. An non beatissimum fore te cupiunt? Quídni? Videtur tibi beatus ille qui seruit, & cui nihil eorum quæ concupiscit, agere licet? Non per Iouem, inquit. Ergo si te pater & mater amant, beatúmque fieri volunt, id omni opera diligentiáque curabunt, vt beatè viuas. Quid prohibet? Permittent itaque quodcunque lubet efficere, nec tuis cupiditatibus aduersabuntur. Per Iouem, ô Socrates, mihi in plurimis obstant. Quî isthuc ais? Dum te beatum exoptant, te impediunt quominus id quod vis facias? Responde ad hæc. Si cuperes aliquo patris tui curru peruehi capiens habenas quando pugnat, nunquid permitteret? Nihil minus. Quem ergo permitteret? est au-

riga

riga quidam à patre meo mercede conductus. Quid ais? Mercenario parentes tui concedunt potius, quàm tibi liberam equorũ administrationem? & argentum præterea huius operis causa erogabunt? Sed quidnã? Mulos verò iugatos ducere, loríſque cædere tibi concedent? Cur mihi conceſſerint? Nullíne verberare hos licet? Et valdè quidem, mulioni videlicet. Seruo, an libero? Seruo. Seruum itaq; vt videtur, pluris faciunt, quã te filiũ, ſuáq; potius illi permittunt, quã tibi: eíque quodlibet facere permittunt, te verò prohibent. Quinetiã ad hæc mihi reſpõde. Téne tibiipſi dominari permittũt, an nõ? Neq; id vllo pacto. Quis tibi dominatur? a Pædagogus. Nũquid ſeruus? Seruus noſter. Graue verò liberũ ſeruo ſubiici. Sed quid agẽdo, pædagogus hic tibi imperat? Dum ad magiſtros me ducit. Et hi quoq; præceptores tibi imperãt. Omnino. Multos igitur domi nos principéſq; tibi pater ſpõte præpoſuit. Sed cum domũ ad matrem redieris, téne ſinit quicquid placeat agere, vt beatus ſis, vel circa lanificiũ vel circa telã, quando texit? An gladium forcipéſque, radiũ ac pecten, cæteráque lanificii inſtrumenta attrectare ſinet? Tũ ille ridẽs, per Ioué, inquit, ô Soc. non vetaret ſolũ, ſed & cæderet, ſi tãgere auderẽ. Prò Deus, iniuriãne patri vel matri aliquã intuliſti? Nullam prorſus. Quã ob cauſam te beatũ fore, & arbitratu tuo diſponere ſingula nolũt, & quotidie te ſic educãt, vt ſemper alicui ſeruias, & vt breui cõpleãtur, nihil pro tua voluntate agas? quo fit vt nihil tibi prodeſſe tam amplæ diuitiæ videantur: quando quidem quiuis magis quàm tu has adminiſtrat: & quod maius eſt, nec etiam corpus tam generoſum, quippe cum alius hoc

a *Pædagogi olim erant ſerui.*

alat & colat: tu autem nullum habes imperiũ, ô Lysis, nec vllius voti compos efficeris. Nondum per ætatem licet, ô Socrates. Vide ne nõ id sit quod tibi impedimento est, ô Democratis fili. Nã tantam rem, vt arbitror, & pater, & mater tibi concedũt, nec ætatẽ prouectiorem expectant, quoties legi scribíve sibi aliquid optãt. Tibi enim, vt arbitror, præ cæteris domesticis ista cõmittũt. Maximè. In his tibi licet tã scribẽdo, quã legẽdo quẽuis ordinẽ literarum seruare. Et quando lyrã sumis, nihil prohibẽt, vt opinor, parentes tui, quo minus intẽdas, vel remittas chordarũ quãlibet, & psallas, & pulses plectro. Non certè. Quid in causa est, ô Lysis, quod in iis permittũt, in superioribus prohibeant? Quoniã ista quidem scio, illa contrà ignoro. En optime Lysis, non ætatem expectat pater ad licentiã tibi exhibendã, sed cùm primum te senserit teipso prudentiorem effectũ, ilicò & tua omnia, & te liberè tibi committet. Spero equidem. Quid potrò vicini, nónne eadem ratione se qua & parentes erga te gerent? Vicinũ censes tibi suæ domus commissurũ gubernationem, si te intellexerit in re familiari peritiorem esse, an ipsum per se ministraturũ? Mihi commissurum puto. Athenienses quoq; dubitas, quin rempublicam tibi commendẽt, quum vehementer te sapere perceperint? Non dubito. Quid rex magnus? vtrum eius filium natu maiorem, cuius Asiæ regnum futurũ est, permittere in elixarum carnium ius quicquid velit iniicere, potius quã nos, si ad illum profecti, planum ei faceremus nos apparandi obsonii peritiores esse, quàm filium? Nos videlicet. Et illum nihil prorsus, nos autem etiam si salis multum capientes immittere vellemus,

certè

certè permitteret. Quídni? Et si filius eius oculis ægrotaret, nunquid permitteret eum sibi oculos attrectare, an prohiberet, cum medicũ illum non existimaret? Prohiberet sanè. Nos autem si modò putaret medicos esse, nihil impediret, etiam si vellemus patefactis palpebris & cinere superinfuso curare? Vera loqueris. Quinetiam cætera omnia nobis committeret, potius quàm vel sibiipsi, vel filio in quibus sapientiores nos esse putaret. Necesse est, ô Socrates. Sic se res habet, amice Lysis, singula in quibus prudentes sumus, cuncti nobis concedent, & Græci & Barbari, tam viri, quàm mulieres, & in iis arbitratu nostro agemus, nec vllus spòte nobis obstabit, quò minus & nos liberi simus, & aliorum duces. Et quum nobis hæc conferant, nostra erunt. Quæ verò ignoramus, nemo nos vt iubet, agere permittet, sed omnes pro viribus repugnabunt, non extranei tantùm, verùm parentes etiam, & si quid his nobis propinquius est: nos quoque in his ipsis erimus aliis subditi: & hæc cum nullo nobis emolumento sint, à nobis aliena existent. Consentis? Consentio equidem. Alicuíne hominũ amici erimus, amabitque nos aliquis in his rebus, in quibus inutiles sumus? Nunquam. Ergo nec te pater, nec vllus alium quẽquam diligit, quatenus est inutilis. Non vt videtur. Si itaq; sapiens euaseris, omnes amici tibi & familiares erũt. Vtilis enim & bonus eris. Sin minus, nec alius quisquam tibi, nec parentes, neque propinqui amici erunt. Potéstne aliquis in his magnificè de se sentire atq; gloriari in quibus nondũ quicquã sapit? Quí isthuc fieri potest? Si tu præceptore indiges, nondũ sapis? Nondũ

* Græca melius opponũtur μεγαλοφρονεῖν, καὶ φρονεῖν.

certè. Non ergo magnificè de te sentis, si nihil sapis? Non per Iouē, vt mihi videor. Quæ cū audissē in Hippothalē cōuerti oculos, atq; parū abfuit quin offēderim: venit enim mihi in mētē dicere, O Hippothales, hoc pacto cū adolescentibus disputandum, corripiendo illos atque deiiciendo, non blandiendo, vt ipse agis, & corrūpendo. Sed cùm vidissem illum anxiū, turbatúmque ex antedictis, recordatus sum quod etiam præsens Lysidem latere volebat. Recepi ergo meipsum, linguámq; cohibui. Interea reuersus Menexenus, iuxta Lysidē vnde surrexerat, assēdit. Tū Lysis blandè admodum & amicè, clam Menexeno mihi susurrauit in aures: O Socrates, quæ mihi dicis, eadem obsecro Menexeno quoque edisseras. Ipse, inquā, Lysis illi refer. Nam attentè nos auscultasti. Attentè sanè, respondit ille. Da igitur operā, vt diligenter reminiscaris, quò illi singula perspicuè referas. Quòd si quid forsitan subterfugerit, rursus à me requires, cum me primū cōueneris. Nauabo operam, & hoc certò scito ô Socrates, ille respondit. Sed noui saltē aliquid illi dicas, vt ego audiam, donec redeundi domum sit hora. At ego, agendum est, præsertim cùm ipse iubeas: sed cogita qua ratione mihi opitulēris, si me refellere Menexenus hic contenderit. An ignoras contentiosum esse illum? Prorsus, & idcircò te cum illo disputantem audire percupio. An vt ridiculus habeat? Absit. imò vt illum castiges atque coerceas. Haud facile est: vehemens enim & facundus est Ctesippi discipulus. Adest præterea quinetiam Ctesippus ipse, an non vides? Nihil cures, ô Socrates, age obsecro disseras. Disserendum videtur. Verùm ista nobis seorsum

ab

ab aliis colloquentibus, Cur, inquit Cteſippus, ſoli hæc inter vos agitatis? Quin aliis etiam veſtra hæc impertire. Impertiendum eſſe reſpondi. Hic enim nonnihil ex iis quæ conferimus, minus percipit, putárque Menexenum intelligere: quocirca percontari ab illo me iubet. Quid non interrogas? Interrogabo. Dic amabo, ô Menexene, quod abs te quæram: innata mihi eſt ab ineunte ætate poſſeſſionis vnius cupiditas quædam, quemadmodum & aliis. Vt ecce quidam equos deſiderat, aliquis canes, alius aurum, honores alius, hæc equidem paruifacio, nec multum iſta me mouent. Acquirendorum autem amicorum deſiderio flagro. Quare a amicum bonum habere malim, quàm pretioſiſſimam coturnicem, aut gallum, & per Iouem potius quàm equũ atq; canem, quinetiã vt opinor, potius per Canẽ, quàm Darii aurũ adipiſci, vel ipſum Darium capere, optimũ amicũ eligerem. Videtis quàm ſim amicitiæ auidus. Quando igitur te & Lyſidem animaduerto, ſtupeo profectò, vóſq; felices exiſtimo, quòd in tam tenera ætate conſtituti, tantũ munus breui & facilè cõſequuti fueritis, & tu hũc tibi tam facilè tãta beneuolẽtia cõciliaueris, & hic te mutuo ſit amore cõplexus: tãtũ verò à me mun° id abeſt, vt nec etiã quo pacto alter alteri amic° fiat, intelligam. Cæterum hæc abs te, tanquam perito quærere cupio, quare mihi reſpõdeas oro: quãdo quis aliquem diligit, vter vtrius amicus efficitur? amánne amati, an amatus amantis? an nihil intereſt? Nihil, inquit, intereſſe mihi videtur. Quid ais? inquã, ambo inuicẽ amici fiunt, ſi alter tantum alterũ amat? Mihi quidem videtur. Quid porrò? an non reperiri poteſt

a *Amicus bonus omnibus rebus præferẽdus.*

amans quidam, cui amicus haud viciſſim in amicitia reſpondet? Poteſt. Nunquid & odio haberi amicum ſæpe contingit? Quod nonnunquam amatoribus ergá amatos accidit. Amantes enim quàm ardentiſſimè nonnunquã, minimè tedamantur, imò & odio quandoque habentur. An non vera tibi dicere videor? Veriſſima. Nónne in his hic quidem amat, ille autem amatur? Certè. Vter ergo vtrius eſt amicus? amánſne amati ſiue redametur, ſiue odio habeatur? An amatus amantis? an [a] neuter neutrius tunc eſt amicus, quum non vtrique viciſſim amant? Sic ſe res habere videtur. Aliter itaque quàm ſuprà cẽſemus, tunc enim viſum eſt, ſi alter ſolum diligat, ambos amicos eſſe: nunc contrà, niſi vtrique inter ſe diligãt, neutrum amicum eſſe dicendum. Apparet. Nihil igitur illi amicum eſt, qui amat id à quo minimè redamatur. Nõ videtur. Ergo nec amici equorũ ſunt, quos equi non mutuò amant, nec amici coturnicum, neque canum, nec vini, nec exercitationis amici, nec ſapientiæ, niſi ſapientia illos viciſſim amet: amant nempe hæc ſinguli, nõ tamẽ amica hæc ſunt, Quamobrem mentitur Poeta ille, qui dicit,

Felix cui dulces pueri, cui copia equorum,
Et cui turba canum, cuique hoſpes ſit peregrinus.

Nequaquam mihi videtur. Verum dicere tibi videtur? Verum. [b] Amatum igitur amanti amicũ eſt, vt apparet, ô Menexene, ſiue amauerit, ſiue oderit: quemadmodũ teneriores pueri partim nondũ amãt, partim oderũt, quando à parentib. verberantur, tunc ſanè dum vehementer odio habeant, genitorib. ſunt omnium chariſſimi. Opinor equidem. Non ergo amãs amicus ſecundũ hanc rationẽ, ſed amatus erit.

Vide-

a *Neuter neutrius amicus eſſe videtur, quum non vtrique viciſſim ſe amant.*

b *Contrà, amatum amicum eſt ſiue amauerit, ſiue oderit.*

Videtur. [Et inimicus ergo est, qui exosus est, nõ is qui odit.] Apparet. Ita multi ab inimicis amantur, & odio ab amicis habentur, & inimicis amici sunt, amicis contrà inimici, si amatũ potius quàm amans, amicum est. Quæ autem esset hæc absurditas, ô dulcis amice? Imò impossibile id quidem, amico inimicum, inimico amicum esse. Vera loqui videris, ô Socrates. Et si hoc fieri nullo modo potest, [a] restat vt amans amati sit amicum. Apparet. Similiter quod odio habet, inimicũ eius quod odio habetur. Necesse est eadẽ nobis nunc erunt quæ & in superioribus concedenda, quòd plerunque amicum sit aliquid non amici, plerunque etiã inimici, quoties non amantẽ vel fastidientem quis amat. Nonnunquam inimicus erit non inimici, vel & amici, quando non fastidientem quis odit, vel fastidit amantem. Ita videtur. Quid ergo dicemus si neque amantes amici erunt, neq; amati, nec amantes amatiq;? num alios quosdã præter istos amicos inuicẽ esse dicemus: Per Iouem, ô Socrates, quid respondeam non inuenio. Vide, ô Menexene, ne fortè minus rectè in superioribus quæsuerimus. Tum Lysis, Id, inquit mihi videtur, ô Socrates, & sic fatus erubuit. Visum namque mihi inuitum illum effugisse quod dicebatur, ex eo quòd attentius animaduertebat. Constabat autem, cum alioqui auscultaret, non ita sese habere. Ego itaque volens Menexenum quiescere, & illius philosophia nimium delectatus, sic Lysidem alloquutus sum. O Lysis, vera mihi loqui videris, quia si rectè considerauissemus, haud ita nunc aberraremus. Quare ne vlterius hac via pergamus. Et enim ardua mihi quasi via quædam aspera cõsideratio

[a] *Amans amati amicũ*

ista videtur. Sed iter quod nunc ingressi sumus poëtarum adminiculis peragendum. Hi nanque nobis tanquam patres atque duces sapientiæ sunt. Dicunt profectò non malè, dum qui amici sint admonent: homines præterea conciliatoris Dei ductu amicos fieri volunt. Sic enim aiunt. * *Deus similem semper ducit ad similem, & notum facit.* An non in hæc aliquando carmina incidisti? Incidi. Fortasse & in sapientissimorum scripta, in quibus eadem hæc affirmant, [a] simile simili necessariò semper amicum esse. Atque hæc est eorum sententia, qui de natura & vniuerso tractarunt. Vera dicis. Nunquid bene dicunt? Fortè. Et hoc fortè * ex parte verum est fortè etiam ex toto: sed nos nondum intelligimus. Videtur enim nobis prauus prauo, quò propius adhæret, & frequentius cum eo versatur, eo magis inimicus fieri. Nam iniuriam infert: fieri verò nequit, vt qui infert, & qui accipit iniuriã, amici sint, nónne ita? Sic prorsus. Hac ratione media pars illius sententiæ falsa erit, si quidem praui similes sunt. Certè. Verùm mihi videtur bonos dicere similes esse inuicem & amicos: [b] improbos autẽ, vt sæpe de illis dicitur, nunquam sibi ipsis, similes esse, sed stolidos penitus & instabiles. Qui verò secum ipse dissentit, nullo modo cum alio consentiet, nec vlli amicus esse poterit. Nónne tu idem existimas? Profectò. Id ergo, vt mea fert opinio, significat, ô amice, qui simile simili amicum esse dicunt, quòd solus bonus soli bono amicus, malus autem nec bono nec malo vnquam reuera amicus efficitur. Consentis? Assentior. Habemus iam qui sint amici. Nã ratio dictat, eos qui boni sunt, amicos existere. Constat. Idem ego arbitror.

*Hom. Odyss. p.

a *Simile simili amicũ.*

*ex parte verum, ex toto verum.

b *Improbi nunquã vel sibipsis similes sunt.*

Sed

Sed est quod me perturbat. Et vide quęso quid suspicer. Similis simili qua ratione similis, amicus & talis tali vtilis est. Imò sic etiã consideremus. [a] Simile quodcũque cuiuis simili quod emolumentũ aut detrimentum inferre potest, quod non ipsummet sibiipsi inferat? Aut quid pati ex illo, quod nõ ex seipso similiter patiatur? Hæc itaque cũ talia sint, vt nihil se inuicẽ iuuent, quo pacto ab se inuicẽ expetũtur? Nullo modo. Quod non expetit, quo modo amicũ? Nullo. Au forsitan similis simili quantũ similis, nõ amicus? bonus autẽ bono, quantũ bonus, non quantũ similis, amicus existit? Fortè. Quid verò, nónne bonus, quatenus bonus est, eatenus sibiipsi sufficiens? Ita. [b] Sibiipsi sufficiens, in eo quod sufficit sibi, nullo penitus indiget. Quid prohibet? Qui nullo eget, nihil expetit. Nihil sanè. Si non expetit, nec amat. Non. Qui non amat, non est amicus. Non videtur. Quomodo igitur boni bonis amici erunt, qui nec absentes mutuò desiderãt sese, vt qui seorsim vterq; sufficiat sibi, nec præsentes alter alterius opera quicquã eget? Tales viri quánam ratione se inuicẽ magni facere possunt? Nulla. Amici nunquã erunt, qui se inuicẽ non multi faciunt. Nunquã. Considera iã ô Lysis, quò delapsi simus, & nunquid omnino decepti fuerimus. Quo pacto? Audiui iam olim ab aliquo, (equidẽ memini adhuc) quod simili simile aduersum, & boni bonis inimicissimi sint. Qui & Hesiodi testimonio vtebatur dicentis *figulum inuidere figulo, cantorẽ quoque cantori, & mendicum mendico.* Et in aliis similiter necessarium ille putabat, similia inter se inuidia, æmulatione contẽtione abundare, amicitia verò dissimilia. Inopẽ porrò diuiti amicũ necessitate fieri,

[a] *Simile simili amicum esse non potest, quia simile à seipso, ac proinde nec à simili potest iuuari.*

[b] *Bonus sibiipsi sufficiẽs est.*

[c] *Sententia Hesiodi, non similia, sed dissimilia facere amicitiam.*

& imbecillum auxilij gratia forti, & medico similiter ægrotantem, omnem quoque ignarũ, peritum desiderare atque diligere. Addebat præterea maiora quædam tantum abesse amicum vt simile simili sit, a vt contra, contrariũ maximè, maximè contrario sit amicissimum. Vnumquodque enim appetere non simile, sed contrarium: vt aridum appetere humidum, frigidum verò calidum, amarum dulce, acutũ obtusum, vacuum repletionem, plenum vacuitatem, cæteráque similiter. Contrarium enim contrario alimentum præbere: simile autem simili minimè frui. Enimuerò, ô Socratis, qui talia docuit, facũdus & elegans, quidam vir esse visus est. Bene enim dixit. Nobis autem quid videtur? Probè, inquit Menexenus, vt prima fronte apparet. Dicimus itaque contrario contrariũ amicissimũ esse? Vtique. Sit ita, ô Menexene. Sed quæso, nónne alieno ista modo & absonè dicuntur? Confestim in nos vltrò insurgent sapientes isti, qui [contradicendi facultate] pollent, & à nobis quærent, an non sint maximè contraria, odium & amicitia. Quid istis respondebimus? Nónne respondere cogemur eos vera dicere? Cogemur. Nunquid dicent inimicum amico amicum? Vel amicum inimico amicum? Neutrũ. Num & iustum iniusto, vel temperatum intemperato? aut malo bonum? Non mihi videtur. Atqui si secundum contrarietatem amicum est alicui aliquid, amica hæc esse oportet. Oportet sanè. Quare nec simili simile, neque contrario contrariũ est amicũ? Non videtur. Age & hoc aduertamus, ne nos magis etiá hoc fallat, quòd amicũ reuera nihil ex his quæ diximus sit, sed quòd neque bonũ, neque malũ, ami-

a *Contrariũ contrarij ap petens, ac proinde contrarium cõtrario amicum.*

amicũ quandoq; boni efficiatur. Quid ais? Ignoro & ipse per Iouẽ. Vacillo enim ob sermonis ambiguitatẽ. Et videtur, vt[a] vetus habet prouerbiũ, pulchrũ ipsum amicũ esse.) Apparet enim molle quiddã, lene, ac pingue, ideóque in nos facilè fortè illabitur, serpit & penetrat quasi lubricũ quiddã atque lene. Dico enim ipsum bonũ pulchrũ esse. Nunquid & tu? Et ego. Equidẽ diuinans tibi id profero, boni & pulchri amicũ esse, quod neque bonũ est neque malũ. Quorsum hæc vaticinor, audi. Videntur mihi tria quædã genera esse. Vnũ bonũ, alterũ malũ: postremũ, quod neque bonũ est, neque malũ: tibi autẽ? Mihi quoque. Nec bonũ bono, nec malũ malo, nec bonũ malo amicũ esse, quẽadmodũ ratio superior perhibet. Restat ũ quid alicui est amicum, vt quod nec bonũ neque malũ est, amicũ sit aut bono, aut tali alicui quale ipsum est. Nihil enim malo amicum est. Certè. Nec tamen simile simili, vt paulò antè monstrauimus. Profectò. Non igitur erit illi quod nec bonum est, neque malum, amicũ id quod id ipsum tale est. Non videtur. Solum itaque quod nec bonum, neque malum, soli bono amicum fieri potest. Necessariò sequi videtur. Nunquid rectè à nobis, ô pueri, id modò expositum est? Si ergo sanum corpus considerem us, medicinæ arte non indiget, nec auxilio prorsus vllo sufficienter enim se habet. Vnde sanus nemo per ipsam sanitatẽ medico est amicus. Nemo. Sed ægrotans, vt puto per ipsum morbũ. Quidni? Morbus quidem malum, medicinæ vero peritia bonum quoddam & vtile. Sic est. Corpus ex eo quod corpus, nec bonũ, est, nec malũ. Verum. Cogitur autem corpus propter morbum

[a] *Prouerbiũ Pulchrũ amicum esse.*

quærere & amare medicinam. Apparet. Sequitur quod nec bonum est, neque malum, boni amicum propter mali præsentiam fieri. Videtur. Constat autem id fieri, prius quàm illud ob mali præsentiam malum efficiatur. Neque enim malum effectum est loco boni quod appetit, cuiúsve amicum est. Impossibile nanque esse ostendimus, vt malum bono amicum sit. Impossibile proculdubio. Animaduertite quæso quod dico. Nonnulla quippe assero talia fieri, quale id quod illis adest: nonnulla minimè: perinde ac si quis vellet colore quodam aliquid intingere: adesset quodammodo infectio colorato. Adesset. Nónne tunc quoque tale coloratũ est, quale ipsum esse solet? Haud intelligo. Sic forte intelliges, si quis comas tuas quæ flauæ sunt, cerusa fucauerit, vtrùm albæ fiant? an potius videantur? Videbuntur. Veruntamen albedo illi aderit. Aderit. Nihilo magis tamen albæ adhuc erunt, & præsente candore neque candidæ erunt, neque nigræ. Vera loqueris. Sed quando, ô amice, senectute canescunt, tunc tales fiunt, quale id quod aduenit, cani coloris præsentia canæ. Quidni? Hoc illud est quod quæsiueram, nunquid omne cui tale aliquid adest, confestim tale & ipsum euadat: an potius sic certo modo adest, tale fiat, aliter minimè. Hoc modo potius. Eadem ratione quod nec bonum est, nec malum, quandoque præsente malo nondum est malum. est autem, quum iam tale euasit. Omnino [a] Quando nondum malum est præsente malo, præsentia hæc bonum appetere cogit: præsentia vero quæ malum reddit, & appetitum boni & amicitiã reiicit, neque enim vlterius neutrum est, sed malum. Amicum verò ma-

[a] *Quando aliquid nõdum malũ est præsente malo, præsentia hæc bonum appetere cogit.*

malum bono, & bonum malo esse non potest. Non certè. Ob hanc vtique causam his qui iam sapientes sunt, dicimus haud amplius esse philosophandum, siue dij, siue homines hi sint, nec eos etiam qui adeò corrupti ignorantia sunt, vt improbi sint effecti, nemini quippe malo, & penitus ignoranti philosophandum. [a] Restant igitur illi quibus malũ id ignorantia scilicet adest, nec tamen rudes penitus ignorantésque sunt, imò & suam ignorantiam agnoscunt, ob quam animaduersionem philosophantur, id est sapientiâ amant, nondum boni aut mali. Mali enim nequaquam philosophantur, nec boni etiam. Nam nec contrarium contrario, neque simili simile suprà nobis amicum apparuit. Recordamini? Recordamur sanè. Omnino, ô Lysis, atque Menexene, quid amicum sit, & quid non, inuenimus. Id enim tam circa animam, quàm circa corpus suprà concluſimus, quod nec bonum est, nec malum, propter ipsam mali præsentiam, boni amicum fieri. Hæc omnia concesserunt. Et ego valdè lætatus sum, tanquam venator, qui id quod venando inuestigabam ex sententia fuerim consequutus. Deinde nescio quomodo extranea quædam & absurda suspicio mihi suborta est, quasi minus vera essent, quæ suprà concesseramus. Atque illicò turbatus inquam, Papæ, ô Lysis, atque Menexene, somnium quoddam nacti videmur. Quorsum hæc? respondit Menexenus. Vereor ne in hos de amico sermones falsos, tanquã in homines superbos atque vanos incidamus. Qua ratione? Hac plane. Vtrũ enim amicus alicuius amicus est, an non? Necessariò. Vtrũ nullius gratia & propter nihil, an gratia alicuius,

[a] *Qui ad philosophiã, animũ appellunt, medij sunt inter scientiã & ignorantiam.*

& propter aliquid? Certè alicuius causa, & propter aliquid. Nunquid amica est res illa, cuius gratia amicus, alicuius est amicus? An fortè nec amica, nec etiam inimica? Haud satis intelligo. Verisimile est, verum sic & tu & ipse, vt arbitror, melius intelligemus. Ægrotantem medici amicum esse diximus? Diximus. Nónne propter morbum, & sanitatis gratia medici est amicus? Ita. Morbus malum? Quidni? Sanitas bonum, an malum, an neutrum? Bonum. Prædiximus corpus, [a] cum nec bonum sit, nec malum, propter morbum, ideóque propter malum, medicinæ amicum esse, bonum verò medicinam. causa verò sanitatis amicitiam medicina nanscisciturs anitas autem bonum. Prorsus. Amicúmne, an non amicum sanitas? Amicum. Morbus inimicum? Penitus. Quod ergo nec bonum est nec malum, propter malum inimicúmque, boni amicum est, boni amicíque gratia. Patet. Ergo amici causa amicum propter inimicum est amicum. Opinor. Agite pueri, postquàm huc disputando deuenimus, attendamus obsecro diligenter, ne fortè decipiamur. Principio quod amicum amici amicum factum est, simile videlicet similis, quod impossibile esse in superioribus constitit, equidem prætermitto. Sed istud tamen consideremus, ne nos præsens opinio fallat. Medicinam sanitatis gratia amicum esse diximus. Affirmauimus. Sanitas igitur amicum? Valde. Si amicum, alicuius gratia est amicum. Est. Amici scilicet, si suprà concessa permanent. Et amici. Nunquid & illud iterũ amici causa amicũ erit? Certè Necessariũ est, vt hoc progressu ad principium quoddam perueniamus, quod non vltrà ad amicũ aliud refe-

[a] *Quod neutrũ est, propter mali sensum, amicum bono fit gratia boni.*

referatur, sed ad id quod primum amicum est, cuiusque gratia cætera omnia quæ sic dicũtur, sint amica. Necessarium. Hoc est quod modò dicebam considerandum, ne reliqua omnia quæ amica gratia illius prædiximus, tanquam simulachra quædam eius nos decipiant, illud autem primum reuera sit amicum. Consideremus igitur hoc pacto. Quod quisque multi facit, vt puta parer filium, rebus aliis omnibus anteponit: talisque vir ex eo quòd filium multi facit, alia quoque nonnulla ob illum multi facit. Exempli causa si illum cicutam ebibisse senserit, vinum plurimi faciet, siquidem hoc venena se curaturum speret. Et maximè quidem. Nunquid & amphoram in qua vinum? Valdè. Num pluris æstimat tunc calicẽ fictilẽ, aut tres vini cyathos quàm filiũ? an contrà potius se res habet? Vt omne hoc studiũ nõ ista respiciat, quæ alterius gratia parantur: sed in illud tendat, cuius causa cætera quæruntur. Neque verum est quod sæpe dicimus, quòd argentũ & aurũ multi faciamus. Omnis quippe intentio æstimatióque eius solius est, ad quod ista parantur. An sic dicemus? Maximè. Eadem quoque de amico ratio est. Quæcunque enim amici cuiusdam gratia, amica nobis esse diximus, improprio vocabulo nominauimus? a Amicum autem reuera illud esse apparet, in quod hæ omnes quæ vocantur amicitiæ, tendunt. Sic videtur. Quapropter reuera amicum, nullius amici gratia est amicum. Verum. Hoc igitur reiectum est non amici cuiusdam causa amicum esse amicum. Sed nónne bonum amicum est? Sic opinor. Num propter malum bonum amatur? & ita se res habet. Si ex tribus quæ diximus, bonum,

a *Amicum proprie illud est, propter quod cætera amantur.*

malum, neutrum, duo accipiantur, malũ verò abeat, & nihil attingat, nec corpus nec animã, nec aliud quicquam ex his quæ diximus secundum seipsa nec bona esse, nec mala, nunquid inutile penitus tunc nobis bonum esset? Si enim nihil nos vlterius læderet nullo boni fauore indigeremus. Atque ita iam manifestum fieret, quòd propter malum, bonũ quæsiuerimus, amauerimúsque: quasi bonũ sit mali remedium, malũ verò morbus: & cùm nullus sit morbus, nulla medela indigeamus. a An sic natura instituta est ipsum bonũ vt propter malum ametur à nobis, qui inter bonum malúmque medij sumus? ipsum verò suapte natura nihil conferat? Ita videtur. Amicum itaque illud, in quod desinebãt cætera omnia, quæ alterius amici gratia amica dicta sunt, longe aliter quàm illa se habet. Illa enim amici gratia amica vocata sunt: ipsum autẽ quod reuera amicum est, contrà amicũ esse inimici causa nobis apparuit, quòd si inimicũ abesset, haud amplius nobis esset amicum. Non, vt mihi præsens ratio persuadet. Si malum extirparetur, vtrum per louem fames nulla, sitísve restaret, aut huiusmodi quicquam? an fortè fames aliqua relinqueretur, cùm homines cæteráque animalia essent, neque noxia tamen? & sitis appetitúsque reliqui, nec mali tamen, malo penitus extirpato? An ridicula fortan quæstio est, quid tum euenturum sit, aut non? Quis enim nouit? Sed tamen hoc nouimus, quod nunc quidem accidit esurientem lædi, accidit & iuuari. Vtique. Nónne sitientẽ quoque, & alia huius generis qualiacúque cupientem, quandoque vtiliter, quandoque noxiè, quandoque neutro modo appetere accidit?

Valde.

a *An depellendi mali dũtaxat bona à nobis expetantur & ametur.*

Valdè. Si mala perdantur, quæ mala non sunt, cum illis vnà interimentur? Nequaquã. Erunt igitur appetitus nec boni, nec mali etiã si mala fuerint interempta. Verisimile. Fieríne potest, vt quí desiderat aliquid, atque ardet, id ipsum non amet? Non, vt mihi videtur. Hac de causa etiam destructis malis, vt videtur, amica nonnulla restabunt. Ita. Sin autem malũ causa esset vt alterum alterius esset amicũ sublato malo nihil amicum esset. Nam sublata causa, id cuius causa erat, remanere nõ potest. Probè loqueris. Nónne suprà inter nos conuenit, amicum amare aliquid, & propter aliquid: ac propter malũ, id quod nec malum est, nec bonum, ipsum bonum amare? Conuenit. In præsentia autem, vt videtur, alia quędã causa vicissim amandi apparet. Videtur. Nũquid, vt modò dicebamus, desideriũ amicitiæ causa est, & id quod desiderat, desiderati est amicum tunc quando desiderat? Quòd verò suprà diximus amicum esse, nugæ quædã sunt, velut poëma longum compositæ? Fortassè. Enimuero quod appetit, illud quo indiget, appetit. Idipsum. Indigens[a] itaque, amicum est illius quo indiget. Sic opinor. Eget quodlibet eo quo est priuatum. Quid prohibet? Eius igitur quod proprium & cognatum est, vt videtur, amor, amicitia, appetitióq; existit, ô Menexene atque Lysis. Cõcedimus. Quare & vos si amici estis inuicem, natura quodammodo propinqui estis. Et maximè quidẽ. Et[b] quisquis alius desiderat alium, ô pueri, aut amat, ob id desiderat, & diligit atque amat, quòd propinquus illi est vel secũdum animam, vel animæ consuetudinem, aut mores, aut speciem: alioquin nunquam diligeret. Consensit planè

[a] *Indigens, amicum est illius quo indiget.*

[b] *Causa veræ Amicitiæ inter homines.*

Menexenus, Lysis verò tacuit. Sed ego, quod inquam, natura proprium est, necessarium est vt amemus. Videtur. Ergo necessarium est vt legitimus, & minimè simulans amator, vicissim ab amatis ametur. His Lysis atq; Menexenus vix tandem annuerunt. Hippothales autē lætitia gestiēs vultu & colore vario fuit. Cæterùm volens diligentius sermonem discutere, hæc adieci. [a]Si proprium, & simile differunt, diximus iam, ô Lysis atque Menexene, quid est amicum: sin autem idem & simile, atque proprium, haud facile est sermonem superiorem reiicere, quòd non simile simili secundum similitudinem inutile: inutile autem, amicum nullo pacto. Vultis igitur postquàm disserendo velut ebrij facti sumus, fateamur aliud quiddam esse proprium, aliud simile? Volumus proculdubio. Vtrum bonum cuique propriū ponemus, malū autem alienū? An malum malo propriū, bono bonū, neutro denique neutrum? Singula hæc singulis propria nobis esse videtur. Rursus, ô pueri, in eos quos à principio de amicitia redarguimus sermones nunc incidimus. Nam iniustus iniusto, malo malus non minùs amicus erit quàm bonus bono. Ita videtur. Quid porrò si bonum, & proprium idem esse dixerimus, nónne bonus bono duntaxat amicus? Omnino. At istud quoque confutatum à nobis iandudum existimauimus. Recordamini. Optimè. Quo igitur sermone deinceps vtamur? ad nihil videlicet? Operæpretium itaque est instar sapientum, in iudiciis quæ dicta sunt, enumerando resumere. [b] Si enim nec amantes, neque amati, nec similes, neque dissimiles, nec boni, nec proprij, nec alia quotcūque dinumerauimus, quorum

[a] *Simile & οἰκεῖον. hoc est propinquum seu cognatū an differant.*

[b] *Breuis Recapitulatio superiorum.*

quorum propter multitudinem haud memini, si in quâ nihil ex istis amicũ est, nihil equidem quod afferã, ampliùs habeo. Cùm ista dixissem, cogitabã quendã è maioribus natu movere, sed illico tanquã dæmones quidã pædagogi tam Lysidis quàm Menexeni, vnà cũ fratribus illorũ, domũ eos redire iussérũt, vesperi enim venerat. Primùm itaq; nos, & alij circũstantes pædagogos repulimus. Sed cùm nihil nos curarẽt, & barbarè quædã ingerẽtes grauiter ferrent, nihilominus pueros vocarẽt, illorũ procacitate victi, cœrũ dissoluimus. Videbãtur enim nobis, quia *[festis Mercurialib.] succubuissent, nihil habere quod in mediũ afferrent. Postea iam abeuntibus illis ad Menexenum Lysidémque conuersus, hæc breuiter intuli, In præsentia ridiculi ineptíque euasisse videmur, tam ipse grandis natu, quàm vos pueri. Siquidem isti abeuntes nos carpent, quòd amicos inuicem nos esse putemus, ego enim me inter vos annumero, cùm nondum quid amicus sit, inuenire potuerimus.

* vel si legitur ὑποπεπωκότες, quia in festo plusculum portassent.

PLATONIS THEAETETVS, VEL, de scientia.

EPITOME MARSILII FICINI IN THEAETETVM, vel, De Scientia.

Dialogus de scientia Petre Medices, insurgit altius, et dignas miro ingenij tui acumine quæstio-

nes mouet, quarũ capita, solutionésque in hoc cõpen-dio summatim animaduertes. Vbi quid scientia non sit, quid sit, & vnde, & quomodo, disputatum repe-rires. Socrates quidem quid scientia sit, interrogat. Theaetetus autem respondet scientiam esse geome-triam, arithmeticam, cateráque huius generis di-sciplinas, & artes singulas. Hanc Socrates respõsio-nem tanquam interrogationi minus congruam re-spuit. Quia cùm interrógaretur quid scientia sit, non quid, sed quot scientiæ sunt, enumerat, & cuius scientia sunt, exponit. Qui enim arithmeticã dicit, non scientiã ipsam, sed numerandi scientiam: & qui geometriam, metiendi scientiam dicit. Deinde ridi-cula respõsio est, cùm per ignota reddatur. Nemo e-nim potest quid hæc scientia numerorum vel figu-rarũ sit, nosse, nisi quid est scientia, nouerit. Praterea superflua respõsio est. Nã cùm possint paucis cõple-cti ipsius scientiæ rationes dinumerandu singulu in-finitum iter ingreditur. Affert post hæc Protagora definitionẽ, scientiam sensum esse dicẽtis. Hominem quippe Protagoras rerũ omnium mẽsuram esse cen-set, existentium quidẽ vt sunt, non existentium au-tem, vt non sunt, & quælibet cuique talia esse, qua-lia cuique videntur. Quales enim res quæque sunt, tales sentiri. Quales sentiuntur, tales phantasiæ, id est sensui interiori videri. Quo effici vult vt sensus scientia sit. In hoc sanè Thales Milesius, Homerus, Epicharmus, Empedocles, Heraclitus, Protagoras cõ-senserunt. Nam cùm inquit Thales, aquam omnium esse principium, & Homerus patrem omnium Oceа-num, matrem Tethydem esse, omnia ostendunt in flu-xu versari. Hos reliqui quos memoraumus, imitati, nihil esse vnquam, sed fieri semper vnumquodque dixerunt. Vnde nihil in se absolutè tale potius esse quàm tale, sed per motum, mixtionem relationémque vnius ad aliud, huic quidem tale, illi tale, & fieri

sien,& videri. Quòd omnia in motu sint: ex eo constare putant, quòd à motu omnia fiant: quòd autem a motu omnia, ex eo coniiciunt, quòd à quo quidque stupor illud & conseruatur Sed tam illa quæ ad animam, quàm quæ ad corpus pertinent, motu & exercitatione seruantur, otio torporéque pereũt A motu igitur omnia. Quòd autem nihil secundum seipsum vnum aliquid sit, sic exemplo inducunt: albedo, & quisque color, nec oculorum aspectus est, neque corporum motus, sed ex aspectu motúque medium quiddam resultat, id est talis circa oculos passio. Et ex diuersa aspicientis disp sit.one varióque intuendi modo, colores varij, & aliàs alij videntur, & fiunt. Præterea radiorum motus varius corpora pulsans, oculósque feriens, diuersas & omniformes imagines offert. Quinetiam sæpe diuersis hominibus animalibúsque circa idem diuersus color apparet & est: sæpe quoque eidem, & circa idem, quanquam non eodem, sed alio tempore ob naturæ ipsius mutationem. Opinantur igitur quicquid est, esse motum. Motus autem species duas, vnam in agendo, in patiendo alteram. horum motuum commixtione omnia, vt ipsi aiunt, conficiũtur. Euentus specie gemini, numero infiniti sunt, sensibile videlicet, atque sensus, qui cum sensibili fit semper atque congreditur. Quoties enim sentiendi vis aliqua, & aliquid illi consonum vna cohærent, eorũ concursu duo quædam proueniũt: circa id quod obiectum est, species sentienda, color, sapor, odor, cateráque huiusmodi. circa vim animæ, sensus. Quibus disiunctis: fia non fiunt Quo fit ex iis quæ quinque sensibus efferuntur, nihil tale suapte natura vel tale sit, sed cum sensu congrediens aliàs aliud fiat. Nihil enim agens vel patiens secundum seipsum est, sed in alterno cõgressu vtrunque. Quare nihil seipso vnũ aliquid est, sed ad aliud & alicui

semper fit, nec est vnquam, verum sit, fluitque semper. Hæc autem ex eo redarguit Socrates, quod ebrij, & hi qui phreneſim patiuntur, & inſani & dormientes cùm somniant, nécnon qui ſenſus alio quodam modo corruptos habent, vera ſentire ſe, & cogitare affirmant, cùm omnia tamen illorum viſa falſa eſſe dicamus. Quo efficitur, vt non omnia quæ videntur, vera ſint. In eandem dubitationem cadunt, quæcunque vigilantes ſobriique ſentire dicimus. Nam æquum fermè tempus ſomno, & vigiliæ viciſſim damus. Ideircò dubium eſt, vtrum hæc an illa potius ſomnia falſáque ſint. Qui verò apparentia omnia vera eſſe opinanti volunt, ſic vtique reſponderent, quòd varia agentium patientiumue affectiones diuerſa producunt: & obiecta quæ ſentiuntur, agunt ſecundum patientis ſenſus affectionem. Hæc in vigilantes & dormiente, ægrotante, & bene valente alia eſt. Quapropter & alia iudicia fiunt, omnia tamen vera: quia omnia cuique talia ſunt, qualia iudicantur. Meminiſſe enim oportet quod ſuprà dictum, nihil ſuæ naturæ abſolutè vnum aliquid eſſe, ſed ad alterum, & alteri, & alterius eſſe, quicquid aliquid eſt. Imò fieri quicquid ſit aliquid, eſſe verò nihil. Hæc itaque ſibi inuicem conſonant: ſecundum Homerum & Heraclitum, omnia fluere: ſecundum Protagoram, verum omnium menſuram eſſe hominem: ſecundum Theætetum, ſcientiam eſſe ſenſum. Aduerſus eos ita Socrates argumentatur. Si ſenſus ſcientia eſt, bruta quæ magis quàm homo ſenſibus valent, ſcientia præſtabunt. Item ſi vera ſunt quæcunque videntur, cuiuſlibet hominis cogitationes æquè rectæ ſunt, nec vllus alio ſapientior, nec homine Deus. Accedit ad hæc quòd inanis eſſet docendi, diſputandi, redarguendi facultas, cùm nihil diſcere oportet eos, qui verè de ſingulis iudicant, neque in-

qui-

quirenda sint quæ quisque possidet, neque redarguendum aliquid sit: quandoquidem cogitationes qualibet veræ sunt. Præterea si idem est sentire ac scire, vt videre atque audire, tum primum literas inspiciunt pueri nondum eruditi, vident eas, sciunt igitur, aut si nescire dicantur, dicantur etiam non videre. Et cùm primum barbaros sua pronunciantes audimus, nondum illius linguæ peritis, sicut audire, sic & scire quæ proferunt affirmabimus: quod si quis intelligere neget, neget similiter & audire. Respondebit ad vltimum hoc Protagoras, quod videmus audimúsne, scire: quod ignoramus, nec sentire quidem. Vt in literis figuram, situs partium, & colorem pueri vident, & videntes sciunt. Voces barbaras audientes, mox acutum, & graue vt audiunt ita sciunt: literarum verò vecúmque significata cùm non sentiant, prorsus ignorant. Contra illum sic infertur. Ex hocsó Protagora, sequitur, vt cùm significata sciunt, alio quodam quàm sensu sciant. Scientia itaque aliud quiddam est quàm sensus. Item si videre scire est, non videre nescire erit. Quod autem quis vidit, id nisi que & meminit, scit. Sæpe verò id non videt, ergo & nescit, quapropter idem simul & scit & nescit. Præterea si vno oculo aliquid videas, alio clauso nihil cernas, illud vides pariter & non vides. Quare litigiosus quispiam dixerit: Si videre scire est, & non videre nescire, idem scis simul & nescis. Adde quòd cùm quid eminus & confusè prospicis, vides quidem, nescio tamen, cùm dubites. Non igitur scientia sensus est. Responderet fortè Protagoras, primo quidem de memoria & scientia distinguendo. Nam cùm primùm sentiendo quis patitur, memoriter tenere incipit, deinde etiam non patiendo meminit, cum iterum idem sentit patiúrque, reminiscitur, in primo quidem scit actu, non habitu: in secundo, habitu, non actu: in

tertio,& actu simul & habitu, quare interdum & scit & nescit. Neque tamen hæc contraria. Nam non eodem modo quo scit ignorat. Ergo cùm non videt, meminit tamen scit habitu,actu nescit. Hæc verò contraria non sunt. Et cùm à Socrate dicitur alius alio sapientior, respondet Protagoras, non ex eo sapientes quosdam,insipientes alios esse vocãdos, quòd alij vera,alij falsa opinentur. Nam opinari vnumquenque illa quæ quisque patitur,pati ea à quibus mouetur, moueri ab his quæ agunt,agere illa quæ sunt,quæ sunt vera esse. Ex quo omnes opinari vera concludit, non tamen omnes bona atque decora. Sapientes asserit eos,qui bene affecti quæcunque offeruntur vt bona suscipiunt,bonáque sibi putant.& vt putant,sunt. Insipientes illos,qui malè affecti,mala iudicant,& mala sibi sunt quæ iudicant. Contra id quod dicitur, omnes vera opinari, sic Socrates. Accidit in omni vita & singulis facultatibus, vt existimemus in quibusdam nosmetipsos verè iudicare,in nonnullis alios. quisque enim facultatem aliquam profitetur, & alteri in aliena arte concedit. Aut existimatio hæc vera,aut falsa est. Vtrinque sequitur,non omnes homines verè putare. Nam si vera existimatio illa,verum erit quod quidam in multis verè iudicat, in quibus nos falsè opinamur. Non omnes igitur vera opinantur. Sin falsa,ergo in hoc saltem sæpe decipimur, quare non omnis opinio vera. Quinetiam sæpe contingit,vt quæ vnus,vt vera cogitat, ab omnium aliorum opinione abhorreant : illa igitur illi vera,falsa aliis videbuntur. Erunt igitur falsa,tamen plus quàm vera,quò pluves sunt quibus falsa quam quibus vera putantur. Non ergo mensura rerum ille,sed alij. Quare non omnes mensura rerum omnium sunt. Item Protagoræ sententia,quòd omnis opinio vera sit,Paradoxon est, & præter omnium fermè sententiam, ex quo omne

pene

penè genus hominum falsam eius opinionem censet: quòd si vera est omnis opinio, verum & hoc vniuersale iudicium, ergo vt falsa putatur, ita & est. Protagoræ ipsius positio, quæ dicitur omnem opinionē esse veram. Nam seipsam, ita dicendo falsam esse concedit. Et si dixerit falsò putare illos qui ab eius dictis abhorrent, hinc quoque idem sequitur, non omnem scilicet opinionem esse veram. Præterea qui ignorat, mensura eius quod ignorat esse nequit. Qui dubitat, ignorat: omnes homines dubitant, multa ergo ignorant. Non omnes itaque omnium mensura sunt. Cúmque dicit, qualia cuique singula videntur, talia sunt, aberrat. Quæ nanque medicinæ artis ignaris salubria corpori noxiáue videntur, non semper talia sunt, sæpe illos opinio fallit: & quæ vtilia vel noxia in reipublicæ administratione ciues deliberando decernunt, non semper reipublicæ talia sunt. Obsunt enim multa quæ profutura sperabant: & quæ nocitura, prosunt. Quod si ipsum salubre, & vtile nē sola opinione hominumq; consuetudine constant, sed aliquam suapte natura substantiam habent, multò magis honestum ipsum atque bonum, quippe vtilium principium est, & finis. Quapropter nec in his quæ ad corporis curam, nec in illis quæ ad animam & reipublicæ gubernationem spectant, qualia cuique singula videntur, talia sunt. Etenim si quæcunque videntur talia essent, quoties quis futura prædiceret, verè nimirum præsagiret, quod quidem falsum est. Rarò enim futura talia veniunt, qualia cogitantur. Et si quis de futuris iudicat, non quiuis id agit, sed artifex de his quæ ad eius artem spectant. Vt futuram febrem medicus potius quàm musicus, futuram consonantiam musicus melius quā medicus præuidet. His denique confutatis occasionē sumens Socrates à libertate vel seruitute loquendi, de libertate philosophantium, & seruitute ciuilium

ac rhetorum disputat, qualis sit utrorumque vita: quòd philosophi finis est ab humanis malis ad superna bona conscendere: de præmiis eorum qui cœlestia petunt, pœnis eorum qui terrenis inhiant. Qua digressione peracta ad propositam quæstionem reuertitur. Eius fundamentum erat Heraclti sententia, quòd omnia moueantur. Cuius contrarium Parmenides, & Melissus, & Eleates Zeno senserunt. Omne enim vnum & immobile posuere. Quorum dogma Plato in libro, De vno rerum omnium principio, quẽ traduximus, exponit & approbat. Contra verè Heraclitum & Protagoram à motus diuisione differere incipit. Motus duo sunt genera. Vnus secundum locum motus, secundum rei naturam alter. Latio illa alteratio hæc dicitur. Lationis species duæ, transitus & circulatio. Quia vel de loco ad locum fit transitus, vel circa locum vnum eundémque circuitus. Motus verò in ipsa rei mota natura, aut secundum substantiam, aut circa quantitatem, vel qualitatem efficitur. Si secundum substantiam ad ipsum esse quid mouetur, generatio: si ad non esse, corruptio. Secundum quantitatem ad maius incrementum: ad minus, decrementum dicitur. Motus qui de qualitate in qualitatem, affectio nominatur. Sortitur deinde varia ex variis qualitatibus nomina. Nam qui ad calorem, calefactio: ad frigus, frigefactio: ad colorem, coloratio, similitérque de cæteris. Distinctione præmissa quærit Socrates, si mouentur omnia, vtrum duobus illis motus generibus singula, aut vnò quodam multa, duobus alia moueantur. Si vno quodam multa, sequitur non magis illa moueri quam stare. Nam si modo quodam mouentur, quodammodo & quiescunt. Opinio verò illorum non id vult, sed omnia omnino sine vllo statu moueri: quò fit vt omnibus motibus agitentur. Ergo dum res à loco ad locum feruntur, ex affectione interim

terim in affectionem iugiter transeunt, vt ex calore in frigus, albedine in nigredinem, vel contra. Quæritur, vtrum sub vna quadam harum forma aliquantulum maneant, nécne. Si manent, sequitur vt non omnis status sit expulsus. Si non permanent, dum quid calidum aut album pronunciatur, desinit calidum esse vel album. Imo prius quam pronunciatio incepta desinat, desinit esse forma. Vnde nihil vnquam verè pronunciatur aut percipitur: nec magis calidum illud, quàm non calidum, album quam non album est prædicandum, cùm in nullo consistat, & sit & non sit pariter dum profertur. Quam ob causam rerum formæ nobis ignotæ sunt. Idem de sensu dicendum. Nam nec visu in visione, nec in audiendo auditus momentum permanet. Quocirca non magis videre aut audire, quam non videre, & non audire contingit, etiam dum videre & audire nos profitemur. Ex quo sequitur, vt sublatis sensibus sublata sit & sensuum veritas: qua sublata nullo modo dicendum sensuum scientiam esse. Addit & aliam rationem, ad cuius intelligentiam aduertendum est, quòd Plato nullam corpori cognitionem tribuit, quemadmodum nullam vitam. Quod viuit, id sentit: venit anima, & anima sentit. In corpore autem nec vita nec sensus, sed vitæ sensúsque opera declarantur. Ideò quos sensus quinque alij vocant, ipse organa quinque sensus appellari vult, nihilque his instrumentis sentire, sed per hos, quasi meatus ab vna quadam animæ vi sentiri singula putat, quem sensum communem vocat, in quem vndique è singulis corporis organis, vt ad centrum circuli è circunferentia lineæ variæ passiones influunt. Colores quidem per oculos, per aures soni, per nares odores, saporésque per linguam, denique per totum corpus calor, frigus, humidum, siccum, graue, leue, molle, durum, lene, asperum,

rarum, densum, acutum similiter & obtusum. Quòd anima ista non multis, sed una vi sentiat, patet: quia sentiendo colorem, dicimus non esse vocem: & saporem sentiendo, non esse odorem pronunciamus. Non potest aliud ab alio distinguere, qui non utrunque cognoscit. Nullum organum eadem quæ & aliud organum porrigit: & si eadem, non eodem modo. Ideirco eorum quæ sentiuntur distinctio, non in organis est, sed in una quadam vi animæ percipiente singula, & singula simul à singulis distinguente. Quæ cùm ipsa hæc omnia sola possit, quod nec etiam Peripatetici negant, quid multis sensibus opus est? Hic sensus quem communem vocant, omnibus animalibus statim natis inest. Præter quem est & alia vis, quam phantasiam, opinionem, cogitationem, diminat. Cuius officium est, de his, quæ communis sensus per organa quinque sensit, iudicare, non quare solum, sed quid sunt, quod eorum unumquodque idem est secum, ab alio aliud: unum seorsum, iuncta verò simul duo vel tria, similia item & dissimilia, bona vel mala, pulchra, turpia, utilia, noxia, & ab uno in aliud ratiocinando percurrere, aliud applicare cum alio, & præterita & futura cum præsentibus comparare. Itaque hæc vi essentiam, unitatem, numerum, idem, alterum, similitudinem, dissimilitudinem, pulchrum, turpe, bonum, malum, utile, inutile iudicamus. Quod equidem iudicium cùm non statim nati adsit, sed longo post tempore, nec omnibus animalibus, sed quibusdam, patet quod alia quadã vi præter communem sensum hæc percipimus. Hanc phantasiam perfectam, & opinionem nuncupat. Quæ tamen ipsa non sufficit. Nam hæc omnia proprio quodam, & particulari modo, certo sub tempore locóque, & conditione iudicat. Scimus autem nos de iisdem in genere, & vniuersali modo etiam iudicare, non quid nunc homo hic, vel vbi hoc vtile, verùm

quid

quid ipsa semper humanitas, quid passim vtilitas ipsa sit. Ideóq; alia vi opus est, quæ vniuersales rationes verũ generatim percipiens deinde discurrat in aliã, discurrendóque argumentetur. Quod quidem in nobis fieri dum syllogismos nectimus, nemo dubitat. Hanc rationem vel cogitationem dicimus vniuersalem: cum opinionem ipsam, particularem rationem cogitationémque nuncupemus. Ad hanc denique mens accedit, quæ omnes rationes rerum non discursu, sed simplici stabilique intuitu percepit. nã supra motum ac tempus, status & æternitas esse debet. Motus quidem & tempus in ratione: in mente status est, & æternitas. Non enim aliud post aliud discit, sed simul omnia tenet. Supra mentem ipsa animæ vnitas est summi boni character, qua non rerum rationibus ideisque, sed primo rerum omnium principio, quod ipsum vnum est, iungitur. Cùm omnes animæ vires, quæ in cognitione versantur enumeratæ sint, & scientia in cognitione consistat, in qua potissimum vi scientia sit, videndum. Sensui quidem non conuenit, vt multis iam rationibus constitit, & hac præcipuè, quia sensus ille communes essentias rerum non iudicat, sed passiones quasdam corporum solummodo percipit. Quisquis ignorat essentiam, ignorat & veritatem. Qui veritatis est expers, à scientia alienus. Non ergo in sensu scientia, vbi animã non versetur, sed per corpus percipit, atque ideò sæpe decipitur. Sed in phantasia forsitan, & opinione consistit, vbi essentias iam percipimus, & animã per seipsam sine corporis ministerio iudicat. Atque hac sententia secundo loco Theæteto placet, quod scientia sit opinio, non quælibet tamen sed opinio vera: falsa autem opinio, ignorantia. Cùm verò Theætetus opinionem in duo distinxisset, veram & falsam, quæsiuit illicò Socrates, quomodo falsa opinio esse posset. Vnumque supponit, quod quisquis opinatur,

aut ea quæ nouit, aut quæ non nouit opinatur. Vnde in hunc modum ratiocinatur. Qui opinatur falsa, nunquam ex eo falsa opinatur, quod pudet aliqua quæ nouit, alia quædam esse quæ etiam nouit. Nã qui vtraque nescit, aliud pro alio nunquam accipit. Neque quæ non nouit, alia quædam quæ non nouit. Nihil enim de illis quis iudicat, quæ nunquam in cogitationem venerunt. Neque quod nouit, id quod nunquam nouit: aut contrà quod non nouit, id quod nouit esse. Quis enim pro ignoto notum, vel pro noto ignotum accipiat? Hu igitur modis opinari falsa, nullus posse videtur. Forte verò vel alia quodam pacto falsa homines opinantur, cùm ea quæ nõ sunt, opinantur. Ex quo falsa opinio erit, ea quæ nõ sunt opinari. Sed neque id fieri potest. Quisquis enim videt, vnum aliquid videt: qui vnum aliquid videt, existens quoddam videt: qui verò non existens videt, nec vnum aliquid. Qui non vnum aliquid, nihil: qui nihil videt, nec videt quidem. Ergo aut non videt, aut quod est videt. Similiter de auditu ac cæteris sensibus affirmare possumus. Quamobrem cũ opinio sensum sequatur quicunque opinatur, vnum aliquid opinatur: qui vnum aliquid opinatur, existens aliquid opinatur. ergo quod est opinatur. qui verò non existens, etiam nec vnum aliquid. Si non vnum aliquid, nihil igitur. Si nihil opinatur, nec opinatur quidem. Itaque aut non opinatur omnino, aut quod est opinatur. Quapropter neque hoc modo falsa aliquis opinabitur, quod quæ non sunt opinetur. Accedit modus alius quo commutatio fit, ita vt aliud pro alio accipiamus: vt pro pulchro turpe, & pro vtili inutile. quod quidem Socrates ita refellit. Opinari, secum ipso loqui est, dum nobiscum & interrogamus, respondemus, affirmamus atque negamus. Nec est locutio hæc intrinseca extrinseco sermone deterior. In extrinseco verò sermone nul-

lius

lus vnquam dicit quod turpe est, esse pulchrum: & quod homo, bouem esse: quod par impar, aut huiusmodi aliquid. Quare multò minus cogitando assereret, horum vnum aliud esse. Nam aut nosceret vtraque, aut alterum solum. Si vtraque, nunquam vtiq; commutaret. si alterum neque sic etiam. quod enim cognoscit, nunquam pro illo quod nondum in cogitationem venit acciperet. quo fit vt nondum inuentum esse videatur, quomodo falsa opinio nobis insit. Vtitur hic Plato, & in Philebo, Sophista, atque Menone, sex nominibus ad eandem vim animæ pertinentibus, ad sex illius officia significanda. Nam cùm post sensum communem anima eadem quæ & communis sensus apprehendit, opinante potentia percipit prima ipsa perceptio, imaginatio dicitur. Vt apprehensa conseruat, memoria. Vt iterum qua seruauit, in seipsa resumit, reminiscentia. Et cùm resumendo de alio in aliud quasi quadam ratiocinatione, ne discurrit, cogitatio. Postquàm verò discursu peracto affirmatur aliquid vel negatur, opinio. At verò cùm opinione percepta per sensum atque memoriam anima cogitatione refingens ita in hæc respicit velut in illa à quibus ista manarunt, & quæ imagines sunt res veras esse putat, picturam quandam, & phantasiam Plato nominat. Et cùm ceream conducit effigiem, cerebri naturam nequaquam intelligit. Non enim dixit in corpore, sed in animo ceream effigiem esse. Cùm verò in incorporeo nihil sit corporale per translationem quandam operúmque similitudinem potius quàm ita vt verba sonant, hæc intelligenda sunt. Neque in corpore figi vult rerum imagines, neque in animo ab externis obiectis effingi, sed vel ex natura sua habere illas animum, vel occasione ab externis motibus corporisque passionibus sumpta in seipsum sua vi formas rationésque concipere. Qui de his dubitat, Plotini summi interpretis

commentaria legat. His expositis ad opinionis falsæ modos redeundum est. Inducit plurimos Socrates, & multos refutat, & vt sophistarũ factũ reprimat, sæpe quæ concessa ab illis sunt, iterũ atq; iterũ cõfutat. Tandem ex Platonis mente colligendum est, quòd quando sensibile quoddam primò nobis occurrit, eiusque occursu sensus in nobis efficitur, & à sensu memoria, ac deinde rursus idem nobis obuiatur, memoriam præcedentem cum sequente sensu componimus, & in his iam dicimus Socrates, equus, ignus, cæteráque huiusmodi. Atque hæc opinio quædam nuncupatur, componentibus nobis præcedentem memoriam cum recente sensu. Et quoties hæc quæ colligantur, inuicem consonant, opinio vera existit: si dissonant, opinio falsa. Nam siquis dum Socratis speciem in memoria seruat, Platonem ipsum offendat, putétque se ob quandam similitudinem Socrati rursus occurrere, posthmodum Platonis sensum velut à Socrate hauriens, memoriæ Socratis ipsum accommodet, opinio falsa resultat. Atque hoc pacto opinio falsa fit ex collatione sensus ad cogitationem. Fit & alio modo, collatione commutationéque cogitationis vnius ad alterius cuiusdam cogitationem. potest enim quis numerorum quorundam species, quæ in memoria latent, etiam absque præsente sensu, cogitando inuicem permutare, ita vt XII. pro XI. & contrà XI. pro XII. capiat. Verum dubitatio quædam suberitur. Nam quicunque species seruat scit ea quorum species habet. hos ergo scit numeros. Sin commutat ignorat. Quare simul eadem & scit, & ignorat. Respondendum, non esse absurdum vt is qui vno modo scit, ignoret alio. Nam is habitu quidem scit, actu ignorat. Quocirca his nihil impedientibus, duæ falsæ opinionis species inuentæ sunt, & paulò antè expositæ. Oritur & alia dubitatio. Quia si quis dũ scientias duorũ quorundam

dam habet, commutando falsò opinetur, & alterum pro altero capiat, videtur rē ipsam cuius habet scientiam, ignorare: & quod deterius est, scientia ipsa non ignorantia ignorare cum ipsa scientia commutationis causa sit, ignorantiæ commutatio. Quòd si ita est, cum scientia ignorare nos faciat, nihil prohibet quin ignorantia scire efficiat. Respondet ad hæc Theætetus, ponendam in animo insciti æ sicut & scientiæ speciem, & qui alteram pro altera capit, falli, atque ita per ignorantiam potius quàm per scientiā ignorari. Responsio hæc minimè sufficit, quin eodem modo quo & suprà, quæretur, si commutat eas inuicem species, utrum cognoscat utranque, aut ignoret, aut alteram norit, alteram ignorauerit. Vnde superior controuersia omnis redibit. Item si ponendæ species qua scientia noscitur, & qua insciti a, iterum species aliæ quibus species hæ noscuntur, ponendæ sunt, & aliæ rursus quib. illæ. atque ita in infinitum progrediemur. Quocirca non ita, sed aliter respondendum. Nam dicendū erat, vt Socrates suprà scitigerat, quòd non rerum notiones permutationis causa sunt, sed confusio notionum, negligentia diuturna: externa similitudo haud exactè discussa. Non ergo scientia, imò confusione, negligentia, deceptionéque ignorare videmur. Quanquam hæc haud absolutè iudicari prius possunt, quàm quid est scientia, fuerit declaratum. Nam per lucem tenebras, per sonum silentium, per bonum malum, per verum falsum dignoscimus. Ante igitur quid scientia est, de imaginem videtur, quam falsa opinio declaranda, si perfectè illam comprehendere cupimus. Hinc Theætetus scientiam esse veram opinionem asserit. Quod quidem ex eo confutat Socrates, quòd oratoria facultas persuadet, non docet: qui persuadet, opinionē inducit, & opinionem veram, cū vera refert, neque tamen scientiam. Nā de his quæ in motu sunt sem-

per, & alias se aliter habent, certa nunquã scientia est. Talia verò sunt humana negotia, de quibus oratores agunt, præsertim cum sæpe ad ea credẽda auditores inducant, de quibus ipsi dubitant, & quibus nunquam interfuerunt. Addit posthæc Theætetus Leucippi, & Cyrenæi Theodori definitionem. Scientia est opinio vera cum ratione. & idcirco quæ ratione habent, sciri possunt: quæ ratione carent, minimè. Et Prodicus Chius Leucippum imitatus, elementa rerũ quia simplicia sũt, propterea, sine ratione ignota esse asseruit: cõposita verò, cùm rationem habere possint, nota. Rationem quidem definitionem, & orationem quandam declarantem rei substantiam proprietatẽque intelligunt. Quæ quia plura includũt, subiectum & prædicatum interdum etiam copulã, id est verbum & nomina, compositũ quoddam significat. Elementum verò simplex, ideóque rationis expers, & ignotum relinquitur. Duo quæ dicta sunt, Socrates confutat, prius quidem posterius hoc, quo dicitur, Elementa, quia simplicia, ignota: quæ ex his effecta sunt, quia composita, nota. Deinde prius illud, quòd scientia sit cum ratione opinio vera. Et exempli causa pro elementis literas accipit, pro composito syllabam. Verùm quæ de his tradit, de rebus omnibus intelligi vult. Prima contra illos ratio est. Quia quemadmodum composita ab elementis dependent, ita compositorum cognitio ab elementorũ cognitione perficitur. Neque enim sine causa, quæ à causa sunt cognosci possunt. Quapropter impossibile est, ignoratu elementis scire composita. Ité sume cõpositũ quoddam, vt ecce So, primam nominis Socratici syllabã. Vtrũ syllaba hæc vtrag, elementa est? An vna quadã species ex elementis cõgredientibus nata? Si vtrag, ergo quisquis syllabam hanc, so, nouit, vtraque elemẽta nouit. Interrogatúsque quid est so, s, & o, respondebit. Et si s, & o, ignorabit, so nunquã cognoscet. Nã qui vtrũq;

nescit,

nescit, nescit & ambo. Impossibile igitur est ignoratis elementis composita nosse. Sed dicet forte aliquis, syllabã & vnamquanq; speciem, non elementa, sed vnũ quiddã praeter illa existere. Quem Socrates sic interrogat: Vtrum species haec & syllaba partes habeat nẽne. Si habet, totũ quoddã est, & omne. Totum verò, & omne nihil aliud est quàm partes omnes, quod in numeris patet. Etenim totus numerus nihil aliud est quam omnes quas continet vnitates, atque ita species haec cõstabit ex partib. & partes eo ipso quod erũt, totius erũt. Sicut ergo nota species: ita & elementa cognita. Nã si speciẽ nescit, totũ & omne nescit. Si totũ & omnem nullã ipsi ex partib. eius deesse cognoscit. Ergo singulas scit partes habere, singulas itaque nescit: quas si ignorarit vtrũ omnes adsint, nẽne, scire non poterit. Impossibile igitur ignoratis elementis speciẽ noscere. At si quis dixerit speciẽ ipsam vnã partes nullas habere ex eo quòd elementa quibus constat, partes eius non sunt: sequitur vt simplex, & impartibilis sit. Quare sicut elementũ quia simplex, ignotum dictum fuit, ita & species ipsa quia simplex ignota esse dicetur. Ideoq; nullo modo fieri potest, vt ignoratis elementis species, quae ex his fiũt, noscantur. Quod ex eo quoque perspicuè patet, quòd in singulis artibus fundamẽtum cuiusque artis intelligẽdae est, elemẽta rerũ ipsarũ de quib. ars ipsa agit, cõprahendere. Aliquin labor omnis esset irritus. Hoc denique confutato, Socrates tã principalẽ propositionis partẽ refellere incipit, vbi dicebatur, Scientiam esse opinionem veram cum ratione. Tria enim rationis nomine significari possunt, aut oratio, aut per elementa rei discursus, aut definitio. Si primũ, omnis opinio scientia erit. Siue enim vera seu falsa opinemur, quod sentimus sermone proferre valemus: ergo ratione opinabitur, etiam qui falsa opinabitur. Si secundum quoties quis per elementa

discurret, scire dicetur. Id verò idcirco falsum est, quia elementa discurrendo transponere potest, ordinémque peruertere, & elementum vnius rei in aliã quandam referre, & vni elementum alterius accõmodare. Qui verò ista confundit, scire non est dicẽdus. Si tertium, id est definitionem intelligit, & scientiam vocat opinionem veram cum definitione, sic contra illum argumentatur. Definitio interpretatio differentiæ est: ideo quicunque definit, præter rei cõmunia differentiam propriam aßignat. Sed qui Socratem verè & Theætetum opinatur, vtrum differentias opinando Socratis & Theæteti percipit, nécne? Si nõ percipit, nec verè opinatur, nunquam enim alterum ab altero verè distinguerem, nisi differẽtias vtriusque dignoscerem. Ergo eo ipso quo verè opinatur, differentias callet. Quare nihil opus est præter opinionem veram, addere rationem, id est differentiæ notionem. Verùm dicet fortè quispiam, in ipsa opinione sensum quendam imaginationémque differentiæ includi, potius quàm certam differentiæ naturalis intelligentiam, ideoque addendum inscientiæ definitione, differentiæ intelligentiam. Contra hũc ita Socrates argumentatur. Absurda profectò definitio est, qua idem per idem describitur. Cùm verò dicimus scientiam esse opinionem veram cum ratione, id est cum differentiæ intelligentia, scientiã per scientiam definimus. Nam intelligentia differentiæ, differentiæ scientia est, vnde sciẽtia erit opinio vera cum scientia differentiæ, quod dictu ridiculum est. Ex his omnib. iã falsæ sophistarũ definitiones redargutæ sunt. Prima quæ dicebat scientiam esse singulas, quæ discuntur facultates: secunda, quæ scientiã esse sensum: tertia, scientiam esse opinionem veram. quarta, scientiam esse opinionem veram cum sermonis prolatione: quinta, opinionem veram cũ discursu per elementa: sexta, opinionem verã cum differẽtiæ imagi-

imaginatione: septima, opinionẽ veram cum scientia differentia. Hu denique redargutis videndum est quid Plato doceat, quippe in sexto libro de Republica Brotinũ, & Archytã Pythagoricos imitatus, duo rerũ genera ponit, intelligibile scilicet, & sensibile. Illud stabile & incorporeum: hoc mobile corporeũq;. Viam ad illud nosciendum rationem vocat, viam ad hoc sensum: notionem communem illius, intelligentiã: huius, opinionem. Sed vtrunque genus bifariam diuidit. Vult enim esse intelligibile primum, & secundum: in eo ideas, id est diuinæ mentis species notionésque, & mentes alias & animas contineri: in hoc numeros & figuras. Numeri quippe & figuræ quãuis incorporalia sint, tamen quia diuisionem aliquã suscipiunt non pari dignitate qua impartibiles substantiæ censenda sunt. Illorum cognitionem proprio nomine intellectum horum cogitationem intellectualẽ vocat. Sensibile quoque pari diuisione partitur, in primum scilicet & secundum. In primo locat corpora omnia corporeáque. In secundo vmbras, & imagines corporum, siue in aqua, siue in speculis apparẽt. Et eas ita se habere ad corpora, vt mathematica ad diuina existimat. Perceptionem corporum credulitatem propriè nominat: vmbrarum, imaginationem. Deinde circa vmbras corporũ, vel corpora, vel mathematica, scientiã esse negat, sed in solo intellectu diuinorũ eã locat. Quod et in hoc dialogo significauit in principio, cùm scientiã & sapientiã idẽ esse proponeret. Nã sapientiã esse diuinorũ cõtemplationẽ vbique testatur. Quo verò differat intellectus ipse, id est scientia ab opinione, in libro De natura hui verbis ostẽdit: Si intellectus veráque opinio duæ res sunt, necesse est ideas per semet intellectu potius quã sensus cõprahendi. Sin verò vt quibusdã videtur, vera opinio ab intellectu nihil differt, omnia quæ corporea sen timus, certa habẽda sunt. Sed opinor duo esse dicẽda,

propterea q̃ vtraq; magna differẽtia distãt: quippe quorũ alterũ doctrina nobis insinuat, alterũ persuasionis assumptio. Alterũ quidẽ semper cũ ratione vera: porrò sine vlla ratione alterũ. Alterũ eorũ nulla ratione traducibile, alterũ mutans incertũq;. Quidq; quòd rectæ opinionis omnis homo particeps? Intellectus autẽ Dei proprius, & paucorũ admodũ electorũ hominũ? Eadẽ fermè in Menone Philebóque testatur. Quid ergo scientia est? Diuinarũ rerũ certa ratione cõprehensio. Hæc intellectus primò ac semper. In ratione secundò, nec semper. Nam ratio cùm inter intellectũ opinionẽque media sits quoties ad inferiora porrigitur, opinionis repletur erroribus, & diuina cogitare desistit. Cùm verò ad mentẽ sui ducẽ conuertitur, diuinorũ cognitionẽ haurit. Quã proprio nomine in mente sapientiã, in ratione reminiscentiam Plato nuncupat. Et ideo de obstetricia facultate per quã reminiscimur, hoc in dialogo disputauit, vt non modò quid scientia sit, verũetiã quomodo acquiratur intelligeremus. Imo & vnde sit & per quẽ, explicauit: dũ diceret Socratẽ Dei iussu obstetricio munere fungi. Est ergo scientia, diuinorũ certa ratione cõprehensio, in mente residẽs, in rationẽ profluens, à Deo menti inserta, à dialectico præceptore in rationẽ deo aspirãte reducta: rationem in mentem dirigens, mentem cum diuinitate coniungens.

EVCLIDES, TERPSIO, SOCRATES, THEODORVS, THEAETETVS.

MODONE, ô Terpsio, an iam pridem rure venisti? TER. Pridem satis acte in foro quæsiui, & miratus sum, quòd reperire nequiuerim,

quiuerim. EV. Non eram in vrbe. TER. At vbi? EV. Cùm in portũ descendissem, offendi Theætetũ, qui Corintho è castris Athenas ferebatur. TER. Viuúsne an mortuus? EV. Semiuiuus, vulneribus enim quibusdã afflictus est, [sed ipsum insuper inuasit morbus quidã, qui est in exercitu.] TER. Num dyssenteria? EV. Hæc ipsa. TER. O qualẽ virũ refers in discrimine positũ! EV. Præclarũ admodũ atque optimum, ô Terpsio. nã paulò ante nonnullos audiui, qui eum circa rem militarẽ miris laudibus extollebant. TER. Nec mirum id videri debet, imò longè magis mirandum esset, si contra se haberet. Sed cur non diuertit Megaram? EV. Properabat domum. Ego enim & consului & obsecraui, sed ille noluit. Quinetiã comitatus ipsum, cum ego discederẽ, recordatus sum Socratis, atque admiratus quàm diuinè & sæpè aliàs, & de hoc maximè vaticinatus fuerit. Nam paucis diebus antequã è vita decederet, obuiam factus Theæteto adhuc adolescentulo, cum eo disseruit, eiúsque indolem & probauit, & admiratus est. Deinde mihi Athenas profecto [sermones quos cum illo habuerat auditu maximè dignos enarrauit,] atq; insuper addidit, præstãtem omnino virum futurum, si adoleuerit. Ac vera nimium prædixisse videtur. TER. Certè, sed quinam sermones? num referre potes? EV. Non verbis per Iouem, sed literis. Etenim reuersus domũ, statim commẽtariis eos mandaui: deinde per otium reminiscendo latius scripsi, & quoties Athenas proficiscerer, si quid excidissem, Socratem interrogabam, atque huc rediẽs emẽdabam. Quo factum est, vt vniuersa penè disputatio illa cõscripta sit. TER. Vera loqueris.

Audiui enim hæc à te pridé, & [cupiens te rogare, vt mihi illa cõmunicares, huc fæpe accessi.] Quid ergo nunc obstat, quo minus percurramus? Enimuero quiete mihi opus est. Nã ex agro veniens defessus sum. EV. Ego quoque ad caprificum vsque Theætetũ comitatus sum, quamobrẽ libenter admodũ requiescerẽ. Eamus ergo. Nobis enim quiescentibus puer aliquis perleget. TER. Probè. EV. Hic, ô Terpsio liber est: verũ, non ita est à me cõpositus, quasi Socrates mihi referat, vt reuera retulit, sed quasi cũ illis præsens disputet, quibuscum disputasse mihi narrauit. Hos autẽ geometram Theodorum & Theætetũ fuisse dicebat. * Ne igitur in scriptura molestum esset, si inquam, & inquit, consensit, & negauit, sæpius interponeretur, his vitatis Socratẽ ipsum vnà cum illis disputantem induxi. TER. Scitè Euclides. EVCL. Heus tu, accipe librum ac lege. SOC. Si Cyrenei, ô Theodore, præ cæteris mihi curæ essent, quę ad eos spectãt abs te potissimùm exquirerem, siqui illic iuuenes geometriæ, aut alteri philosophiæ studio ardenter incumberent. Nunc autem magis nostros, quàm illos amo, potiúsque intelligere cupio quinam è nostris iuuenibus in viros probos euasuri meritò videantur. Hæc ipse pro viribus semper exploro, & ab aliis ad quos iuuenes conuuere video, sæpe percontor. Te autem non pauci sectantur, & meritò. Nam & aliorum gratia, & geometriæ maximè, concursu dignus esse videris. Si quem igitur nactus es memoratu dignum, libenter audirem. THE. Atqui, ô Socrates, & me referre & te auscultare decet qualẽ è vestris ciuibus adolescentẽ inuenerim. Qui si formosus esset, laudare illum vererer,

* Hunc locũ imitatus est Cicero libro De Senectute.

ne

ne cui forsitan illius amore captus videri possem. Nunc autem ne mihi succenseas, non enim est pulcher. [a] Similis tibi est, simo naso, & prominentibus oculis, quamuis minus ille quàm tu in his modum excedat, liberè tecum loquor: scito in primis me nullum adhuc adoleſcentulum reperiſſe, licet cum multis verſatus fuerim, tam mirabili naturæ felicitate donatum. [nam hominem docilem simul supra quàm aliis contineat, & præ cæteris mansuetum atque cum his omnibus supra quemuis alium, fortem equidem nec fuisse vnquam existimo, nec esse video, qui ita natura sint comparati. Verùm acuti vt hic sagaces- que & memoria, valentes & dociles, vt plurimum in iracundiam impetúmque animi præcipites sunt, proruunt enim atque raptantur, quemadmodum sine retinaculis naues & furiosi potius quàm fortes existũt. qui vero grauiori sunt [b] natura quum ad disciplinas se conferunt, segnes, torpentes, obliuioſi sunt.] Hic verò ita leniter, liberè, suauiter, expeditè, maxima cũ mansuetudine ad disciplinas [& disquisitiones pergit,] vt nec lubricus quietúsque olei fluxus mollior & suauior videatur, & vt mirũ sit tantũ ingeniũ tã maturè ista peragere. SOC. Optima nuncias, sed cuius nostrorũ ciuiũ filius est? THE. Nomen quidẽ eius audiui, sed memoria excidit. Est autem medius ille eorũ qui huc accedunt. Paulò antè enim extra stadiũ vngebantur: ac nunc vncti is & socij sui quidã huc aduentare videntur. Aduerte vtrũ agnoscas, néne. SOC. Agnosco equidẽ. Sunienis Euphronij filius est, vir, ô amice, proculdubio talis, qualem tu filiũ narrasti, probatissimi ante omnes, qui patrimoniũ amplum reliquit,

[a] *Socratis forma qualis fuerit.*

[b] *Raro concurrunt, docilitas & mansuetudo ingenij.*

sed nomen pueri non audiui. THE. Theætetus, ô Socrates, nomen est, * patrimonium autem eius tutores dissipasse videntur. Veruntamen liberalitate mirificè pollet. SOC. Generosum hominem narras: iube huc illum accedere & nobiscum sedere. THEO. Fiat. O Theætete, accede huc ad Socratem. SOCR. Veni obsecro Theætete, vt meipsum contempler, qualem vultum præferam. Inquit enim Theodorus, vultu me tibi similem esse, quòd si vtriusque nostrûm lyram similiter temperatam asseret, vtrum confestim id crederemus? an musicúsne esset prius inquireremus? THE. Inquireremus. SOC. Et si talem reperiremus, crederemus vtique: sin autem musicæ experiem, minimè. THE. Ita est. SOCR. Nunc ergo si curæ nobis est nostrûm vultuum similitudo, videndum vtrum pictor sit qui dicit nécne. THE. Sic videtur. SOC. Nunquid pictor Theodorus? THE. Non, quod sciam. SOC. Geometricus autem? THE. Maximè quidem, ô Socrates. SOC. An & astronomus, dialecticus, musicus, & reliquarum disciplinarum peritus? THE. Mihi quidem videtur. SOC. Dum ergo in aliqua corporis parte consimiles esse nos prædicat, laudans quodammodo, vel vituperans, non multum illi fidei adhibendum. THE. Non vt apparet. SOC. Si alterutrum verò ab animi virtute sapientiáque laudaret, nónne conueniret hæc audienti laudatum ipsum considerare, laudato, autem sese ostendere? THE. Omnino, ô socrates. SOC. Vide igitur, ô amice Theætete, tua interest ostendere, mea considerare. Scito cum Theodorus multos mihi tam peregrinos, quàm ciues laudarit, nullum maioribus ac te laudibus extulisse.

* πάτρῳ.

extulisse. TH. Bene est, ô Socrates, sed vide ne iocans dixerit. SOC. Nō est mos hic Theodori: verū ne renuas quæ concessa abs te sunt, obiiciens quòd his iocis agat, ne testimonium perhibere cogatur. Non facile est eius testimoniū refutare, sed audacter in concessis persiste. TH. Agendū est, si tibi videtur. SO. Dic age, discis aliqua à Theodoro geometrica? TH. Equidē. SOC. Quæ verò ad astronomiā harmoniāque & dialecticā spectant, discis. TH. Annitor equidē. SOC. Ego quoque ô puer, & ab hoc, & ab aliis, quos aliquid horum intelligere arbitror, disco: & quo ad alia in his moderatè me habeo, exiguum verò quiddam dubito, quod tecū, & cum istis inuestigandum. Quare mihi respondeas oro. An non discere est, sapientiorem in eo fieri quod quisque discit? TH. Ipsum. SOC. Sapiētia verò sapientes sunt quilibet sapiētes? TH. Certè. SO. [a] Nūquid hoc in aliquo à sciētia differt? TH. Quidnā? SO. Sapientia videlicet. In quibus sciētes, in iisdem & sapientes? TH. Quid prohibet? SOC. Idem igitur sapientia & scientia est? TH. Idem. SOC. Hoc illud est quod dubito, neque concludere mecū ipse valeo quid scientia sit, habemus quid ad ista dicamus? Quid esse asseritis? quis nostrūm prior ostendet? Quisquis verò aberrauerit sempérque hallucinetur, * asinus, quemadmodum pila ludentes pueri dicunt, sedeat. Sed qui vincet, nihilque aberrarit, Rex erit nobis, & iubebit quicquid responderi voluerit. Quid siletis? Nonne, ô Theodore præ desiderio eruditionis incido in rusticitatem? cupiens vos in disputationem inducere, amicósque & collocutores inuicem fieri. THEAET. Minimè hoc, ô Socrates, rusticum sit. Sed ex his pueris

a *An idem sit sapientia & scientia.*

* prou.

aliquem respondere tibi iubeas. Nam hæc disputandi ratio insueta mihi est, & assuescere nunc ætas prohibet, hos autē magis hæc decent & longè magis proficient. Reuera enim iuuentus in omnibus proficit, & vt cœpisti, ne dimittas Theætetū, sed eū interroga. SOC. Audis hæc, ô Theætete, quæ dicit Theodorus? eui tu, vt opinor, libenter obedies. Neque enim fas est, vt huiusmodi in rebus sapiēti viro iuuenis minus pareat. Ingenuè ergo respōde quid esse scientiā opineris. THE. Parendū est, ô Socrates, quandoquidē vos imperatis: si qua enim in re aberrauero, corrigetis. SOC. Faciemus proculdubio, si quo modo poterimus. THE. [a] Videntur mihi scientiæ esse, quæ quis à Theodoro discere potest, geometria, & reliqua, quæ in superioribus enumerasti: præterea cerdonū aliorúmque opificū artes, & omnes, & singulæ nihil aliud quā scientiæ sunt. SOC. Generosè ac magnificè, ô amice, de vno rogatus, multa, ac varia, pro simplici dedisti. THE. Qua ratione id ais, ô Socrates? SOC. Fortè nihil dico, quod tamen putē indicabo. Quoties artē cerdonicā dicis, nihil aliud ais, quàm conficiendorū calceorū scientiā? THE. Nihil aliud. SOCR. Quid porro, cū tectonicā, id est fabrilē artē? num aliud quàm ligneorū operum scientiam? THE. Nihil certè. SOCR. In vtrisque igitur id declaras, cuius vtraque scientia est? THE. Profecto. SOCR. Quæstio verò nostra non hæc erat, quorū scientiæ, & quot sint, non enim numerandi gratia quærebamus, sed noscēdi quid ipsa scientia sit. An nihil dico? TH. Imo rectè. SOC. Aduerte & hoc: si quis nos de aliquo horū vilium vulgariūque percontetur, veluti de luto, quid est, eique respondeamus, lutum eo-

[a] *Definitionem generis alicuius quæ venti malè respōdet: qui definiti aliquot species recensēt.*

rum qui ollas, lutum eorũ qui puppas, lutum eorum qui lateres fingunt, nónne ridiculi videamur? TH. Fortè. SOC. Primo quidem quod putemus eum qui interrogabat, intelligere ex illo noſtro reſponſo poſſe, ſi dicamus lutum, & vel pupparium, vel aliorum quorumcunque artificum tantum addimus: aut putas nomen quiſpiam rei cuiuſquam intelligit, qui non nouit quid ſit ipſa? THE. Nullo pacto. SOC. Ergo neque ſcientiam calceorum intelligit, qui ſcientiã minimè nouit. THE. Non certè. SOC. Cerdonicã quoque nõ intelligit quiſquis ignorat ſcientiã, & aliã vllam artẽ. THE. Sic eſt. SO. Ridicula itaque reſpõſio eſt, ſi quis interrogatus quid ſcientia ſit, artis alicuius nomen reſpondeat. Alicuius enim eſſe ſcientiã, cùm non hoc rogetur ille reſpondet. THE. Videtur. SOC. Præterea, cum liceat ſimpliciter ac breuiter reſpondere, per immenſum circũuagatur. Quemadmodum in quæſtione de luto, leue quiddã, & ſimplex referri poteſt, quod terra humoti cõmixta, lutum eſt. Cuius autem ſit lutum, prætermittendum. THE. Facile nunc, ô Socrates, ita videtur. Videris enim petere quod nuper mihi, & Socrati huic tibi in nomine ſimili, diſputantibus in mentẽ venit. SOC. Quid iſtud, ô Theætete? THE. Theodorus hic de poteſtatibus ſcripſit magnitudinis tripedalis, & quinquepedalis, quod longitudine non ſint pedali magnitudini commenſuratæ. Eodémque modo diſcurrens, & eliciens ſingula vſque ad magnitudinem ſeptem & decem pedum, in ea tandem conſtitit. Nobis igitur tale quiddam in mentem veniebat, quia infinitæ numero poteſtates emerſerunt, conandũ eſt qui in vnũ comprehendantur, quo

a *Luti definitio.*

b *Definitio omnia definiti ſingularia complectitur.*

omnes exprimamus. SOC. Num igitur inuentú tale quiddam est? THE. Mihi quidem videtur, considera tu quoque. SOC. Dic. THE.[a] Numerum omnem bifariam diuisimus. Vnum qui possit æqualis æqualiter fieri, quem in figura tetragono comparauimus, quadrangulare & æquilaterem appellantes. SOC. Probè. THE. Et qui inter hunc medius est, cuiusmodi sunt tria, & quinque, & omnis numerus qui nequit æqualis æqualiter fieri, sed vel maior ratius, vel minor sæpius sumptus fit, maiúsque & minus ipsum latus semper continet, figuræ altera parte longiori comparauimus, & numerum altera parte longiorem vocauimus. SOC. Egregiè: quid tum postea? THE. Omnes lineas, quæ æquilaterum, & planum numerú quadrant, longitudinem esse definiuimus: quę autem altera parte longiorem, potestates, vt puta quæ longitudine illis nequaquam commensurabiles sint, planis autem, quæ possunt esse commensurabiles: & circa solida aliud quiddam huiusmodi. SOC. Optimè omnium, ô pueri. Quare Theodorus, haudquaquam falsi testimonij reus fore videtur. THE. Enimvero, ô Socrates, quod de scientia quæris, non ita vt de longitudine & potentia respondere valeo, quanquam huiusmodi quiddã perquirere mihi videris. Quo fit vt falsus Theodorus vicissim appareat. SOC. Quid verò: si te à currendi velocitate laudasset, addens nullum ex pueris promptiorẽ cursu vidisse: deinde currendo & ab adulto, & celerrimo quodã vincaris, num putares minus eum te verè laudasse? THE. Nequaquam. SOC. Scientiam verò, vt paulò ante dicebam Iouem quiddam inuentu, an graue potius supremúmque dicis? THE. Per Iouem

[a] *Numerus quis quadrato, quis item altera parte longiori figuræ similis.*

Ioûem ſupremum aliquid arbitror. SOC. Confide viribus tuis, teſtimoniúmque Theodori ne paruipendas. Annitere omni ſtudio cum de aliis, tum etiam de ipſa ſcientia, rationem quid ſit, conſequi. THE. Annitendi cauſa, ô Socrates, hæc agemus. SOC. Age iam, bono animo eſto egregiè nãq; modo expoſuiſti Conare imitans reſponſionem illam de poteſtatibus, quemadmodum eas multas vna ſpecie comprehendebas, ita & ſcientias multas vna ratione complecti. TH. Scito, ô Socrates, me id ſæpenumero conatũ fuiſſe, dũ has duas quæſtiones circũferri audirẽ. Verũ neq; mihi ipſe perſuadere poſſum idoneũ ad hæc me eſſe, ſatisve habere, neque aliũ audire, vt tu præcipis diſputantẽ, ſed neque tamẽ à ſpe conſequendi impoſterũ quod cupio, deſiſtere. SO. [Partu-ris] ô amice Theætete, ex eo quòd non inanis ſed grauidus es? THE. Ignoro, ô Socrates, ſed quid mihi acciderit dico. SO. O a ridicule, non audiſti eſſe me filiũ obſtetricis generoſæ ad modũ & ſeueræ Phænaretæ? THE. Audiui equidẽ. SO. Num quòd & in eadem arte verſor audiſti? TH. Nequaquã. SOC. Scito ita eſſe, nec mẽ tamen corã aliis prodas. Latuit enim hactenus omnes quòd hac arte præditus ſim, & hi vtpotà ignorantes, hoc quidem de me non prædicant, ſed quod abſurdiſſimus ſum, & homines in ambiguitatem induco. hoc audiſti? TH. Id prorſus. SOC. Vis tibi cauſam huius aſſignem? TH. Quidni velim? SOC. Quales ſint obſtetrices cogita, ac facilè quod volo percipies, b Scis enim quòd, nulla ex illis quandiu cõcipit parítque parturientib. opitulatur, ſed quum iam ad fœtum ineptę ſunt ipſę. TH. Prorſus. SOC. Cauſam huius Dianam ferunt,

a *Obſtetricis filius Soc. obſtetricũ artem artificio artem ſuam comparat.*

b *Obſtetrices conuenit & olim peperiſſe, & quũ artem illam exercent nõ amplius poſſint, ſe parere.*

quæ cum thori exors sit, partuum tutelã susscepit: steriles verò obstetrices fieri vetuit, quoniam humana natura imbecillior est ad artes earũ rerũ, quas nunquã experta est: his autẽ quę propter ætatẽ concipere amplius nõ possũt, id imperauit similitudiné suã honorans. THE. Verisimile id quidem. SOCR. An non id quoque probabile, ac necessarium est, quæ prægnantes sint, & quæ non, melius ab obstetricibus, quàm ab aliis animaduerti? THE. Omnino. SOC. Quinetiã medelis, & incantationibus obstetrices excitare, molliréue partus vexationes valent, & egrè parturientibus opitulari, fœtúsque educere, & si intempestiuum fore videatur, obtundere atque retrudere. THE. Vera narras. SOC. Nunquid & hoc de illis audisti, quòd tanquã pronubæ in conficiendis coniugiis aptissimæ sunt? quippe quę optimè callent, quam cui iugare ad generosæ prolis procreationem oporteat. TH. Haud satis id noui. SOC. Imò scias in hoc gloriari nõminus quàm in vmbilici ipsius præcisione. a Quid enim, alteriúsne, an eiusdem artis esse putas, curare colligeréq; terræ fructus? & rursus dignoscere, quod in solũ, quã plantã, quódve semen iacere deceat? THE. Eiusdẽ. SOC. In fœminis autem, ô amice, alterius facultatis hoc, alterius illud existimas? THE. Haud sanè conueniens est. SOC. Haud certè sed propter iniustam absurdámque maris & fœminę coniunctionem, cui lenocinium nomen est, conciliandi matrimonij officium fugiunt obstetrices castæ, verentúrque ne prolaudabili studio lenocinij notentur, siquidẽ legitimis obstetricibus solis cõuenit rectè mares fœminásque iugare. THE. Constat SOC. Itaque id est obste-

a *Cur obstetrices cum possint esse opt. mæ pronubæ eam tamen artẽ nolint exercere.*

obstetricum officium, opera mea quodammodo leuius. Nèque enim accidit mulieribus, vt aliquando simulachra, aliquãdo res veras pariãt. Hoc verò haud facilè discernere est: quod si contingeret, maximũ præclarissimúmq; obstetricum munus esset, verum à falso discernendi. Tu verò quid sentis? TH. Idem profectò. SOCR. Arti verò meæ adest quicquid ad illarum obstetriciam diligentiam attinet. Verum in hoc præstat, quod maribus non fœminis parturientibus succurrit, & quod animarum fœtus non corporum speculatur. Potissimùm autem arti meæ hoc inest, posse videlicet diligenter examinare, simulachrúmne & falsam, an natiuum ac verum quiddam iuuenis cogitatio pariat. Quinetiã quod obstetricibus, idẽ, & mihi accidit, sterilis sum, & sapientia vacuus: & quod mihi obiecerunt multi, quod interrogem singulos, respondeam nulli, propterea quia nihil habeam quod sapienter respondere possim, verè nimium obiectãt: huius profectò hæc est causa: parturientibus succurrere Deus me cogit, generare prohibuit. Quocirca non sum ipse quidẽ vlla in re prorsus sapiens, neque extat aliquod meæ mentis inuentum ex me natum. Qui verò mecũ versantur, principiò quidem rudes apparent, sed mea deinde cõsuetudine hi quibus Deus ipse fauet, mirum in modum proficiũt, vt & sibiipsis, & aliis videntur, hoc tamẽ constat, quòd nihil vnquam à me discunt, imò ipsi in seipsis egregia multa possidẽtes, inueniunt. Obstetricationis sanè huius Deus & ego causa, quod hinc maximè coniectare licet. Nã multi quondam hoc ignorantes, séq; ipsos causam existimãtes, me quidẽ spreuerũt, fortè ab aliis per-

a *Quare differat, & conueniat ars obstetricia quam Socrates exercebat, cũ arte obstetricum.*

b *Cur Socrates interroget semper, respondeat nunquam.*

c *Quantos progressus fecerint qui ita vt oportuit Socrati dederunt operam.*

ſuaſi: vnde citius quàm decebat, à me diſceſſerunt. Hi abeuntes, ob prauum congreſſum cætera aborſi ſunt: atque inſuper quæ ego obſtetricia ope ex animæ illorũ viſceribus iã eueram, malè nutrientes, penitus perdiderũt, quippe cùm falſa atque ſimulachra veris nimiũ anteponerent. Poſtremun & ſibi & aliis indocti ſunt viſi. Quorũ è numero vnus Lyſimachi filius extitit Ariſtides, aliíque permulti. Cùm verò ad me reuertũtur, cõgreſſu meo iterũ indigentes, eúmque mirificè affectantes, nõnullis ſtatim dæmoniũ meũ congredi prohibet, quibuſdam cõtrà permittit, qui denuò valdè proficiũt. Nã & hoc cũ parturientib. cõmune familiares mei patiũtur. Vexãtur enim, & difficultate diu noctũq; multo magis quàm illæ replẽtur. Quẽ quidẽ dolorẽ tã excitare, quàm ſedare artificiũ meũ valet. Atque ita quidẽ iſti habẽt. Quandoque verò, ô Theætete, qui fœcũdi mihi nõ videntur, aduertens quod opera mea nõ indigẽt eos libẽter cum aliis in matrimoniũ copulo, & vt cũ Deo dicã, acutè præſagio quib. potiſſimũ coniũcti proficiant. Quorum multos Prodico tradidi, multos etiã aliis ſapientibus diuiniſque hominib. Hæc, ô optime, omnia hãc ob cauſam altius repetij. Angi enim te conceptu quodam grauidum ſuſpicabar, quod & ipſe putas. Committe ergo te mihi tanquam obſtetricis filio, & obſtetriciæ facultatis lõgè perito, & quæ perquiro annitere pro viribus reſpondere: & ſi ex iis, quæ dixeris diſcutiẽti mihi ſimulachrũ potiùs verum quàm apparẽs refutauero atq; abiecero, ne inſaniens oro quemadmodum primo partu puerperæ ſolent. Multi, iam ô mirifice adoleſcens, aduerſus me ſic affecti ſunt, vt vel

morſib.

morsib. inuadere vellēt, si quādo deliramentū aliquod illis abigerē, nō putātes id à me benevolentia fieri, cum eos lateret quòd [a] nullus Deus maleuolus est hominib. nec ego tale aliquid maleuolētia facio. Mihi plane nefas esse videtur admittere falsum, ac verum refellere. Rursus igitur à principio Theętete, quid sciētia sit, vt potes, exponere tenta: quod verò nō possis, nequaquā dixeris. Si enim Deus voluerit, adiuueritq;, poteris. TH. Cùm tu ita, ô Socrates, iubeas, turpe esset si quis suā sententiā nō proferret. Videtur mihi quod quispiā scit, id sentire quod scit: & [b] vt nūc apparet, nihil aliud sciētia est, quā sensus. SO. Quā generosè respōdisti, ô puer! sic enim loqui eū qui quicquā definire velit, oportet. Sed id cōmuniter cōsideremus, vtrū fœtus hic solidus, an *vanus existat. Sēsum ais scientiā esse. TH. Aio SO. Videris vtique definitionē sciētiæ haud abiectā intulisse, sed [c] quā Protagoras modo tamen alio, induxit. Aiquit enim rerū omniū mensurā hominem esse, existentium quidem vt sunt, non existentiū verò, vt non sunt, legisti vnquam? TH. Legi equidem sæpenumero. SOC. Nónne sic ait: qualia singula mihi videntur, talia mihi esse: qualia verò tibi, tibi quoq; talia: homines autē vtrique sumus. TH. Sic certè ait. SOC. Atqui probabile est sapientem virum nequaquam delirare. sequamur igitur. An nō sæpe flante vento eodem, alius nostrûm riget, alius minimè? & hic quidem leuiter, ille vehementer? THE. Proculdubio. SOCR. Vtrum dicemus tunc ventum ipsum in seipso frigidū, aut non frigidum. vel Protagoræ credemus, quòd rigēti sit frigidus, nō rigenti minimè? TH. Videtur. SOC. Nunquid ita vtriq;

[a] *Nullus Deus hominibus malè vult.*

[b] *Secūda definitio, scientiā esse sensum.*

* ἀνόητος.

[c] *Protagoras dicebat hominem esse rerū omniū mensuram, et omnia esse prout vnicuique viderentur.*

apparet? TH. Ita. SOC. Apparere autem sentire est? TH. Est. SOC. [a] Phantasia itaque & sensus idē in calidis cęteríſq; huiuſmodi. Qualia nanque sentit quiſque, talia cuiq; videntur esse. TH. Videtur. SOC. Sensus igitur existentis rei semper est, & falsus nunquā, quippe cùm scientia sit. TH. Apparet. SOC. [b] Nónne per gratias egregiè sapiens Protagoras erat? & hoc nobis homunculis de plebe obscurè significauit, discipulis autem in arcano veritatem explicuit. THE. Quo pacto id, ô Socrates, inquis? SOC. Dicam, nec contemnenda quidē, quòd nihil in seipso vnum certum est, neque rectè ipsum ex se hoc quiddam, aut quale quid denominare potest. Etenim si magnum appellas, rursus paruum etiam apparet: & si graue, leue iterum. Eadémque de cæteris ratio, quasi nihil sit vnum, aut aliquid, aut quale. Sed ex lationes motúque & alterna commixtione, fiunt omnia quæ esse dicimus, non rectè denominātes. Nihil enim est vnquam, semper autem fit. [c] Et in hoc omnes per ordinem sapiētes excepto Parmenide consenserunt, Protagoras, Heraclitus, Empedocles, & poetarum in vtroque poemate summi, in comœdia Epicharmus, Homerus in tragœdia. Nam cum Oceanū diceret deorū generationē, & matrem Tethyn, omnia ex fluxu motúq; genita prædicauit. An non id proferre videtur? THE. Mihi verò. SOCR. Quis ergo aduersus tantū exercitum, eiúsque ducem Homerum pugnare audeat, quin ridiculus habeatur? TH. Arduum est, ô Socrates. SOC. Arduum absque dubio Theętete, præsertim cùm hæc huic sermoni argumento esse possint, quòd vt esse, aut fieri quicquā videatur, motus facit, nō esse autē & interire, quies.

[a] *Phantasia hic simpl. pro eo quod apparet, & esse videtur.*

[b] *Protagoreæ opinionis expositio.*

[c] *Protagoræ opinioni vno excepto Parmenide omnis sapiētum vetustas adstipulata est.*

ignis

ignis enim calórq; qui alia gignit, & regit, ipse ex latione frictioneque efficitur: hic autē motus est: an non hæc ignis origo? TH. Hęc certè. SOC. Quinetiam animalium genus ex eisdem nascitur. TH. Quídni? SOC. [a] Quid corporum habitus? an non otio & torpore corrumpitur, exercitatione autem motúq; plurimùm conseruatur? THE. Ita. SOC. Animæ quoque habitus disciplina & meditatione, quæ motiones sunt, doctrinas consequitur, seruatur, atq; perficitur: Otio autem, id est negligentia, & pigritia, nihil penitus discit, & si quid didicerit, obliuiscitur. THE. Et maximè quidem, SO. Bonum itaque tam in anima, quàm in corpore motus est, quies verò contrarium. THE. Videtur. SO. Prętera de serenitatibus & tranquillitatibus à ventis hoc assero, quòd quietes putrefaciunt atque perdunt, aliā verò conseruant. Et ad hæc Colophonem denique adigam, ipsam scilicet * catenam auream insuper addens, qua quidem nihil aliud prætersolē Homerus intelligit? quia quousque solis circuitus perseuerat, omnia tam deorū, quàm hominum sunt, atque seruantur. sinautem hoc quasi ligatum staret, confestim omnia dissoluerentur, euenirétque quod dicitur, Sursum deorsum omnia. TH. Mihi quoque, ô Socrates, eadem quæ dicis sentire videtur. SOCR. Cogita igitur sic, ô optime, circa oculos primū quidē colorē quem dicimus album, non esse ipsum aliud quicquam extra tuos oculos, neque in oculis, neque illi tu locum certum attribuas. Iam enim esset in ordine manerétque, nec in generatione vlterius esset. TH. At quomodo? SO. Sequamur sermonē superiorē, nihil secundū seipsum vnū quidam ponentes,

[a] *Motus omnia gignūtur & conseruantur, quiete verò corrumpuntur.*

*Catena aurea Homeri Iliad. 8.

atque ita nobis niger albúsque, & quiuis alius color ex incursu oculorum motúque debito genitus apparet. [Et quod colorem appellamus, neque est id quod impressionem facit, neque id quod impressionem patitur, sed intermedius quidam proprius inutriusque concursu affectus:] an tu assereres, qualis tibi vnusquisque color apparet, talem canibus etiã, & singulis animalibus apparere? TH. Non per Iouem, SO. Quid autẽ alteri homini, & tibi, nũ similiter vnumquodque apparere videtur? An potius nec tibiipsi idem eo quod nunquã tibi ipse similis? TH. Hoc potius quàm illud opinor. SO. Si igitur id quo mensuramus, vel quo attinginus magnum, vel albũ, vel calidũ esset, nunquam in aliud quodcunque incurrens, aliud fieret ipsum quidem, vtpote nihil mutatũ. sin autem mensuratum quod attingimus, vel albũ, vel calidum esset, etiã si nihil accidat aliud patiatúrue, ipsum quoque nihil patiens mutabitur. Nã in præsentia amice, mira quædam, & deridenda facilè dicere cogimur, vt ipse quoque Protagoras, & quisquis alius eiusdem sententiæ est, confiteretur. TH. Quo pacto? & qualia dicis? SO. Breue exemplum accipe, intelligéſq; quod volo. Talos sex, si quatuor apponas, plures esse, quàm quatuor dicimus ac dimidio superare, vnde sesquialtera proportio nominatur. Sin duodecim, pauciores, dimidiúmque. nec aliter dici potest. An tu aliter? TH. Equidem nullo modo. SO. Quid ergo? Si te Protagoras, aut alius quiuis interrogaret, potéstne aliquid, ô Theætete, maius aut plus aliter fieri, quàm adauctũ? quid respondêres? TH. Si quod mihi videtur, ô Socrates, ad hanc quæstionem protulero, non posse asseuerabo.

a Sensibilia, secundũ Protagoræ opinionẽ nõ sunt in seipsis, id quod videntur esse, sed quale ex certo cõcursu & affectione mutuaſensus & obiecti vnũquodque suiq; videtur, tale etiã est.

Sin

Sin autem ad superiorem positionẽ respexero, ne mihi fortè repugnem, posse dicam. SOCR. Bene atq; diuinè per Iunonem, ô amice. Ergo vt videtur, si responderis ita esse, Euripidis illud eueniet, Vt lingua irredarguta maneat, mẽs autem redarguatur. TH. Sic certè. SO. Si igitur ego ac tu facundi sapientésque essemus, postquã oés mentis angulos excussissemus, mox velut ex abundanti suas quisque vires periclitantes & in hac arena sophistarum more cõgredientes, orationibus conflictaremur. Nunc autem vtpote rudes, volumus hæc primùm secundùm seipsa contemplari, cuiusmodi sint quæ cogitamus, & vtrùm conueniat nobis inter nos, an non. TH. Maximè quidem id velim. SOCR. Nec minùs ego: sed cum ita affecti simus, tranquilè prorsus, vtpote otiosi iterum speculemur, nihil succensentes inuicem, sed reuera nos ipsos excutientes, qualia sint hæc in nobis visa, phantasmatáque. Quibus primũ considera tis dicemus, vt arbitror, nihil vnquã maius minúsue fieri, vel mole, vel numero, quandiu æquale sibiipsi permanent, nónne ita? TH. ita prorsus. SOCR. Deinde cui nec additur, neque subtrahitur aliquid, hoc neque crescere vnquam, neque decrescere, semper autem æquale consistere. TH. Valdè quidem. SO. Tertiò verò dicemus, quod antè non erat, & posteà est, nisi fiat, & factum sit, esse non posse. TH. Sic profectò videtur. SOCR. Hæc vtiq; tria concessa pugnant inter se nobis in animo, quando de talis illis loquimur, vel quando fatemur me senem, dum tantus maneo, nulla in parte auctus minutúsue in anno, te iuuene maiorem nunc esse, postea verò minorem, eũ moles quidem mea ablata non sit, sed tua

duntaxat adaucta. Sum nanque postea quod antè non eram, nihil tamen factus, absque enim fieri factum esse impossibile, nihil autem molis amittens, nunquam minor effectus sum. Et alia huius generis infinita in multis accidunt, si hæc admiserimus. Dic age, ô Theætete. Videris enim mihi harum rerum non imperitus. TH. Per deos, ô Socrates, magnoperè quid ista sint admiror, interdúmque ipsa maximè inspiciens tenebris offundor. SOCR. Theodorus, ô amice, non male de tuo ingenio coniectasse videtur. [a] Maximè enim philosophis hoc vsu venit, vt admirentur. Neque enim aliud præter hoc est philosophiæ principium. Et qui Irim Thaumantis, id est, admirationis filiam esse tradidit, non absurdè originem eius explicuit. Sed vtrum percipis, quam ob causam talia sunt ex quibus Protagoram loqui assueruimus, an non? TH. Nondum mihi videor. SOC. Gratiam itaque mihi habebis, si tibi viri, imò virorum celeberrimorum intelligentiæ veritatem abditam reseruero? TH. Quidni habeam? & ingentem equidem. SOCR. Contemplare iam, & simul diligenter caue ne quis prophanus hæc audiat. Prophani verò sunt, qui nihil aliud esse putant, quàm quod [manibus firmiter apprehendere possunt] Actiones verò generationésque, & quicquid inuisibile est in eorum quæ sunt numero nequaquam habent. TH. Duros nimium & proteruos homines, ô Socrates, memoras. SOCR. Sunt hi quidem ô puer, à musis admodum alieni. Nec desunt alij quidam elegantiores, quorum tibi mysteria narraturus sum. [b] Principium autem deinceps erit, ex quo ea quæ modo diximus manant, quòd scilicet vniuer-

[a] *Philosophia ex admiratione nata est.*

[b] *Quomodo sensio fiat in nobis secundùm opinionẽ Protagoræ explicatur.*

niuersum hoc motus est, & aliud præter motum nihil. Motus verò species duæ, & multitudine quidem vtraque infinita: potentiam autem altera agendi, altera patiendi habet. ex harum congressu compulsúque mutuo effectus eueniunt numero infiniti, specie gemini: sensibile videlicet ac sensus, qui semper cũ sensibili coincidit, atque congreditur. Sensuum hæc nomina sunt, visus, auditus, olfactus, gustus, tactúsque frigidorum, & calidorum. Quos sequuntur voluptates, dolores, cupiditatẽ, atque timores, aliíque affectus innumeri quidem sine nomine, nominati quoque permulti. Genus autem sensibile sensui cuilibet est cognatum. Omnigenis visionibus colores omnigeni: auditus itidem, voces: cæteríque sensibus alia sensibilia cognata similiter adsunt. Quid igitur sibi vult, ô Theætete, sermo hic ad superiora aduertísne? TH. Haud equidem multum, ô Socrates. SOCR. Vide igitur, num hoc pacto ad exitum perducatur. Illud enim sibi vult: omnia hæc videlicet vt diximus agitari, horúmque motibus velocitatem tarditatémque inesse. Quatenus igitur tarditas inest, in eodem, & ad proxima motum obtinet, atque ita generat. Quæ verò sic gignuntur, velociora sunt. Feruntur enim, & in latione illorum motus est. [a] Cum igitur oculus, & aliud quid ex his quæ ei competunt, appropinquarit, & albedinem, sensúmque cognatum generarit, quę nunquam nata fuissent, dum illorum alterutrum ad aliud quiddam aduentasset, tunc sanè interim dum fertur visio quidem ab oculis, albedo autem ab eo quod coloré tum ex se edit, oculus visione repletur, vidétque, & fit non visio, sed videns oculus.

[a] *Vt sio quomodo fiat secundum Protagorã: seu potius oculus videns.*

Quod verò colorem [vnà cum oculo genuit albedine repletum est, factúmque non est albedo, sed album, siue lignũ, seu lapis, siue quiuis aliud, quod fortè sit colore huiusmodi coloratum, eodémque pacto de aliis, vt de calido & duro, cæterísque omnibus iudicandum: nihil ex his ipsum secundum se quicquam esse, quod & in superioribus disputabamus, sed in mutuo congressu omnia fieri & omnigena, propter motũm. Quoniam tam agens quàm patiens aliquid esse per se [& quatenus vnum & solum est alterum ipsorum, nec coniunctũ cum altero, pro certo statui non potest.] Neq; enim agens quicquam est prius, quàm patienti congrediatur: neque patiens prius, quàm agenti. Quod enim congreditur alicui, & vim efficiendi habet, vbi in aliud inciderit, ibi tum primũ patiens apparet. Ex iis omnibus sequitur, quod ab initio quoque diximus, nihil esse vnũ secundũ seipsum, sed alicui semper fieri, ipsum autem, esse [ex omnibus eximẽdum.] licet nos in superioribus consuetudine quadam atque insciitia, illo scilicet ipso, esse, vti sæpius coacti fuerimus. Veruntamen, vt sapientum sermo dictat, nullo modò prædicandum est aliquid, vel alicuius, vel mei, aut hoc, aut illud, aut aliquod aliud nomen quod existentiam significet: sed secundum naturam enunciare oportet, quòd agantur, quòd fiant, quòd corrumpãtur, quòd mutentur: nam si quis aliquid sermone consistere asseueraverit, facilè redargui poterit. Oportet autem & sigillatim sic loqui, atque de cunctis in vnum collectis: in qua collatione hominẽ ponunt, & lapidem & vnúquodq; animal ac speciẽ. Hęne, ô Theætete, iucunda tibi esse videntur? eáque tanquã tibi placeant

de-

degustabis. TH. Ignoro, ô Socrates, & de te etiã ambigo, vtrum ista tanquã tuç menti consona referas, an me potius tentes. SO. Nõ recordaris, amice, me nihil horum scire, nihilque talium vt meum mihi vendicare? sum enim istorũ ste rilis. te autem obstetricis ritu agito atq; exerceo atq; huius gratia te incanto, & quæ quisque sapientũ dixit, gustanda præbeo, donec sententiã tuã in lucẽ educã. Cũ demũ educta fuerit, tunc primum examinabo, sitne vana, sterilisque, an fœcunda & solida. Audacter igitur: & constanter bene atq; viriliter opinionẽ tuã in his, quę te rogauero iã prome. TH. Roga igitur. SO. Dic nũ tibi placeat, nihil esse, sed fieri semper bonũ ac pulchrũ, & quęcunque paulò ante dinumerauimus. TH. Dũ te audio differẽ tẽ, mirũ in modũ probabilia, & admittẽda videtur. SO. Ne prętermittamus ergo quę restãt.

a Reliquũ est enim, vt de somniis morbisque cũ aliis, tũ insania maximè dicã, & de eo quòd peruersè videtur vel auditur, vel aliter quomodocunque sentitur. Nosti enim in his omnib. sermonẽ, quẽ suprà retulimus, sine vlla cõtrouersia confutari, cũ sensus in ipsis prorsus decipiantur. Tantúmq; abest, vt omnia quę apparent cuique, ea sint, vt cõtrà nihil eorũ quę apparent, existant. TH. Verissima narras, ô Socrates. SO. Quò deinceps, ô puer, ille cõfugiet, qui sensum scientiam affirmauit, quæue cuique apparẽt, eidem & talia esse, qualia visa sunt? TH. Pudet me loqui vlterius Socrates. Nihil enim habeo quod in medium afferam: increpasti enim modò me hoc dicentem quandoquidem negare nunquam possem quòd furentes somniantésque falsa nimium opinentur, cũ illorũ nonnulli deos esse se putent, alij auium instar

a *De somniũ & morbis cõtra Protagoram.*

volare se credant. SOCR. Nunquid igitur non & hanc de istis controuersiam cogitas, * de somnio præsertim & [re vera?] TH. Quámnam? SOCR. Eam quam sæpe te audisse existimo, quoties quæritur qua potissimum coniectura ostendi possit, vtrum dormiamus omnes nunc & quæ cogitamus singula somniemus, an vigilemus, & reuera inuicem differamus. TH. Profectò dubium est, ô Socrates, qua id coniectura quis discernere valeat. Adeò quidque ad vnum quodque velut * reciprocum consequitur. Nam quod modò differebamus, nihil prohibet, vt somniantes colloqui videamur Et quando in somno somnia referre nos arbitramur, mirum in modum hæc illis similia sunt. SOCR. Vides iam quàm facile in controuersiam veniatur: quando quidem vtrum insomnia, an veræ res sint quæ videntur, etiam ambigi potest. præterea cum æquum tempus sit quod somno datur, & quod vigiliæ, in vtroque contendit noster animus præsentes opiniones, vt veras asserere. Quamobrem pari tempore & hæc vera dicemus, pari & illa, & in vtrisque obtinebimus. TH. Omnino. SOCR. Eadem quoque de morbis furoribúsque ratio est, nisi quòd tempus impar. TH. Rectè admodum. SOCR. Nunquid longitudine breuitatéue temporis verum determinatur? TH. At istud plurimum ridiculum esset. SOCR. An alio argumento ostendere potes quæ ex istis opinionibus veræ sunt? TH. Non, vt mihi videor.

SOCR. A me igitur audi, quæ forsitan responderent hi, qui apparentia semper ei cui apparent vera esse volunt. Sic enim te, vt opinor, interrogarent, O Theætete, nunquid quod al-

* περὶ τοῦ ὀνείρου τε καὶ ὕπαρ.

* ἀντίστροφον

a *Responsio Protagoræ ad superiorem obiectionem de apparentia somniorum: quæ quidem responsio Protagoræ sentẽtiæ ampliorẽ expositionem continet.*

alterum omnino est, eandem aliquando potentiam cum altero habebit? nec idem partim, partim alterum, sed penitus alterum intelligamus. TH. Impossibile est igitur, hoc huius idē quicquam, vel potentia, vel quocunque modo habere, quando omnino alterum est. SOCR. Nónne dissimile quoque necessariò esse fateamur? TH. Mihi quidem videtur. SOCR. Si quid ergo alicui simile, vel dissimile fit, aut sibiipsi aut alteri, quatenus simile fit, idem: quatenus dissimile, alterum effici confitebimur. TH. Necessariò sequitur. SOCR. An non suprà concessimus multa, atque innumera agētia esse, similiter & patientia? TH. Concessimus. SOCR. Quin & quod aliud est ab alio, cum alio & alio mixtum non eadem, sed altera generabit. TH. Sic prorsus. SOCR. Dicamus vtiq; & de me & de te, & aliis secundū eādem rationem, vt puta Socratem scilicet bene valentem, & Socratem ægrotantem, vtrum simile hoc illi, an dissimile esse dicemus? TH. Nunquid ægrotantem Socratem totum hoc inquis illi toti, Socrati scilicet bene valenti? SOCR. Rectè nimium accepisti, hoc ipsum dicebam. TH. Dissimile plane, & alterum. SOCR. Nunquid sic vt dissimile? TH. Necesse est. SOC. Dormientem quoque, & vigilantem, & quæcunque suprà narrauimus, similiter asseres? TH. Equidem. SOCR. Quodlibet eorum quæ natura efficere aliud quid possunt, quando accipiet sanum Socratem, vt altero me vtetur, quando debilem, vt altero? TH. Quidni? SOC. Et altera in vtroque gignemus, ego quidem patiens, illud autem efficiens? TH. Nil prohibet. SOCR. Quoties vinum sanus bibo, suaue ac dulce mihi videtur. TH. Certè. SOCR. Ex

his porrò quæ conceſſa ſunt, agens & patiens, dulcedinem ſenſúmque progenuerunt, & vtraque ſimul mota: & ſenſus quidem à patiente exiſtens, ſentire linguam effecit: dulcedo autem à vino circa illud mota, dulce vinum ſanę linguæ tam eſſe, quàm apparere fecit. TH. Sic prorſus ſuperiora conceſſa ſunt. SO. Cùm verò me egrotantem accipit, principio quidem non eundem reuera apprehendit: diſſimili nanque aduenit. TH. Ita eſt. SOC. Deinde alia quædam Socrates ſic affectus, & vini potio gignunt circa linguam, ſoporis amari ſenſum: circa vinũ, factam & motam amaritudinem: & hoc quidẽ non amaritudinem, ſed amarum, me verò non ſenſum, ſed potius ſentientem. TH. Omnino. SOC. Et ego nihil vnquam aliud fiam ſic ſentiens, alterius enim alter eſt ſenſus, & alienum aliúdque ſentientem efficit: neque illud me talem efficiens, aliquando congrediens alteri, idem generans, tale quicquam exiſtet. Ab alio enim aliud generans, alienum alterúmque fiet. TH. Vera hæc ſunt. SO. Nec ego mihiipſi talis, nec illud ſibiipſi tale efficietur. TH. Non certè. SO. [a] Neceſſarium autem alicuius me fieri, quando ſentiens fio. ſentiens enim nihil ſentire impoſſibile eſt. & illud quoque neceſſe, alicui fieri quoties dulce aut amarum aut aliquid huiuſmodi redditur, dulce nanque nulli dulce eſſe non poteſt. TH. Sic eſt omnino. SO. Relinquitur igitur, vt opinor, ſiue ſimus, nos inuicem eſſe: ſiue fiamus, inuicem fieri: quandoquidem noſtram eſſentiam neceſſitas ipſa connectit. Connectit autem aliorum nulli, nec nobis ipſis: inuicem ergo vinciri ſequitur. [a] Quapropter ſiue quis eſſe aliquid dixerit, ſiue fieri, ita accipiendum eſt, alicui eſſe fieríue, vel

[a] Sẽtiens, & id quod ſentitur relata, & ſi vnius natura in eo poſita eſt vt fiat. & alterius quoque.

[b] Secundũ opinionẽ Protagoræ, nihil in ſeipſo eſt quod eſt, ſed ſemper congreſſu & concurſu alterius fit, id quod eſſe, dicitur.

vel aliculus,vel ad aliquid,ipsum aũt'in seipso quicquam esse vel fieri, neque ipse quisquam profiteri debet,nec alteri asseueranti concedere,quemadmodum ratio superior admonet. TH.Sic est prorsus,ô Socrates. SOCR.Nónne quandoquidem me efficiens mihi est non alij, ego quoque ipsum sentio, non alius? THE. Quidni? SOC.Verus itaque mihi sensus meus: meæ nanque essentiæ semper existit,& ego secundum Protagorã iudex tã eorum quæ sunt, vt mihi sunt,quàm eorum quę non sunt,vt nõ sunt. TH.Ita videtur. SO.Quid iam obstat,quo minus scienś existam, quemadmodum & sentiens? quippe cũm nec decipiar, nec aberrem cogitatione circa ea, quæ vel sunt, vel fiunt? TH.Nihil prorsus. SO.[2]Egregiè igitur ipse dicebas,scientiam nihil aliud esse,quàm sensum. In idem sanè hæc concurrunt,secundum Homerum quidem & Heraclitum,& omne id genus,vniuersa decurretes,fluminis instar: secundum vero Protagoram sapientissimum,hominem rerum omnium esse mensuram: & postremò secundum Theætetum,concessis superioribus scientiam esse sensum. nunquid, ô Theætete,opinionem hanc dicemus esse quasi tuam prolem nuper abs te quidem genitam,à me aũt in lucem obstetricia quadam opera iã eductã? Quid ais? TH.Ita necesse est,ô Socrates. SO.Hanc vt videtur,qualiscunq; sit, vix tandẽ genuimus,post partũ verò,vt mos est,* quinta die ab eius natali solẽnia celebrãtes circulũ di sputationũ discurramus,videásq; ne nos fallat, si fortè educatione digna non sit,sed inanis & falsa: aut num censes tu natum tuum omnino alendũ,nec vllo modo abiiciendum? An fortè si reprobatũ videris primogenitũ tuum, non

[2] Cõcel. scientiã, nihil aliud esse quã sensum.

* τὰ ἀμφιδρόμια αὐτοῦ ἐν κύκλῳ περιδρεκτέον τῷ λόγῳ.

moleste feres è medio tolli? TH. Theætetus, ô Socrates, æquo animo feret. neque enim morosus est. verùm dic per deos, an non ita se res habet? SOCR. Disputationis valde auidus es atque vir bonus, ô Theodore, qui me putes *saccum quendam esse sermonum, vnde mox promam monstrémque hæc non ita sese habere, non aduertis quid sit, quòd nullus scilicet vnquam sermo à me manat, sed ab eo semper qui mecum disputat. Equidem scio nihil præter exiguum quiddam, hoc est, à sapiente aliquo rationem accipere, & eam pro virili percipere. Et nunc quidem id ex hoc conabor, non ex meipso dicere. TH. Rectius ipse, ô Socrates, loqueris. Quare sic efficias, oro.

* Σύλλογος λόγων.

SOCR. Scis, ô Theodore, quod ex dictis amici tui Protagoræ in primis admiror? THE. Quidnam? SOCR. [a] Cætera quidem satis mihi placuerunt, dum probat quod cuique videatur id illi existere: principium verò miratus sum orationis cur de veritate scribere aggressus non suem dicat, vel Cynocephalum rerum omnium mensuram esse, vel aliud quicquam [absurdius] ex his quæ sentiunt, quò magnificè satis &[cum omnium contemptu] exorsus esset, ostendens, quòd nos eum tanquam numen propter sapientiam miremur, cùm nihilo plus sapiat, quàm rana Gyrina, nedum quàm hominum quisquam. alitérne dicemus Theodore? Si enim cuique verum est quod quisque per sensum opinatur, neque alterius affectum alter melius iudicat, neque opinionem alterius discernere alius alio magis potest, veráne sit an falsa, sed vt sæpe iam repetiimus, quisque sua solùm opinatur, & ea quidem recta omnia

[a] *Cùm inspectatione Protagoræ, opinio eius absurdis infinitis obruitur & iugulatur.*

mnia atque vera, cur, ô amice, Protagoras ipse adeò sapiens extitit, vt aliorũ præceptor mercede etiam ampla exhibita, dignus admodum sit habitus, nos autem rudiores, eiúsque discipuli iudicandi? cùm tamen quisque sapientiæ propriæ mensura sit. aut quomodo non dicamus in his Protagoram non nugari? Studium quoque meũ obstetriciæ facultatis vt præteream, quantum risum exhibebimus? [a] Imò, vt opinor, & omne disserendi officium. Nã conatus isti discutiendi refellendíque vicissim phantasias & opiniones, cùm rectæ sint cuiúsque omnes, nihil erunt aliud, quàm magna & longa deliramenta, si vera Protagoræ veritas illa, quam vocat, & non ioci causa, velut ex adyto libri est locuta? TH. O Socrates, amicus cùm sim, quemadmodum ipse modò dicebas, nunquam paterer concedente me Protagorã confutari, neque tibi rursus præter meam sententiam repugnare vellem. Age igitur omnia iterum cum Theæteto. Etenim aptè, diligentérque obsceutus tibi fuisse hactenus visus est. SOC. Si Lacedæmonem profectus Theodore ad palæstras, alios quosdã inertes nudato corpore exerceri videres, an non operæpretium duceres speciem tuam nudis membris palàm, cum illis conferre? TH. Quid verò? si mihi permitterent, [quod ego vobis me nunc persuasurum confido, vt me quidem sinatis spectare, nec trahatis in gymnasium, duro iã corpore existentem, vt cum iuniore & vegetiori corpore prædito colluctẽr?] SOC. Atqui si tibi id, ô Theodore, iucundum est, neque mihi etiam est molestum, vt trito prouerbio fertur. Aggrediamur itaque rursus sapientem

[a] *Differendi facultas nulla est, si vera est opinio Protagoræ.*

Theætetum. Dic obsecrò Theætete, primùm quæ modò percurrimus, nónne tu quoque miraberis, si subitò nihilominus appareas sapiens, quàm quilibet hominum, vel deorum? aut nunquid Protagoream illam mensuram, ad deos minus, quàm ad homines pertinere putas? TH. Non per louem, adeóque quod rogas magnoperè miror: dum enim suprà exponebamus, qua ratione quod cuique videtur, id cuiq; verum est, scitè admodum dici videbatur: nunc autem contraria confestim opinio subit. SOC. Iuuenis adhuc es, ô amice puer, & idcirco [orationi populari statim aures præbes,] & facilè persuaderis. Ad hæc enim Protagoras, & quivis alius eius sectator dicet. O generosi pueri, atque viri concionem habete consîdentes, deósque in medium inducite, de quibus ego vtrum sint, an non sint; neque loquendum, neque scribendum censeo: & quæ multi audientes admitterent, hæc dicite (quod graue esset, nisi quilibet vir cuilibet bruto sapientia longè præstaret.) a Demonstrationem verò necessitatémque ne vllam afferatis, sed verisimili tantum ratione vtimini. Qua si vellet Theodorus, aut quiuis alius geometra in disputationibus geometricis vti, nullius pretii prorsus æstimaretur. Considerate igitur tu simul atque Theodorus vtrum sermones tantis de rebus ratione probabili tantum confirmatos recipere velitis. THE. Iniustè & tu, ô Socrates, & nos reciperemus. SOC. Sed iam alia res, quemadmodum inter te & Theodorum conueniebat considerandà. TH. Alia certè. SOC. Sic vtique cogitemus, sit ne idem scientia & sensus

a *Demonstratio & necessitas probabilibus rationib. opponitur.*

sensus, an aliud. Ad hoc enim omnis superior sermo vergebat, & huius gratia permulta, atque miranda tetigimus, nónne? TH. Sic est omnino. SOC. Confitebimur nos quæcunque videndo, vel audiendo sentimus, eadem omnia simul etiam scire? vtputa barbarorum vocem antequam didicerimus, dicemus non audire quando loquuntur? an audire sciréque simul? & literarum prorsus ignari cum illarum contextum aspicimus, num videre nos eas negabimus? an & scire si modò videmus, asseremus? THE. Idipsum, ô Socrates, quod in his cernimus & audimus, scire affirmabimus: horum quidem figuram colorémque inspicere & scire similiter, illorum autem acutam vocem & grauem audire patiter atque scire. Quæ verò grammatici & interpretes de his tradunt, neque sentire videndo & audiendo, neq; etiam scire. SO. Optimè, ô Theætete, neque in his repugnandum tibi, vt magis inde proficias. verùm aspice & aliud quod ad hæc accedit, & considera qua ratione repelli vitarique possit. TH. Quid istuc? SO. Hoc sanè: si quis percõtetur, fierine possit, vt quod quis quádoq; sciuit, & adhuc memoria tenet fixũq; cõseruat, idipsum tamẽ nesciat. In longũ profectò sermonẽ traho, quærere cupiens vtrũ aliquis quod didicit, memoria retinẽs, haud noscat. TH. Qui hoc fieri posset, ô Socrates? Monstrũ quod dicis esset. SO. Nũ igitur deliro? aduerte obsecro. Videre, nónne sentire dicis visionẽque sensum? TH. Aio. SO. Qui aliquid videt, nónne idem scit quod & videt, vt præsens sermo proponit? THE. Certè. SOC. Memoriam aliquid vocas? TH. Voco equidem. SOC. Alicuiúsne an nullius?

THE. Alicuius certè. SOC. An non earum rerum quas didicit sensitque. THE. Harum profectò. SOC. Quod quis vidit, quandoque meminit? TH. Meminit. SO. Nunquid etiam eum claudit oculos? an cùm hoc facit, protinus obliuiscitur? TH. Absurdum hoc dictu, ô Socrates, esset. SOC. Cogitur tamen id fateri quisquis sermonem superiorem seruare velit, aliter autem periit. THE. Ego quoque per Iouem suspicor, neque dum satis intelligo. Dic oro, quo pacto? SO. a Hoc sanè, qui videt, idē scit quod & videt, vt confessi sumus: nam visionem, sensum, scientiámque idem esse connenimus. TH. Conuenimus. SO. Qui verò videt, atque ideo scit, memīnit quod vidit, vel clausis oculis, neque tamen aliquid videt. TH. Sic accidit. SO. Non videre autem nescire est, siquidem videre scire erat. TH. Verum. SOC. Contingit itaque quod quis quando que scinit, etiam dum meminit, id nescire, si non videt. Quod quidem si fieret, monstrum quoddam fore prædiximus. THE. Vera loqueris. SOCRA. Nonnihil igitur impossibile videtur accidere, si quis scientiam ac sensum idem esse posuerit. THE. Sic apparet. SOCRA. Aliud ergo vtrunque fatendum. THE. Videtur. SOCRA. Quamobrem quid scientia sit à principio iterum perquirendum. cæterùm quidnam agimus, ô Theætete? THE. Qua de re percontaris? SOCRA. Videmur vtique mihi ignaui galli instar, antequam vicerimus, ad cantandum statim prosilientes à disputatione. THE. Quid istuc?

SOCR. [Contradictorie videmur aduersus

a *Argum. aduersus Protagorā. Si videre sen quomodocunque sentire est scire, ergo qui sentit, nec modò scit, licet meminerit, nescit.*

sus nomina concessa disceptare, & tali quadam orationis argutia superiores, in eo acquiescere: cúmque non contentiosos, sed sapientes nos esse profiteamur, nihil aliud tamen, quàm periti illi viri incogitantes facimus. [THE. Nondum quid velis intelligo. SOCRA. Equidem quod in his sentio, explanare conabor. quæsiuimus nunquid qui aliquid didicit ac meminit, nesciat: offendentéque eum qui vidit, clausis etiam oculis recordari, nec videre tamen, nescium simul & memorem demonstrauimus, quod nimium impossibile. Atque ita Protagorea fabula prorsus euanuit, actua simul, quæ sensum scientiámque idem esse canebat. THE. Constat. SOCR. Nequaquam ita, vt arbitror, ô amice, si pater alterius fabulæ superesset, sed vehementissimè propugnaret. Nunc autem orphanam ipsam insequimur expoliamúsque: neque tutores quos reliquit Protagoras, è quorum numero vnus est Theodorus hic, succurrere volunt. Verùm nos iustitiæ gratia illi suffragari aggrediemur. THE. Nos ego quidem, ô Socrates, imò Callias Hipponici filius rerum Protagoræ tutor. Nos profectò à nudis sermonibus ad geometriam repentè deflexímus. Gratiam tibi tamen habebimus, si illi opem tuleris. SOCR. Scitè loqueris, ô Theodore. Aduerte igitur qua via succurram, si quis minus vim verborum animaduerterit, qua plerunque affirmare quicquam, & negare solemus, absurdiora etiam superioribus confiteri cogetur. Dicam tibi quemadmodum, an Theæteto? THE. Vtrisque communiter. Respondeat autem iunior. Nam si labatur, minus turpiter pe-

cabit. SOC. [Difficillimam autem quæstionem dico, ea verò est huiusmodi: num fieri potest, vt qui aliquid nouit, quod nouit ignoret? TH. Quid respondebimus Theætete? TH. Impossibile ego quidem puto. SOC. Non vtique, si videre, scire esse posueris. quid enim respondeas inexplicabili quæstioni, * puteo, quod dicitur inclusus, si quis te vir intrepidus interrogauerit manu alterum tibi tegens oculum, vtrum tecto oculo vestem videas? TH. Non hoc dicam, sed alterò. SOC. An non idem simul & vides, & non vides? TH. Ita quodammodo. SOC. Haud equidem, dicet ille, iubeo, vel quęsiui quo pacto, sed vtrum quod scis, idem & nescias. In præsentia verò quod non vides, videre videris: & suprà confessus es, videre quidem scire esse, non videre autem nescire. Collige quid ex his aduersus te concludatur. TH. Contraria planè eorũ quæ proposuerã. SOC. Plura forsitan, ô mirifice puer, tibi talia contigissent, si quis à te quæsisset, vtrũ scire liceat & acutè, & obtusè, & cominus quandoque scire, eminus verò nequaquã, & vehementer idem atque remissè, cæteráque permulta. Quæ quidẽ insidiando vir clypeatus, & in litteris mercede conductus, quærès, quando idem scientiam sensúmque ponebas, te in auditum, olfactũ, ac cæteros sensus ordine iniecisses, studioséq; & sedulo nimirũ redarguisset, atq; te comprehendens, nõ prius te dimisisset, quàm tu eius exquisitam sapientiã admiratus ab eo vinctus esses: vbi captus atq; ligatus, tanta te ipse pecunia redemisses, quãta tu & ille statuissetis. [a] Quã igitur ratione, inquies forsan, pro tutãdis opinionib. suis Protagoras assignabit? Nunquid aliud tentandũ est

* Prouerb.

[a] *Pro Protagora responsio ad obiectionem superiorem de memoria.*

est? TH. Et maximè quidem. SO. Et hæc vtique omnia quæ & nos opem illi ferentes dicimus,& contrà vt arbitror progredietur, despiciens nos penitus,atque ita obiectans: Bonus iste Socrates cùm puer ab ipso interrogatus, extimuit, vtrũ quis possit quod meminit, idem simul & ignorare, & ille perterritus negauisset,ex eo quòd rem ipsam prospicere nõ potuerat,ridiculum me in disputatione monstrauit. res autem, ô ignauissime Socrates, ita se habent. Quoties ex meis aliquid quærendo conſideras, si interrogatus respondeat eadem quæ ego etiam responderem,refellatúrque,me quoque redargutũ existimato. Sin alia, ipsum solummodo qui respondit. a Principiò, putásne aliquem concessurum tibi memoriam adesse cuipiam,quando nõ amplius patitur,earũ rerũ quas passus fuerit, & ipsam talem passionem esse qualis fuerat dũ pateretur? permultũ abest. An formidaturum censes admittere quòd possit aliquis idẽ nosse simul & ignorare? Quod si forsitã minus audeat, daturũ speras eũdẽ esse [eũ qui dissimilis factus sit, ei qui ipse erat,antequã dissimilis fieret?] magis autẽ hunc esse aliquem,sed non hos,& eos quidem infinitos effectos, si quidem dissimilitudo fiat, si modò aucupia verborum vitare inuicem oportuerit? Cæterũ ô beate,generosius ea quæ dico,aggredere,méq; si potes refelle, quòd nõ proprii cuique nostrũ sensus fiant: vel etiam si proprii sint, nihilò magis quod apparet, illi soli fiat; vel si esse oporteat, nominare liceat,cui apparet. Sues autem & cynocephalos dũ narras,nõ ipse solũ bestiã imitaris, sed eos qui audiunt, vt idem quoque in mea scripta

a *Secundũ Protagoram qui meminit & recordatur non scit eodem modo quo is qui sẽtit, & qui modò sentiẽs non amplius sentit, non tã vnus est sed duo, & plures.*

sibi permittant, persuades. Neque rectè facis. equidem veritatem habere se affero, quemadmodum scripsi. Mensuram enim vnumquenque nostrûm eorum quæ sunt, & quæ non sunt, esse: sed magnoperè hoc ipso aliud ab alio discrepare, quòd & huic alia sunt, apparétque, & illi alia. [a] Sapientiam vero, & sapientè virum nullo modo existere nego. Imo hunc ipsum sapientem voco, qui illius conditionem cui mala videntur, suntq;, permutans, bona apparere & esse ipsi facit. Sermonem autem meum, ne verbis duntaxat persequere, verùm sic planius iterum quod dico, perdisce, & in memoriam dictum superius reuoca, quod ægrotanti amara videntur quæ gustat, & sunt: bene valenti contraria sunt, atque videntur. Sapientiorem vtique horum neutrum ex hoc oportet affèrere, neque enim id fieri potest, neque affèrendum ægrotantem insipientem esse, quia hæc putet, sanum contrà sapientem, quia diuersa. Permutandû vero in alterum habitum. Alter enim habitus melior. Similiter in disciplina ab altero habitu in melioré permutandum. Sed medicus quidem medelis transmutat, sophista sermonibus. Nemo enim efficit, vt qui falso opinatur: verè deinde existimet: quippe cùm ea, quæ non sunt, opinari nemo valeat, nec alia præter illa quæ patitur. hæc autè semper vera sunt. facere tamen quis potest, vt qui depranati animi habitu cognata sibi opinatur, sana deinde mente diuersa quædã existimet, quæ plerique ob imperitiã phantasmata vera nominant. [b] Ego autè meliora aliis alia dico, veriora nequaquã. Sapientes præterea, ô amice Socrates, nullo pacto rana nuncupo imò secundû corpora, medicos:

[a] *Sapiens secũdum Protagoram est is, non qui vera pro falsis, quæ illis nulla sunt, sed meliora loco deteriorum sentire docet homines.*

[b] *Protagoræ visa, nulla sunt falsa, nõ veriora alia aliis, sed meliora.*

secun-

secundum plantas, agricolas. Aio equidem hos viros plantis suis pro depravatis sensibus quoties tale aliquid ægrotat, bonos integrósque & veros sensus inferre: sapientes quoque & bonos rhetores ciuitatibus bona pro malis videri iusta efficere: quoniam quæcunque ciuitati cuilibet iusta honestáque videntur, hæc sunt & illi talia quandiu sic putat: sed sapientes pro malis his singulis, bona & iudicari & esse efficeit. Eadem ratione sophista eos qui erudiuntur, sic erudire potens, sapiens est dignúsque ampla mercede apud auditores habetur. Atq; ita alij sapientiores aliis sunt, neque vllus tamen falsa putat: & tibi hoc ipsum, velis, nolis, cũ rerum mensura sis, admittendũ. hic enim sermo in his seruatur. Cui si quo modo à principiò iterum repugnare potes, repugna oratione congressus. Quod si interrogando vis, interrogando perage. Neque enim hoc fugiendum, sed omnium maximè his qui sanæ mẽtis sunt, persequendum. Sic tamen id effice, ne interrogando fis iniurius. Absurdũ est profectò eum virum, qui virtutẽ meditari se præcipuè profitetur, in sermonibus semper iniuriũ esse. Afficere autem iniuria in his est, quum quis * non seorsim quidẽ certando exercetur, seorsim verò disserendo: & [a] in illo quidẽ scilicet certamine iocatur, fallítque pro virib. in hoc autẽ disputatione videlicet, seriò agit & corrigit disputantẽ, eos illi duntaxat errores indicãs, quibus ipse & ex ipso, & ex præteritis disputationib. abductus est. Si ita feceris, seipsos qui tecũ versabuntur, non te, perturbationis defectúsque sui causa esse confitebuntur, teq; protinus sectabũtur & diligent: seipsos contrà odio habebũt, & à seipsis ad philosophiã con-

* Quum quis dialecticum hoc est veri inueniendi & alios docendi studiosum se profitens contentiosè agit.

a *Discrimen inter cõtentiosa & placidas disquisitiones seu redargutiones.*

fugient, vt alij quodammodo effecti, habitum pristinum deponant, sin autē contraria feceris, quemadmodum alij quoque permulti, cōtraria etiam tibi contingent, & familiares pro philosophis, studij huius inimicos, cùm adoleuerint, reddes. Si igitur mihi parueris, quod & suprà dictum est, haud hostiliter contentiosēque, sed placido mitique animo assentiens, consideraris quomodo moueri dicamus omnia, & quomodo quod cuique videtur, hoc & priuatim, & publicè sit, & ex his inquires vtrum idem an aliud scientia sit, & sensus: neque, vt modò cœpisti, ex verborum nomināmq; consuetudine differes, quæ multi quocunque libet, trahentes, varios dubitationum iniiciunt scrupulos. Hæc, ô Theodore, in defensionem amici tui tentaui pro viribus, parua quidem à paruis. Si enim ipse viueret, fortius magnificentiúsque pro seipso pugnaret. THEO. Iocaris, ô Socrates: nam fortiter pro illo certasti. SOC. Rectè loqueris, ô amice. Sed mihi dicas, Aduertistine quòd iampridē Protagoras nos increpet, quòd cum puero disputantes, metu puerili aduersus eius scripta depugnemus? cúmque ipse genus hoc vrbanitatis reiiciat, [& illud suum, hominem rerum omnium mensuram esse ambitiosè & magnificè venditet, seriò nos circa sua dicta versari voluit?] THEO. Quidni, ô Socrates, animaduerterim? SOCR. Quid ergo? iubes nos illi parere? THEO. Summoperè. SOCR. Cernis hos omnes, excepto te, pueros esse? Quare si illi credimus, me simul ac te oportet interrogando vicissim, & respondendo seriò sermonem eius examinare, ne iterum nos incusset, quòd ludentes cum pueris sermonem suum

exagite-

exagitemus. THE. Quid prohibet quin Theætetus melius, quàm multi barbati viri scrutantem te assequatur? SOC. Non tamen te, ô Theodore melius.

[a] Ne igitur censeas oportere me amico tuo defuncto omnẽ opẽ affertre, te verò nullã: verum agesis vir optimè, sequere me paulisper, quoad hoc dũtaxat inueniamus, vtrũ te deceat in figuris geometricis esse mensurã, aut omnes quæ tu in astronomia cæteriſq; facultatibus in quibus tu meritò præstare videris, sibi sufficiant. THE. Difficile est, ô Socrates, vt qui tibi assidet, toganti non respondeat. Delirabã profectò paulò ante, cùm dicerem te cõcessurum mihi, ne ad pugnã accingerer, & Lacedæmoniorum more ne cõpellerer. Nunc ad Scirthonem potius declinare videris. Nã Lacedæmonij exui, vel abire iubent. Tu autem Antæum imitari videris. Congredienté nanque non prius dimittis, quàm nudatũ tecũ certare coegeris. SOC. Congruã, ô Theod. morbi mei similitudinem reperisti. Robustior tamẽ illis ego sum. Innumeri enim iã Hercules & Thesei fortes in dicendo viti mecum congressi, defatigati sunt, ego tamen nihilo magis desisto, adeò me exercitationis huius vehemens amor inuasit. Neq; tu igitur mihi inuideas, quò minus mecum te exercens, te simul ac me iuues. THE. Haud vltra repugno, ducas quà lubet. Prorsus hæc quasi fatalis necessitas quam tu constituis, conuicto, ferenda est. Neque tamen vltrà ea, quę proposuisti, me tibi exhibere possum. SOC. Sat istud erit, sed id mihi diligẽter obseruane in cogitã tes in puerilẽ ioquendi modũ labamur, & ob eã causam, nos aliquis iterũ carpat. THE. Conabor sanè pro viribus. SO. [b] Hoc igitur in primis, *suram.*

[a] *Serò iam, & ioco omni amoto aggreditur Socrates refutare opinionem Protagoræ.*

[b] *Omniũ hominum iudicio probat, neminẽ hominum scipsum existimare rectum omniũ mẽ*

quod supra tetigimus, resumamus, ac videamus, vtrùm rectè, nécne sermonem illius improbauerimus, quo ille vnumquenque ad sapientiam sibimet sufficere dicit. Nobis porrò concessit Protagoras, in eo quod melius, vel deterius inter se plerosque differre, & eos sapientes esse. an non? TH. Concessit. SOC. Si enim ipse sua hæc præsens confessus esset, non autem nos in eius fauorẽ concessissemus, nihil opus esset repetendo eadẽ confirmare. Núc autem cùm videri fortasse possit, non satis idoneos dogmatum illius assertores nos esse præstat perspicuè, vt se res habet concedere. Nam nõ parùm interest, sic an aliter habeat. THEO. Vera loqueris. SOC. Igitur non ex alienis, sed ex ipsius duntaxat sermone, quàm breuissimè cõsensum accipiamus. THE. Qui? SO. Sic. Quod cuique videtur, id illi cui videtur esse dixit. THE. Dixit certè. SOC. Nunquid igitur & nos, ô Protag. hominis, imò hominũ omnium opiniones dicimus, asserimúsque neminẽ prorsus partim quidem se, quàm alios sapientiorem putare, partim vero alios sapiẽtiores, quàm se. An non enim in maximis periculis, quoties in castris, aut morbis, aut mari fluctuant, quasi deos habent eos, qui singulis in rebus præstãt, seruatorésque suos putant, nulla alia re cæteris, quàm scientia præcellentes? & per omnia humana quærunt præceptores ac duces suiipsorum aliorúmque animantium atque operum, qui communiter æstimantur tam ad docendum, quàm ad imperãdum sufficere? In his omnibus quid aliud dicemus, quàm quod homines apud se sapientiã & ignorantiã esse puteni? TH. Nihil aliud. SOC. Nónne sapientiam veram cogitationem esse ducunt, ignorantiam

vero

vero falsam opinionem: THEO. Quídni? SOC. Quorsum, ô Protagoras, sermonem vertemus? Vtrũ homines vera semper opinari dicemus? An aliquando vera, falsa nonnunquã? Vtrinque enim sequitur, vt non semper vera, sed vtraque opinentur. Attende enim Theodore, velítne Protagoras aut tu forsan ipse contendere, quòd nemo quisquam sit, qui quenquam vel imperitum esse, vel falsa opinari putet. THEO. Incredibile hoc, ô Socrates. SOC. Atqui in hanc necessitatem sermo ille delabitur, qui mensuram omniũ hominũ prædicat. TH. Quo pacto? SO. Cùm tu aliquid apud te statuis, deinde mihi opinionem tuã declaras, tibi quidem secundum illius sermonẽ, verum esto, nos autẽ nónne sententiæ tuæ iudices fieri possumus, an opinari semper te vera iudicamus? Quin potius innumeri homines te cũ quotidie pugnant, contrà quàm tu opinantes putantésque te perperam iudicare atque opinari. THE. Per Iouem, ô Socrates, quàm plurimi sunt, vt inquit Homerus, qui mihi ex hominibus negotia faceſſant. SOC. Quid ergo? Vis dicamus, tũc te quidem tibiipsi vera opinari? permultis aliis autem falsa? THEO. Ex his quæ dicta sunt, necessariò sequi videtur. SOC. Quid ipsi Protagoræ? [a] An non necessarium? Si enim nec ipse putasset hominem esse mensuram, neque etiam multi isti, vt neque putant, nulli hanc veritatem esse oporteret, quam ipse scripsit. Sinautem ipse quidem censuit, multitudo autẽ non consentit, scito in primis quò plures sunt hi quibus non videtur, quàm quibus videtur, eò magis non esse, quàm esse. THEO. Necesse est, siquidem secundum opiniones singulas, & erit, & non erit. SOC. Deinde hoc habet se

[a] *Opinio Protagoræ ipsa seipsam destruit.*

pulcherrimè. Ille enim circa suam opinionem dissentientium sententiã, qua illũ mentiri credunt, quodãmodo verã esse cõsentit, dum vera opinari cunctos fatetur. THEO. Absq; dubio. SOC. An non suã esse falsam admittit, si iudicium illorum, qui falsa illum opinari volunt, verũ esse fatetur? THEO. Necessarium. SO. Alij autem sibiipsis mentiri nequaquam concedũt. THEO. Non certè. SOC. Hic verò & hanc verã opinionem ex his, quæ sibipsis fatetur. THEO. Patet. SOC. Ex omnibus igitur, quæ Protagoras edidit, ambigetur, imò ab illo ipso maximè concedetur. nam si eum, qui contradicit, vera opinari concedat, tunc sanè & ipse Protagoras confitebitur, neque canẽ, neque quẽuis hominem esse mensurã, aut omniũ, aut vnius etiam quodcunque nõ didicerit. An non ita? THEO. Ita certè. SOC. Cum ergo ab omnibus dubitetur, nulli Protagoræ veritas vera erit, nec aliis neque etiam sibipsi. THE. Nimis in amicum meum, ô Socrates, inuehimur. SOC. At verò ô amice, obscurum est an etiam rectũ præteruehamur. Verisimile est enim cũ senior fuerit sapientiorẽ nobis quoque fuisse. Qui se repentè humeris tenus hic emicans nos inuaderet, in multis tãme delirãtẽ, vt probabile est, quàm te cõsentientẽ refelleret, deinde protinus euanesceret. Verũ tamẽ vt nobis ipsis talib. oportet, qualescunq; sumus, & quę videntur eadẽ semper fateri. Et nunc quidẽ quẽlibet concessurũ dicamus, hoc ipsũ videlicet aliquid aliud esse, propterea quod alius alio sapientior insciitióve existat. THEO. Mihi quidẽ videtur SO. Nũquid in hoc maximè insistere sermonẽ dicemus, quod ipsi quoq; concessimus, adstipulãtes Protagoræ: multa quidem quæ videntur ea

cuilibet

cuilibet esse, calida, sicca, dulcia, ceteráque huiusmodi? Quod si in quibusdam differre aliũ ab alio confitebitur, circa salubria, & noxia, afferet vtique non quamlibet mulierculam, puellámque, & brutũ ad seipsum curandum persalubrium cognitionẽ sufficere: sed in hoc, si vsquam alibi, maximè differre. THEO. Idem mihi quoque videtur. SO. Præterea, nónne in ciuilib. etiã honesta & turpia, iusta & iniusta sanctáque & impia, quæcunque ciuitas vnaquæque existimãs ponit sibi legitima, eadem re vera vnicuiq; esse dicet? [a] Atq; in his nihilò sapientiorẽ esse priuato priuatũ, ciuitatéq; ciuitatẽ? At verò in eo quòd vtilia & inutilia sibi respub. statuũt, hic si vsquã alibi, cõfitebitur consultorẽ consultore, rempub. reipublicæ in veritate inuenienda differre. Neque audebit vnquã hoc admittere, vt quæcũque ciuitas aliqua vtilia sibi putans instituit, eadem semper illi conducant. Sed tibi quidem dico, in ipsis iustis iniustísque, sanctis itẽ & prophanis præsidium causæ ponunt, nihil scilicet eorum suapte natura substantiam aliquam habere, sed quod cõmuniter videtur id tum cùm videtur, verum esse, & quãdiu videtur. Et quicunque non omnino sententiam Protagoræ referunt, sic quodãmodo philosophantur. Nos verò, ô Theodore, disputatio è disputatione maior subinde è minore emergens, occupat. TH. Haud igitur otiosi sumus, ô Socrates SO. Haud videmur.

Et sæpe aliàs, ô beate vir, hoc animaduerti, & nunc maximè, quòd non abs re quicunque diutius in philosophia versantur, vbi ad forum sese contulerunt, ridiculi rhetores prorsus apparent. TH. Qua ratione hoc

[a] *In vtili ab inutili discernendo aliũ alio præstare necesse esse fatetur Protag. vt etiã iusti & iniusti, turpi & honesti quemuis hominũ promiscuè mentiurã faciat.*

ais?s o c. Videntur hi, qui in iudiciis, & foro ab ineunte ætate iactantur, ad eos qui in philosophia & huiusmodi studiis assuefacti sunt collati vt [serui se habere ad eos qui liberi sunt educati.] T H. Quo pacto?s o c. Ex eo quod his quidem, vt tu dicebas, semper otium adest, otióque trãquillo cõfabulantur, quêadmodum & nos in præsentia tertiò iam sermonẽ instauramus. Sic & illi, siquid vltrà propositã quæstionẽ, quod magis eos fortè delectet, incidérit, [a] quemadmodum in præsentia nobis contingit, nihil curant, prolixiúsne an breuius loquantur, modò veritatis compotes fiant. Illi autem temporis angustiis in loquẽdo solicitãtur. Vrget enim aqua defluens, neque licet de his quę cupiunt verba facere: sed necessitatem aduersarius affert, libelli formulam adducens, extra quã nihil dicendum, quod [*] iuramentum calumniæ cauendæ vocant. Sermones autem semper de conseruo contra dominum qui in iudicio sedet, & manu sententiam tenet. Certamina quoque nunquã frustrà, sed ad rẽ semper, sæpe etiam de nece & vita agitur. Itaque his omnibus de causis intenti acréque fiunt, scientes domino tam verbis adulari, quàm operibus obsequi pusillanimes, & nõ rectis animis prædíti homines. Nam [b] animi magnitudinẽ, rectitudinem, & libertatem seruitus à pueritia sustulit, cogens obliqua peruersáque patrare facinora, dum discrimina magna formidinésque mollib. adhuc incuteret animis, quæ omnia, cùm nõ possint, cum iustitia & veritate perferre, cõfestim in mendacia mutuásque iniurias conuersi, flectũtur: vndique atq; confringuntur, adeò, vt nihil amplius sanæ mentis habẽtes ex adolescentib. in viros euadant

a *Oratorum & Philosophorũ comparatio.*

διαμαρτία.

b *Seruum esse à pueritia aufert animi magnitudinem rectitudinẽ & libertatem.*

dant, facundos sapientésque, vt ipsi putãt. Atque hi quidẽ tales sunt, ô Theodore, nostri autem chori homines vis referamus? An dimittẽtes potius ad sermonem propositũ reuertamur, ne, vt paulò antè dicebamus, sermonis libertate digressionéq; nimium abutamur? TH. Nullo modo, ô Socrates, sed referamus. probè nanque dicebas quod in philosophorũ choro non nos sermonibus, sed nobis sermones seruiant, & vnusquisque illorum perfici à nobis sustinet tum, cum nobis videtur. Nec enim vel iudex, vel spectator, quemadmodum poetis illis, censor, & dominus noster futurus, nobis præsidet. SOC. Dicamus igitur postquam tibi videtur, de his qui principes sunt. Quid enim de his qui philosophię studio abutũtur? Illi igitur ab ineunte ætate primũ quidẽ viam in forũ ignorãt, neque iudicium, aut curia, aut concilium ciuitatis aliud vbi sit, norunt, leges autem decretáque, vel promulgata, vel scripta nec vidẽt, nec audiunt. Factiones autem sodalitatum quæ ad magistratus creandos spectãt, & congressus, & cœnas, & lasciuiora conuiuia neque somniant quidem. Iam benéne an malè vrbs iam olim habuerit, aut quod cui malũ, turpisue nota à maioribus suis, seu fœminis, seu vitiis sit, magis eos latet, * quàm maris, vt dici solet arenæ. Atque hæc omnia etiam nescire se nescit, neque enim vulgaris glorię gratia ab his abstinet, sed reuera corpus duntaxat illius in vrbe habitat, atque versatur, mens autem hæc omnia parui, imò nullius æstimans, passim volat, vt ait Pindarus, & quæ sub terra sunt, & quæ supra dimetiẽs, & arte cœlũ transcendẽs, omnem perscrutata naturam rerum omnium quæ ad vniuersum pertinent, his

* Prouerbiũ.

a *Quàm longè latéque discurrat mens Philosophi.*

autem quæ propè sunt solis, nullo modo applicans se. TH. Quo pacto id ais, ô Socrates? SOC. Quemadmodum [a] Thaletem, dum in cœlum suspiceret intentus syderib. in foueam cadentem, Thressa quædam eius ancilla concinna & lepida arguisse dicitur, quòd quæ in cœlo sunt, peruidere contenderet: quæ verò proxima & ad pedes, non videret. Idem similiter omnibus, qui in philosophia versantur, obiici potest. Latet enim [eiusmodi hominem non modò quid agat eius proximus,] sed ferè homóne sit, an brutum. Quid autem homo ipse sit, & quid ipsius naturæ maximè conueniat, agere aut pati, exquirit, & laboriosè perscrutatur. Intelligis, ô Theodore, an non? TH. Intelligo equidē, & quod dicis, approbo. SOC. Enimuerò ô amice, vt in superioribus diximus, si quando vir talis, vel priuatim cum aliquo, vel publicè in iudicio, siue alibi de his, quæ ad pedes, & in conspectu sunt, differere cogitur, risum mouet, non Thracibus solùm, verum etiam cæteris gētibus, quippe cùm in foueas ambiguitatésq; multas propter harum rerum imperitiam incidat. Vbi absurda quædam ineptitudo ignauiæ notam inurit. Nam cùm fortè vituperandus aliquis est, nihil habet quod in opprobrium affetat, vtpote vitiorum ignarus, quandoquidem singula singulorum mala nunquam animaduertit. ergo tāquam nescius irridetur. [b] In laudandis quoque extollendísque hominibus, quum nihil simulet dissimulétve, sed apertè rideat, delitus esse videtur. Etenim quum tyrannum, aut regem laudari sentit, vnum quendam subulcum, aut pastorem ouium, vel bubucułum extolli existimat, quòd abundè mulgeat,

id ta-

a *Thales reprehēsus ab ancilla ob lapsum in foueam.*

b *Philosophica libertas.*

id tamẽ interesse censet, quòd reges & tyranni difficilius & insidiosius animal curent & mulgeant. Agrestes verò & rudes non minus propter otiũ, quàm pastores, illos esse necesse est, sic mœnibus in vrbe circũdatos, vt pastor caula in monte. [a] Cùm verò agrorum decem millia iugera aut plura etiam prædicari audit, quasi magnum quippiã ab illo qui habet, postideatur, exigua quædam audire se putat, quippe qui vniuersum terræ orbẽ spectare sit solitus. [b] Quoties præterea quis generis nobilitatem refert, quod septem auos diuites omnes enumerare valeat, hebetis, nihilque magnum propter ignorantiam cogitantis animi laudes huiusmodi censet, quasi ad totius mundi naturã respicere nequeat, & videre quòd innumeri vnumquenque nostrũm aui atque proaui antecesserunt, quorũ in numero diuites & inopes, reges & seruii. Barbaríque & Græci innumerabiles præcessere. Quinetiã quãdo quis stirpem quinque & viginti maiorum dinumerat, & in Amphitryonidem Herculem originem refert, indigna memoratu res illi videtur. Quod enim ille iam inde ab Hercule quintus & vigesimus talis est, cum talem fortuna fecerit, etiamsi quinquagesimus ab Hercule sit, ridet, tanquam eos qui reputare, & ambigere iusanæ mentis vanitatem non possint. In his omnibus philosophus vir vulgò ridiculus habetur, partim quia superbus contemptórque apparet, partim quia quæ palàm sunt ignorat & ambigit. T H. Rem ipsam ô Socrates, vt accidit, enarrasti. S O C. At cùm in aliquem, ô amice, ad supera trahit, & ille paratus hinc decedere, missis litib. in quib. quæritur in quo ego te, aut tu me læseris ad ipsius iustitiæ

[a] *Aduersus gloriãtes ob agrorũ multitudinem Philosophica reprehensio.*

[b] *Item aduersus gloriantes ob generis nobilitatem.*

iniustitiæ ve speculationem ascendit, quid vtraque sint, quo ab aliis omnibus inter se discrepent, vel etiã cõtrouersia illa dimissa quæritur, vtrum rex beatus sit, qui multum auri possidet, ad cõtemplationem regni ipsius beatitudinisque humanæ atque miseriæ qualia cuique sint, & quo pacto humanæ naturæ conueniat hoc adipisci, illud fugere: quando inquam, oportet de his omnibus ratione reddere pusillanimem illum, & acerrimum causidicum, tunc sanè vicissim pœnas philosopho pendet. Vertiginem enim patitur ab excelsa specula caligantibus oculis, vtpotè qui superne perspicere sit insolitus. Mœret quoq; titubat, & barbarica profert. Quocirca risum nõ Thracibus, neque rudi cuipiã mouet: neq; enim persentiũt, sed illis potius omnibus qui liberè, & procul à seruili vita educati sunt. Hæc, ô Theodore, vtriusque conditio. Altera quidè hominis illius, qui libertate & otio est educatus quem philosophum vocas. Qui cùm reuera vituperari nõ debeat, tamen fatuus & ineptus apparet, quotiescunque seruilia aggreditur ministeria, quũ neque stramentorũ farcinas colligare, neque obsoniorũ condimenta conficere, neque adulatoria blandimenta verborum confingere possit. Altera est hominis illius conditio, qui hæc expedite celeritérque subministrare potest, sed decenti liberi hominis vestitu commodè vti nescit. Sermonis insuper harmonia conuenientis deorũ & hominum beatorũ vitam veram canere prorsus ignorat. THEO. Si cæteris hominibus ea quæ dicis, ô Socrates, æquè ac mihi persuaderes, pax amplior, & mala pauciora inter homines nascerentur. SOC. At impossibile est, ô Theo-

a Philosophi est considerare quid hominẽ beatum miseríumue reddat.

b Impossibile est, mala penitus extirpari.

Theodore, mala penitus extirpari. Nam bono oppositũ aliquid esse semper necesse est. Neque illa tamen apud deos locum habere possunt.[a] Naturam verò mortalem, regionémque inferiorem necessariò circumeunt. Quare conandum est, vt hinc illuc quàm celerrimè fugiamus: [b] fuga autem est, vt Deo similes pro viribus efficiamur. Deo similes efficit, cum prudentia, iustitia simul & sanctitas. Cæterũ, ô vir optime, haud facilè id persuaderi potest, quòd non illius gratia cuius vulgus existimat, sequenda virtus, & vitium fugiẽdum: hoc est, ne malus videaris, vtque bonus appareas. hæ nanque annicularum nugę mihi esse videntur. Sed quod verũ sit ita dicamus. Deus nusquam & nullo modo iniustus, sed quàm iustissimus, totam videlicet iustitiæ complexus potestatem, nihílque illius similius, quàm iustissimus homo. Circa hoc vera * industria & fortitudo viri, nécnon * inertia imbecillitásque versatur. Horum sanè cognitio, vera virtus & sapiẽtia: ignoratio cõtrà, inscitia & improbitas manifesta. Aliæ verò, quæ facultates sapientiæque vidẽtur, in ciuilib. quidẽ magistratib. molestæ sunt, in artib. autẽ cæteris illiberales. Illi igitur qui aliquid iniquè patrat & prophana vel dicit, vel facit, ei multò tutissimũ est, si nihil vafricie possit, nec artib. malis vtatur. Exultãt enim opprobrio huius generis homines, séque minimè abiectos, & inanes homunculos videri, nec terræ, vt dicitur, põdus iners: sed viros tales qui tuto in repub. versari valeãt. Ideóq; veritas exprimenda est quòd eo magis tales sunt, quales nõ putãt, quò minus putant: iniustitiæ quippe mulctã ignorant, quã ignorare minimè decet. Neq; enim

[a] *Mala in inferiorib.*

[b] *Fuga à malo quod est in rebus humanis est Deo quàm proximè similem fieri.*

* δεινότης.

* οὐδενία.

est quam forsitan opinantur, verbera atque cædes, quæ sæpe hi patiuntur, qui iniustè nihil egerunt, & iniusti sæpe deuitant, sed ea potius quæ vitare non potest. TH. Quam dicis? SOC. Cùm in rerum ordine, ô amice, exémplaria duo sint, diuinum quidem beatissimum, [a]quod verò Dei expers misertimum, non videntes ita rem se habere, stultitia extremáque dementia occupati, latenter, huic quidem similes ob actiones iniquas redduntur, illi contrà dissimiles. Cuius profectò delicti pœnas pendent dũ vitam illi conuenientẽ cui similes effecti sunt, ducunt. Enimuerò si dixerimus, quòd hosquidem, nisi à nequitia cessauerint, vita functos loeus ille malorũ expers non capiet: istic autem propriæ vitæ similitudinem gerent semper vnà cum malis mali versantes, respondebunt asturi malitiosíque homines deliramenta quædam sese audire. TH. Et maximè quidem, ô Socrates. SOC. Noui equidem, ô amice. Vnum hoc saltem illis accidit, quòd siquando priuatim reddere vicissim, & afferre in medium rationes eorum, quæ vituperant necesse sit, velintque viriliter disputandi moram perpeti, neque ignauè fugere: tunc demum, quod ô beate, absurdum est, sua etiam ipsorum dicta improbabunt, eorúmque rhetorica penitus euanescit, vt nihilo differre à pueris videantur. Verum his iam finem cum præter propositum sint, imponamus. Alioquin materies vndique plurima confluens sermonem à principio instituti obruet. Reuertamur igitur ad priora, si tibi quoque videtur. TH. Mihi quidem ista, ô Socrates, nihilo molestiora auditu contingunt, facile nanque qua ętate sum hoc assequor. Veruntamen si tibi placet, redeamus illuc vnde digressi

[a] *Summa hominu miseria est à Deo alienum esse.*

gressi sumus. SO.[a] Eò profectò disputando deuenimus, vt videremus eos qui essentiam omnem in agitatione ponebant, quódue cuique videtur, hoc eidem existere, in cæteris quidem rebus vehementius hoc asserturos, in iustis autem non minimum: quòd omnino quæcunque ciuitas, vt iusta sibi apparentia statuit, hęc eatenus illi iusta sunt, quatenus statuta permanent. At verò neminem fortem adeò futurũ, qui idem in bonis vtilibúsque contendere audeat, quòd videlicet quæcunque vtilia sibi apparentia instituit ciuitas, hæc eatenus illi conferẽtia sunt, quatenus talia statuta fuerint, nisi fortè quis * nomen dixerit: hoc autem ad id quod volumus scomma esset potius. nónne? TH. Proculdubio. SOC. Nomen ne dicat: sed rem nominatam spectet. & quod tale ciuitas nuncuparit, ad id condendis legibus respicit, ac leges singulas quoad putat & potest, quam maximè sibi vtiles condit. Num aliud in legibus ferendis intendit? TH. Nihil aliud. SOCR. Nunquid voti compos semper efficitur? an sępe eam fallit opinio? TH. Sæpenumero fallit arbitror. SO. Hac præterea ratione quisq; magis hæc eadẽ confitebitur, si quis de omni specie percontetur, in qua vtile consistit. Est autẽ quodammodo & circa futurum tempus. Nam quoties leges condimus, vt in posterum profuturas condimus, quod quidem futurũ rectius vocaremus. TH. Maximè. SO. Agedum ita, vel Protagoram, vel quemuis alium sectatorẽ eius interrogemus. Omnium rerum hominem, ô Protagora, mensuram asseritis, alborum, grauium, leuium, & vniuscuiusque talium. Nam cum iudicandi de his vim in seipso contineat, & qualia patitur, talia iudi-

[a] *Recapitulatio breuissimè dictorũ ante digressionem.*

* sub. vtilis.

cet, vera sibi,& quæ sunt,iudicat. An non ita? TH. Ita planè. SOCR. Nunquid & de futuris, ô Protagora,dicemus, habet in seipso vim iudicandi?& qualia putat sibi hæc fore,talia ipsi existimanti contingunt: cùm medicinæ quispiam imperitus in febrim sese incursurum putat, atque ita sese calefactum iri: medicus autem repugnat contraria opinatus: vtrius illorum veram opinionem futuram ducimus? num vtriusque? & medico quidem neque calidum,neque febricitantem futurum, sed sibi ipsi vtrunque? THE. Ridiculum quidem id esset. SOCR. Quinetiã de vino quod dulce vel austerũ futurũ sit,agricolæ,non citharistæ opinio prævalet. TH. Quidni? SOCR. Neque de consonante, dissonantéue futuro gymnasticus melius quàm musicus opinatur, quod deinde ipsi gymnastico consonans esse videbitur. TH. Nullo modo. SOCR. Quando verò parata mensa offerendæ sunt epulæ, ac de futura illarum suauitate aliquid prædicendum, nónne coqui opinio potior quàm alterius cuiuslibet propinariæ imperiti? De eo quod vel est,vel fuit suaue cuique,nõ pugnamus, sed de illo potius quod in posterum esse cuique & videri debet: vtrum sibi quisque idoneus iudex,an tu potius Protagora quod circa sermones probabile singulis in iudicio futurum est, rectius quàm quiuis rudium præuideres? TH. In hoc ipso in primis, ô Socrates, præcellere cunctis Protagoras est professus. SOCR. O miser,nemo per Iouẽ illum oblata pecunia sectatus fuisset, nisi familiaribus persuasissetur, quod probabile in posterum erit, videbitúrque, neque vatẽ,neque alium quẽuis melius quàm se vnicum præsagire. TH. Verissima loqueris.

a *Protagoras seipsum in multis optimũ iudicem professus, sua opinioni contradixit.*

SOCR.

SOCR. An non legum quoque lationes vtilitásque ad futurum spectant? & quilibet absque controuersia fateretur constitutionem reipublicæ ab eo quod vtile est, sæpius aberrare? TH. Valde. SOCR. Satis iam aduersus præceptorem tuum dictum sit, quod fateri cogitur, alium alio sapientiorem existere, cúmque talem mensuram esse. Me autem cùm expers scientiæ sim, nullius rei mensuram fieri. cogit, quemadmodum sermo nuper illius vrgebat, quòd videlicet seu velim, siue nolim talis essem. TH. Ex illo, ô Socrates, maximè conuinci illius sermo videtur, & ex hoc nonnihil, quod aliorum opiniones validas efficit: hæ verò sermones illius palàm reprobant, falsos existimantes SOCR. Ex multis insuper & aliis rationibus, ô Theodore, conuinci hoc potest, non omnem omnium opinionem veram existere. Sed circa præsentem cuique passionem, ex qua sensus, & secundum sensus opiniones nascuntur, difficilius conuincitur sensus opinionésque veras non esse. Fortè verò nihil dico. Nam si assecutæ sunt, conuinci non possunt: & qui illas certas atque scientias esse assererent, forsitan non aberrarent. Et idcirco Theætetus hic haud ab re inquit sensum & scientiam idem esse.

Quamobrem propius accedendum est, quemadmodum Protagoreus sermo præcepit, & hanc agitatam essentiam* pulsando examinandum, integrúmne, an collisum sonum reddat, pugna vtique de illa non mediocris, nec inter paucos extitit. TH. Permultum sanè abest, vt vilis contentio sit, quæ per Ioniam passim propagata est: siquidem Heracliti stradiosi huic sermoni summoperè suffragantur.

* Supra in Philebo similis locutio.

SO. Propterea, ô amice Theodore, à primordiis hæc inspicienda sunt, vt illi opponunt. TH. Omnino. etenim, ô Socrates, [quod ad Heraclitic os istos attinet, vel vt tu ais Homericos, aut etiam antiquiores, cum iis quidem qui Ephesi agunt, & illius doctrinæ peritiam præ se ferunt, non magis disputari potest, quàm cum æstro percitis.] Plane enim scripta illorum impetu feruntur. Mora autem expectatióque in sermone & quæstionibus & quies inter respõdendum interrogandúmque minus illis adest, quã quòd nihil. Imò etiam minus quã nihil: adeò parum viris illis requietis in animo est: sed siquidem illorum aliqua de re interroges, tanquam ex pharetra obscura verbula depromentes iaculantur. Et si illius dicti rationẽ exquiras, saltero quodam sed paulum immutato vocabulo ferieris] nunquam verò cũ illorum aliquo quicquam perficies, neque ipsi inuicem. Idque vnum obseruatissimè curant, vt nihil stabile, aut in sermone, aut in animis suis esse permittant, putantes (vt mihi videtur) idipsum stabile esse, atque id totis viribus insectantur, & vndique vehementer expellum. SO. Fortsitã, ô Theodore, hos vitos in pugna vidisti, extra pugnã verò nequaquam. Neque enim amici tibi sunt. Verùm talia quædam discipulis suis, vt arbitror, in otio dicunt, quos similes sibi reddere volunt. TH. Quibus discipulis, ô beate? Neque enim inter istos alter alterius fit discipulus, sed sponte nascuntur, vndecunque contigit eorum quenque furore corripi. Atque alter alterum scire nihil existimat. Ab his itaque rationem, vt modò dicebã, nullam vnquã accipies nec volentibus, nec inuitis. Nos autem oportet tanquam propositione accepta consi-

a *Heraclitorũ mos in disputando.*

de-

derare. so. Scitè loqueris. sententiam siquidem aliâ quandâ accepimus à priscis poëmate vulgus hominũ eclamibus quòd origo aliorũ omniũ Oceanus scilicet, atque Tethys sit, quódque fluxus sint omnia, nihilque cõsistat. A recentioribus autẽ atque iis sapientioribus ré adeò clarè demõstrantibus vt vel cerdones eorũ sapiẽtiã audiendo perciperẽt, [a] desineréntq; stultè putare consistere partim res, partim cõtrà moueri, ab iis inquã accepimus moueri oĩa quos authores illi venerãtur. Propemodũ aũt ô Theod. oblitus eramb quòd alij his cõtraria mõstrarunt: vniuersũ videlicet cõueniẽs nomẽ esse hoc existẽs immobile, & alia quæcunque Melissei Parmenideiq; aduersantes his omnib. assẽuerãt, quòd oĩa vnum sunt, idq; vnũ ipsum in seipso cõsistit, locũ in quo moueatur nullũ penitus habẽs. Quid de his omnib. ô amice dicendũ: sensim nãque progressi [in medium amborũ incidimus: & nisi fortiter decertãtes ex illorũ manibus effugerimus] pœnas dabimus instãtes eorũ qui in palęstrisad lineã ludunt, quãdo ab vtriq; apprehẽsi in cõtraria distrahuntur. De his itaq; prius agẽdũ videtur, quos primò fluentes scilicet aggressi sumus. Et si quid probabile dicere videbuntur, cum illis vnà nos ipsos trahemus, alios effugere conãtes. Sin autẽ qui vniuersum stabile ponunt, veriora protulerint, refugiemus ad eos ab illis, qui immobilia mouent. At si neutri verisimile aliquid adducere nobis appareãt, ridiculi erimus, putãtes nos viles homunculos magnum aliquid sapere, repudiatis antiquis & sapientia præstantibus viris. Vide igitur, ô Theodore, vtrum præstet, nécne tantum subire periculum, TH. Nullo modo committendum est, ô so-

[a] *Opinio Heraclitorũ omnia moueri.*

[b] *Melissi & Parmenidis opinio, omnia esse vnũ & hoc vnũ esse immobile.*

crates, quin vtrorũque sensa quid videri, quid falsi habeant, discutiamus. SOCR. Discutiendum est iam, postquàm & tu id vsque eò expetis. Videtur vtique mihi disputationis huius principium à motu sumendum, quo scilicet motu moueri omnia dicant. Quod autem dico huiusmodi est, [a] vtrum speciem vnà motus inducant, an quemadmodum mihi videtur, species duas. Neque id tamen mihi soli videri cupio, sed tibi quoque, vt pariter ambo quicquid oportuerit patiamur. Dic igitur. Nunquid moueri dicis, quando locum quid ex loco mutat, vel in eodem vertitur? TH. Equidem. SOCR. Ergo vna hæc species esto. At cùm eodem in loco quid permanens senescit, vel nigrum ex albo, vel ex molli durum efficitur, aut alia quadam alteratione mutatur, nónne alteram hanc motus speciem meritò nuncupabimus? TH. Meritò. SOCR. Ex eis necessarium est geminas species motus existere, alterationem scilicet, motúmque localem. TH. Probè. SOCR. Hac distinctione præmissa [b], ad eos qui moueri omnia volunt, iam pergamus & hunc in modum interrogemus. Vtrum quodlibet fatemini vtroque modo moueri, alteratum pariter atque delatum? aut aliquid vtroque modo, aliquid vnico? TH. Equidem quod asseram non habeo, arbitror tamen illos vtroque modo dicturos. SOCR. Alioquin, ô amice, agitata simul & consistentia sibiipsis videbuntur, nec magis moueri omnia, quàm stare omnia licebit asserere? TH. Vera loqueris. Postquam moueri ipsa oportet, absentiam verò motus illi competere, omnia vtique semper omni motu mouentur. TH. Necessariò sequitur. SOCR. Hoc age ex eorum

[a] *Motus duæ species.*

[b] *Refutatio eorũ qui omnia moueri dicunt.*

dictis

dictis considera, caloris scilicet, vel albedinis vel cuiuslibet generationem. Nónne diximus nos putare vnumquodque horum ferri simul, cum sensu inter agens, & patiens quidē sensibile esse, non sensum, agens autem quale quid, non tamen qualitatem esse? Fortè qualitas extraneum tibi nomen videtur, neque sic in genere dictum percipis, in partibus igitur audi. Agens enim neque calor, neque albedo, sed calidum potius albúmque, cæteráque eodē pacto. Recordaris ita nos suprà dixisse, nihil secundum seipsum vnum aliquid esse, neque insuper agens, aut patiens, sed ex vtrisque vicissim congredientibus, sensus & sensibilia emanantia partim fieri qualia quædam, partim verò sentire? TH. Memini, ac cur non ita dicant? SOCR. Cætera igitur prætermittamus, sicne, an aliter dicant. Id verò vnum cuius gratia disputatur, diligentius exquiramus. Mouentur, vt dicitis, fluúntque omnia. Nónne? TH. Certè. SOCR. An non vtrisque illis quos distinximus motibus, delata simul, & alterata? TH. Quidni, si modò perfectè moueri illa necesse sit? SOCR. Si igitur ferrentur solùm, neque tamen alterarentur, posse mus dicere qualia quædam fluunt quæ feruntur, aut quomodo dicemus? TH. Hoc pacto. SOCR. Quoniam verò neque id permanet, album scilicet, quod fluit, fluere, sed permutatur ita vt huius ipsius sit fluxus albedinis, & in alium colorem transitus, ne vllo modo permanere deprehendi possit, possúmúsne aliquando colorem aliquem pronuntiare ita, vt rectè denominemus? TH. Atqui quo pacto, ô Socrates, aut in hoc, aut in alio vllo id fieri potest, siquidem dum pronunciamus continuò subterfugit, vtpote quod semper fluit? SOCR. Quid

porrò de quouis sensu dicendum, vt videndi, vel audiendi? nunquid in visione, aut auditu, aliquando permanere? T H. Minimè omnium, siquidem cuncta mouentur. SOCR. [a]Neque igitur videre quicquam potius, quàm non videre dicendum, neque alio vllo sensu vti magis, quàm non vti, cùm omnia penitus transmutentur. T H. Non certe. SOC. Veruntamen sensus ipse scientia est, vt ego, Theætetúsque diximus. T H. Dictum quidem. SO. Non igitur scientiam magis, quàm non scientiam respondebamus, quid scientia sit interrogati. T H. Sic certè videmini. SO. [Opportunè itaque responsionis illius emendatio contigerit si cũ demõstrare studuerimus] quod omnia moueantur, vt recta illa responsio videretur: hoc vt videtur, apparuit, quòd si omnia mouentur, respõsio quælibet, de quocunque quis respondeat, æque recta erit, qua id sic se habere, & non sic habere se respondetur, aut si maliis fieri, ne ipsos sermone sistamus. T H. Rectè loqueris. SO. Præterquã in hoc ô Theodore, quod ita & non ita dicebam. oportet autem neque hoc ita dicere. Neque enim amplius ita moueretur, neque rursus non ita. Non enim motus hoc, sed nomen aliud imponendũ ab iis qui talia diffiniunt: quoniam nunc ad eorũ suppositionem verba non habent, nisi fortè dictionem hanc, scilicet non quomodocunque habere videantur, quæ quidem potissimũ ipsis congruit infinite prolata. T H. Valde conueniens illis hæc dictio est. SO. Iam ô Theodore, quod ad amicũ tuum attinet, expediuimus: necdum concessimus illi quælibet hominem rerum omnium esse mensuram, nisi sapiens quis existat. Scientiam insuper esse sensum minimè con-

[a] *Fundamento suo destruitur & euellitur opinio Protagoræ.*

cócedemus, secundum rationẽ illam quæ mo-
ueri omnia prædicat, nisi fortè Theætetus hic
alio quodam modo dicat. TH. Optimè dixi-
sti, ô Socrates. His enim peractis me quoque
ab his expeditum esse decet, vt inter nos con-
uenerat, postquam disputatio aduersus Prota-
goram finem accepit. TH. Ne desistite quæ-
so, ô Theodore, antequam tu & Socrates per-
curratis eos insuper qui stare omnia volue-
runt, quemadmodum paulò antè proposui-
stis. TH. Cum sis iuuenis, ô Theætete, senio-
res iniuriam facere doces, dum pacta transgre-
di exhortaris: sed accingere tu, vt reliquorum
Socrati, si velit, rationem reddas. TH. Liben-
tissimè tamen ea de quibus loquor audirem.
TH. *Equites in campum prouocas, cum So- * Prouocẽ.
cratem ad disputandum accersis. Interroga i-
gitur, atque audies. SOCR. Videor equidem, ô
Theodore, in his quæ Theætetus iubet, ipsi
minimè pariturus. TH. Quid obstat quò mi-
nus obsequaris? SO. Et si Melissum, atque alios
qui vnum consistens vniuersum dicũt, vereor
ne fortè oneroso videamur illos exagitantes,
minus tamen, quàm vnicum Parmenidem ve-
reor. Parmenides autem, vt Homericis verbis
vtar, verendus mihi aerque videtur. a Collocu
tus sum olim cum illo sene admodum adhuc
adolescens, mihique visus est profundã gene-
rosámque omnino sapientiam possidere. for-
mido itaque ne dicta eius vocesque nequaquã
intelligamus: quod autem verbis subintelligit,
multò magis nos lateat: & quod maximũ est,
cuius gratia disputatio inter nos cœpit, qd scie
tia sit inquirẽs, indiscussũ relinquatur propter
disputationes temerè irruẽtes, si quis eis obse-
quatur: præsertim cũ amplissima quæstio illa

a *Parmenidẽ senem adolescẽs audiuit Socrates.*

quam modò induximus, si præter propositum & quasi disgrediendo tractetur, indigna nimium passura sit: & si latius exactiúsque perficiatur, scientiæ ipsius inuestigationem impeditura. Neutrum verò decet, sed magis Theæteti fœtum circa scientiam obstetricia facultate in lucem educere, & diligenter examinare. TH. Si ita videtur, ita agendum est. SOCR. Hoc igitur, Theætete, circa id prædicta insuper considera. sensum esse scientiam respondisti, an non? TH. Certè. SOCR. Si quis interrogaret, quónam alba & nigra homo videat, quóue acuta & grauia audiat: oculis, vt arbitror, & auribus responderes. TH. Equidem. SOCR. [a] Vti nominibus verbisque communioribus, neque exactè curioséque disquerere, sæpenumero generosi animi est, contrarium autem illiberalis: nonnunquam tamen necessarium est, quemadmodum in præsentia examinare cogimur, qua ex parte responsio tua minus recta sit. Attende quæ responsio rectior, vtrùm quæ dicit, quo videmus, id oculos esse: an quæ dicit, per quod videmus. Item quo audimus, aures, an per quod audimus. TH. Potius mihi per quæ singula sentimus, quàm quibus sentimus respondendum videtur, ô Socrates. SO. Absurdum quidem id esset, ô puer, si multi in nobis sensus quemadmodum in ligneis equis insiderent, & omnia hæc in vnam siue [*] ideam, siue animam, seu quomodocunque vocari decet, minimè tenderent, qua per ista tanquam per organa quæcunque sensibus subiacent sentiamus. TH. Mihi quidem hoc potius, quàm illo modo videtur. SOCR. Ideircò ista tecum diligenter perquiro, vt videamus, vtrum vno quo-

[a] *Vocũ vim inter disputãdũ examinare nonnunquã necessarium est.*

[*] Idea, pro forma.

quodam eodem quod insit nobis, per oculos quidem alba & nigra percipiamus, per alia verò organa alia quædam: posísque interrogatus, in corpus singula hæc referre. Præstat fortítan te ad singula respondere, quàm me [tuas vices obeundo plurium fatagere.] Dic itaque, ea per quæ sentis calida & ficca, leuia atque dulcia, nónne corporis organa singula ponis? an alterius cuiuspiam? TH. Nullius alterius. SO. Nũquid fateberis quæ per aliã potentiã sentis, per aliã sentire non posse? veluti quæ per auditum, eadẽ per visum: & contrà, quæ per visum, eadem per auditũ? TH. Quídni fateor? SO. Si quid ergo de vtrisque cogitas, non vtiq; per aliud organũ, neque etiã per aliud de ambobus id sentis. TH. Nõ certè. SO. De voce atq; colore vtrisq; simul, primũ quidem id cogitas, quòd vtraque sunt. TH. Cogito. SO. Item quod alterutrum ab alterutro diuersum est, & sibimet idem. TH. Est ísthuc. SO. Quódue ambo, duo sunt, vtrunque verò vnum. TH. Id quoque. SOC. Potes insuper vtùm similia inter se, vel dissímilia sint, iudicare? TH. Fortè. SOC. Hæc vtique omnia per quod potissimum de ipsis exístimas? Non per auditum, non per visum, commune circa illa quicquam accipi potest. Hinc præterea quod dicimus, coniectare licet. Si enim de vtrisque iudicari posset, falsáne sint, an non, posses proculdubio declarare quo iudicares: ídque non visum, non auditum, sed aliud quiddam esse constat. TH. Cur non linguæ vis id efficiat? SO. Scitè loqueris. Illa verò potẽtia per quod tibi ostendit quod singulis est cõmune, quódue super singula, quo esse & non esse denominas, quæ paulò antè de his percontabamur,

qualia organa his omnibus assignabis, per quę id quod sentit in nobis singula sentiat? TH. Et sentiam ais & ipsum non esse, similitudinémque & dissimilitudinem, nec non idem & alterum, vnum quoque & alium circa illum numerum veumquenque. patet enim quod quęris, per quod potissimum ex corporeis instrumentis ipsa anima par & impar, & quæ sequuntur, percipiamus. SO. Egregiè admodum, ô Theætete, assequeris. atque hæc ipsa sunt, quæ interrogo. TH. Per Iouem, ô Socrates, quid dicam ignoro, nisi quòd mihi ab initio videbatur, nullum huiusmodi propriũ organum his vt illis accommodari, sed ipsam potius per seipsam animam, communionem in omnibus iudicare. SO. Pulcher es, ô Theętete, nec vt aiebat Theodorus, deformis. Nam qui pulchrè loquitur, pulcher est atque bonus. Accedit ad hæc, quòd ingens mihi beneficiũ cõtulisti. Nã prolixa graui disputatione me liberasti, postquam tibi videtur [a] anima quædam per seipsam considerare, nonnulla per corporis vires appræhẽdere. Nã hæc mea sententia erat, quam tibi quoque cupiebã persuadere. TH. Mihi certè persuasum est. SOC. [b] Quorum in numero essentiam ponis? Hæc sanè maximè ad omnia sequitur. TH. Eorum quæ ipsa per se anima affectat atq; assequitur, SO. Nũquid simile dissimiléq;, & idẽ & alterũ? TH. Et hæc. SOC. Quid pulchrũ & turpe, bonũq; & malũ? TH. Horũ quoque mihi videtur maximè omniũ essentiã inuicem considerare, reputans, atque comparans in seipsa præterita præsentiáque ad futura. SO. Aduerte & hoc, rei duræ duritiem per tactum sentiet, & mollis simili tatione molliciem. THE. Ita.

[a] *Anima quædam per se quædam per corpus comprahendit.*

[b] *Quænam sint illa quæ anima per se cõsiderat.*

SO.

SOC. Essentiam verò, & quòd sunt, mutuãque contrarietatẽ ipsiúsque contrarietatis essentiã ipsa anima per se volutans, & inuicẽ conferẽs, discernere nititur. TH. Omnino quidem. SO. An non statim natis hominibus atque brutis naturalis quædam facultas adest, qua passiones per corpus manantes in animam sentiunt? Ratiocinatio verò comparatióque istorum ad essentiam vtilitatémque vix tandem post longa curricula temporis, frequenti studio & disciplina aduenit quibuscunque competit? TH. Ita prorsus. SOC. Num veritatem eo, percipere possumus, quo essentiã non percipimus? TH. Minimè. SO. Cuius autem quis veritate caret, huius scientiam vllam habet? TH. At quo pacto id fieri posset? SO. In passionib. igitur scientia nequaquam inest, in ratiocinatione tamen quæ circa illas versatur, ineste videtur. essentiã quippe veritatémque hæc attingere possumus, illis verò nequaquam. THE. Constat. SOCR. Num idem illud & hoc vocas, cùm tanta inter se differentia discrepent? TH. Haud sanè deceret. SOC. Quod illi nomen attribuis? ei scilicet quod est videre, audire, odorari, gustare, calefieri, frigefierique? Num sentire? TH. Idipsum. quid enim aliud? SOC. Vniuersum igitur hoc sensum vocas? TH. Necesse. SO. [a] Huic veritatis perceptionem cõuenire negauimus, cum essentiam non percipiat. TH. Sic est. SOC. Neque scientiæ igitur compos erit. TH. Non. SOC. Ex his sequitur, ô Theætete, scientiam & sensum nunquam idem fore. THE. Nunquam penitus. SO. In his perspicue patuit, [b] aliud sensum, aliud scientiam esse. Verùm non huius gratia differere cœpimus, vt quid scientia non sit, imò quid sit, inueniremus. Eatenus

a *Sensus nõ percipit essentiam rerum, sed anima ratiocinando ipsam assequitur.*

b *Concl. aliud sensus, aliud scientia.*

verò disputando processimus, vt scientiam in sensu nullo modo quærẽdam iudicauerimus, sed in eo nomine potius, quod tunc sortitur animus, cum ipse secundum seipsum circa illa quæ sunt, versatur & agit.

TH. Atqui hoc, ô Socrates, vt ipse arbitror, opinari vocatur. SOCR. Rectè arbitraris amice. Et nunc ab initio rursus aduerte, deletis ex animo cunctis superioribus, nunquid magis perspicias, postquam hucusque erectus es. Quidue scientia sit, iterum explica. TH. Opinionem quamlibet, ô Socrates, scientiam dicere impossibile est, cum & falsa quædam opinio sit. a Videtur autem opinio vera scientia esse. Idque à me nunc responsum puta: quod si aliter disputando deinceps videbitur, aliquid aliud afferre conabimur. SOC. Euge Theætete. sic prõpto animo disputare decet, neq; vt cœperas, tergiuersari. Si enim ita fecerimus, alterã è duob. continget, aut quod affectamus inueniemus, aut certè quod ignoramus minus nos scire putabimus: neque mediocre lucrum id erit. & nunc quidem quid ais? An cũ duæ sint opinionis species, vera vna, & altera falsa, opinionem veram scientiã definis? TH. Definio, hoc enim mihi in præsentia videtur. SO. An de opinione deinceps ab initio pertractandũ? TH. Quidnã dicis? SO. Turbat me nunc & sæpe aliàs, adeò vt in ambiguitate plurima quò ad meipsum & quò ad alios verser, explicare nõ valẽs quęnã sit hæc in nobis affectio, quóue pacto adueniat. TH. Quænã hęc? SO. Falsò scilicet aliquem opinari. de quo nunc etiã ambigo, vtrum id omittamus, aut aliter quàm suprà consideremus. TH. Quidni, ô Socrates, si quomodo decere cẽses? præclarè enim tu &

a An scientia sit idem quod opinio vera.

The-

Theodorus in superioribus de otio dicebatis, quòd nihil in talibus vrgeat. SO. Opportunè admonuisti: fortè enim haud ab re erit tanquã vestigium iteratò persequi: præstat nãque parum benè, quàm multum non sufficienter determinate. TH. Præstat sanè. SO. Quomodo igitur & quid dicimus? falsam plerunque opinionem esse dicimus, & aliquê nostrûm falsa opinari, alium vera, quasi hæc ex natura ita se habeant? TH. Dicimus absque dubio. SOCR. Nónne hoc nobis tam circa omnia, quàm circa singula competit? nosse videlicet vel ignorare? nam discere & obliuisci vtpote istorum media, impræsentiarum transeo, cum nihil ad propositum nobis conferant. TH. Nihil prorsus, ô Socrates, aliud præter nosse, vel ignorare circa vnumquodque relinquitur. SOCR. Nónne igitur necessarium est opinantem opinari illa de quibus nouit aliquid, vel non nouit? TH. Necessarium. SO. Quinetiam noscẽtem ignorare idem vel ignorantem nosse impossibile est. TH. Quídni? SO. Num qui falsa opinatur quæ nouit, ea putat non ea esse, sed alia quædam quæ etiam nouit: & vtraque noscens, vtraque rursus ignorat? TH. At fieri hoc nequit, ô Socrates. SO. An fortè quæ nõ nouit, ea putat alia quædam esse quæ non nouit? & qui neque Theætetum, neque Socratem agnouit, cogitare vnquã potest Socratẽ Theætetum, vel contrà Theætetum Socratem esse? TH. Nunquam. SO. Neque tamen quæ quis nouit, ea quæ non nouit, esse putat: neque rursus quæ non nouit, ea quæ nouit. TH. Monstrum enim esset. SO. Quo pacto igitur falsa quis opinabitur? Præter hæc quidem opinari non licet, quandoquidem omnia vel nosci-

mus, vel ignoramus: in his autem nullo modo falsa opinari quis posse videtur. TH. Vera loqueris. SO. An fortè, non ita considerãdum quod quærimus, secundum nosse & non nosse procedendo, sed secundum esse & non esse? TH. Qui isthuc ais? SO. Ne simplex sit, quoniam qui quæ nusquam sunt, in quacunq; tãdem re opinatur, is non potest non falsa opinari quomodocunque tandem cogitet. THE. Decens id quoque, ô Socrates. SO. Quomodo igitur, quidue respondebimus Theætete, si quis nos interroget (possibile est autem vnicuique quod dico) a Quisnam hominum ipsum quod non est opinetur? siue de aliquo eorum quæ sunt, siue ipsum secundum seipsum? Adhæc vtique respondebimus: quando scilicet quispiã opinãdo vera nõ opinatur: aut quid dicemus? TH. Sic certè. SO. Num & alibi tale quid accidit? TH. Quid istuc? SOC. Vt aliquis videat quidé aliquid, videat autẽ nihil? TH. Et quónam pacto? SOC. At verò si vnũ quiddã videt, existentium quiddam videt. an ipse putas vnũ in his quæ non sunt, esse? TH. Minimè. SO. Qui ergo vnum aliquid videt, existens aliquid videt. TH. Apparet. SO. Et qui aliud audit, vnum aliquid audit, & existens audit. TH. Profectò. SOC. Itẽ qui aliquid tãgit, vnum aliquid tangit, & existẽs insuper, si quidem vnũ. TH. Et istud. SOC. Qui autem opinatur, nónne vnum aliquid opinatur? TH. Necessariũ est. SO. Et qui vnum aliquid, nónne existens aliquid? TH. Assentior. SOC. Qui ergo non existens opinatur, nihil opinatur. TH. Non videtur. SOC. At qui nihil opinatur, omnino non opinatur. TH. Constat. SOC. Impossibile igitur est, quod non est opinari, siue de aliquo eorum

a *An falsũ opinari, sit opinari id quod nõ est.*

eorum quæ sunt, siue ipsum secundum seipsũ. TH. Impossibile videtur. SOC. Aliud itaque est opinari falsa, quàm ea quæ non sunt opinari. TH. Aliud apparet. SOC. Neque igitur sic, neque vt paulo ante considerauimus, opinio falsa nobis inest. TH. Non certè. SO. At in hunc modum hoc forsitã appellamus? TH. Quem? SO. [a] Alienam quandam opinionem, falsam opinionem esse dicimus, quãdo quis aliquid eorum quæ sunt, aliud quiddã eorum quæ & ipsa sunt, prout animi cogitatio mutarit, esse dicit, sic enim existens aliquid semper, sed pro alio aliud opinabitur: cúmque ab eo quod cogitauit aberret, iure falsa opinari dicetur. TH. Rectissime mihi nunc dixisse videris. Nã quoties aliquis pro pulchro turpe, vel cõtrà pro turpi pulchrum opinatur, toties falsa opinari non ab re iudicetur. SO. Contemnis me apertè, ô Theætete, neque vereris? TH. Quorsum hæc? SO. Haud enim, puto, videor tibi quod reuera falsum est apprehendisse, cũ interrogarem vtrum possit velox tardi, aut leue graui, vel aliud quiddam contrarium non secundum naturam propriam, verum secundũ naturã contrarii sibiipsi contrarium fieri. Ne igitur id frustra aut temerè audeas, dimitto: placet autem tibi, vt ais, falsa opinari, esse idẽ quod & aliena opinari. THE. Mihi quidem. SO. Licet ergo, vt ipse putas, alterum quiddã vt alterum, & non vt illud cogitatione ponere. TH. Licet vtique. SO. Quando id igitur facit cogitatio, an nõ necesse est ipsã, aut vtraq; aut alterũ cogitare? TH. Necesse omnino. SO. Aut simul aut seorsum? TH. Et istud. SO. Ipsũ autem cogitare, num idẽ quod & ego, vocas?

a *An falsum opinari sit aliud pro alio opinari.*

[a] *Cogitare quid.*

THE. Quid tu vocas? SOC. [a] Sermonem quem ipsa anima apud se voluit circa illa quæ considerat, rem tibi eámque vt minimè peritus, declaro. Hoc enim mihi videtur, cogitatione scilicet animâ nihil aliud agere quàm secũ ipsam differere, interrogando, respondendo, affirmãdo atque negando. [b] Postquàm verò definit, idémque siue tardius, seu velocius animadvertens asserit, neque vagatur, hanc ipsius opinionem ponimus. Quamobrem opinari, loqui appello, opinionemq; sermonem, non ad aliũ, neque voce, sed silentio, & ad seipsum. Tu verò quid sentis? THE. Idem. SOC. Quando igitur aliquis alterum, opinatur alterum, tunc vt videtur ad seipsum dicit, alterum esse alterum. THE. Quidni? SOCR. Recordare obsecro, si quando tecum ipse dixeris, pulchrum omnino turpe, vel iniustum esse iustum? imò, vt in summa dicam, nunquid persuadere tibi vnquã conatus sis, quod maximè omnium alterum sit alterum, an prorsus contra? nec in somniis vnquam ausus fueris tecum dicere, quòd paria prorsus imparia sint, vel aliud quiddam huiusmodi. THE. Nunquam certè. SOC. Nunquid alium quempiam siue prudentem, siue insanũ, ausurum existimas secum loquendo ex industria sibi persuadere bouem necessariò equum, vel duo vnum esse? THE. Minimè per Iouem. SOCR. Si secum loqui opinari est, nemo dum vtraque dicit, opinatur, attingítq; animo proferret vnquã opinaretúrque alterũ esse alterũ. Mittamus, si placet, verbum hoc alterum. hoc autem est quod volo, neminem opinari turpe esse pulchrũ aut aliud quicquã eiusdẽ generis.

[b] *Opinari quid.*

THE. Mitto equidẽ, ô Socrates, mihíque quod ais, admodum placet. SOC. Quare fieri nequit,

vt qui

vt qui opinatur ambo, alterum esse alterum opinetur. THE. Patet. SOC. At neque is qui alterum opinatur tantum, alterum minimè, vnquam alterum esse alterum opinabitur. THE. Verà narras: nã cogeretur etiã quod non opinatur attingere. SOC. Neque igitur qui ambo, neque qui alterum opinatur, aliena opinari potest. Quapropter qui falsam opinionẽ alienã opinari definit, nihil efficit. Vnde neque hoc modo, neque secundũ superiora opinionem falsam nobis inesse constat. THE. Non, vt videtur. SOC. Veruntamen, ô Theætete, si hoc non esse apparuerit, multa & absurda cõfiteri cogemur. THE. Quænã? SOC. Non prius dicã tibi, quàm omnino considerare cõtendero: putideret enim me nostri in iis quæ dubitamus, si confiteri quæ dico, cogeremur: sed si inuenerimus, liberèque euaserimus, tũ demũ de aliis loquemur, quibus talia vsu veniũt, vtpote ipsi ab huiusmodi ridiculo errore penitus alieni. sin autẽ omnino deficiemus, humiles facti veluti fluctuantes & nauseam patientes, orationi nos permittemus, vt vel cõculcet nos, vel agat quò velit. Iraque siquem exitum inueniam quæstionis huius, iam audi. THE. Dic modò. SOC. [a] Haud fatebor rectè nos consensisse, quando conceſſimus, quæ quis nouit, opinari non posse esse ea quæ nõ nouit, atque mentiri. Imò fieri quodãmodo potest. TH. Nũquid ais, quod & ego tunc suspicatus sum, quãdo id tale esse diximus, quod nonnunquã ego Socratẽ noscens, eminúsque alium ignotum mihi prospiciens, Socratem mihi notũ esse putarim? contingit enim in hoc quod dicis. SOC. Nónne ab eo iam depulsi sumus, quod efficiebat, vt quæ noscimus, cognoscentes minimè noscc-

[a] *Quid sit falsa opinio, & quomodo fiat, explicatur.*

remus? THE. Prorsus. SOC. Ne igitur sic amplius, sed isto modo ponamus, ac fortè quispiam nobis assentietur, fortè etiam aduersabitur. Verum ad id attendamus in quo necessarium est sermonem illum qui omna inuertit, examinare. Vide itaque an aliquid dicam, potéstne qui antè aliquid ignorauit, postea discere? TH. Potest certè. SOC. Nónne aliud deinceps atque aliud? TH. Quid obstat? SOC. Pone exempli causa, ceream vnam in animis nostris effigiem in hoc maiorem, minorem in illo, in hoc purioris ceræ, sordidioris durioríve in alio, in quibusdam mollioris, in nonnullis etiam temperatæ. THE. Pono. SOC. Donum igitur hoc esse dicamus Musarũ matris Memoriæ, & in hoc quicquid eorum quæ aut videmus, aut audiuimus, aut ipsi excogitamus, meminisse cupimus, insinuantes ipsum sensibus intelligentiíque, veluti anulis signantes exprimimus, quódque signatum fuerit, meminimus nos, & scimus quoad figura permanet. at cùm aboletur, vel inscribi nequit, obliuiscimur atq; nescimus. TH. Sic esto. SOC. Qui ergo scit quidem illa, considerat autem quicquam eorum quæ videt vel audit, vide vtrum hoc modo falsa opinetur? THE. Quónam? SOC. Quæ nouit esse putans, nunc quidem quæ nouit, nunc verò quæ non nouit. Hæc vtique suprà non rectè confessi sumus, impossibilia confitentes. THE. Nunc autẽ quomodo dicis? SOC. [a] in hunc modum de illis à principio distinguẽdo dicamus: 1. quòd istuc quod quispiam nouit eiúsque in animo monumentũ seruat, non sentit autẽ, existimare nequit aliud quiddam esse eorũ quæ nouit, cuius etiã imaginem seruat, non sentit autem: 2. con-

[a] *Secundum hos omnes modos, falsum opinari non contingit.*

2. contráque quod nouit, putare esse quod nō nouit, cuiúsve nullā seruat imaginē: 3. & quod non nouit, id insuper quod non nouit: 4. & quod non nouit, id quod nouit: 5. aut quod sentit, aliquid aliud eorum quæ sentit opinari esse: 6 siue quod sentit, aliquid quod minimè sentit: 7. aut quod non sentit, eorū aliquid quæ non sentit: 8. siue quod non sentit quicquam ex his quæ sentit. 9. Multóque minus putare potest quod nouit, sentítque, & seruat illius imaginem secundum sensum, esse aliud quiddam quod etiam nouit, & sentit, & seruat eodem modo: 10. aut quod nouit, & sentit, & retinet, recte quod nouit, putare: 11. Siue quod nouit, & sētit, & similiter retinet, id esse quod sentit: 12. seu quod neque nouit, neq; sentit, id esse quod nec nouit etiam, neque sentit: 13. Quódve neque nouit, neque sentit, id quod minimè nouit: 14. Quódve neque nouit, neque sentit, id quod minimè sentit. Hæc omnia talia sunt, vt nemo in eis falsa vlla ratione opinari valeat. Restat ergo vt in quibusdā huiusmodi, si modò alicubi, tale quid accidat. TH. In quibusnā? Videamus, obsecro, an magis ex ipsis intelligā. Nā in præsentia haud assequor. SO. Vt in quib. nouit aliquis, ea putet esse alia quędā quæ & nouit & sentit, vel quæ non nouit, sentit tamen, vel quæ nouit, sentitq;, ea quæ & nouit & sentit. TH. Nunc longè magis q̄ suprà deficio. SOC. Age, sic iterum audi. Equidē agnoscens Theodorū, eiúsque simulachrū memoria tenens, Thætetúmque similiter, interdum quidem ipsos video, interdū non video, & tāgo quandoque, aliàs minimè, eodémque pacto & audio, & aliis sensibus appræhendo: sæpe etiā sensu vos nullo percipio, sed intra me

scio nihilominus atque memini. TH. Prorsus. SOC. Hoc itaque primum ex his quæ exposturus sum, animaduerte, quod potest quidem aliquis quæ nouit, non sentire, potest etiam sentire. THE. Sic est. SOC. Nónne & quæ non nouit, sæpe etiam neque sentit, & sæpe solummodo sentit? TH. Verũ hoc quoque. SOC. Vide an magis in præsentia id iam assequaris. Socrates dũ Theodorũ Theætetúmque agnoscit, sed neutrum videt, neque alio sensu illos percipit, nunquam secũ ipse Theætetum esse Theodorũ opinatur. Quid ad hæc? TH. Vera sunt. SOC. Hoc sanè primum erat ex his quę dicebã. TH. Erat. SOC. Alterum erat hoc, quod dum vnum è vobis agnosco, ignoro alterũ, & sentio neutrum, nunquã eum quem cognosco, illum esse quem ignoro, existimo. TH. Probè. SOC. Tertium verò istud: dum neutrũ cognosco, neutrúmque sentio, nunquã eum quẽ ignoro, aliũ quendã quẽ rursus ignoro, esse arbitror. atque ita deinceps omnia supradicta repetita similiter puta: in quibus ego nunquã de te ac Theodoro falsa opinabor, neque cognoscens neque ignorans vtrosque, neque vnũ quidem nosces, ignorans alterum. eadémque de sensibus ratio, si modò percipis. THE. Percipio equidẽ. SOC. a Restat itaque vt falsa in hoc opinemur, quãdo te Theodorúmque cognoscens, seruánsque in cætera illa effigie vtriusque figuras lõgo ex tempore, tanquã anulorũ vestrorum signacula, neque acutè cernẽs vtrosque, tento propriũ vtriusque signum propriæ visioni attribuẽdo eius accommodare vestigio vt agnitio fiat: sed aberro, & instar eorum qui [aduersum calceũ pedi inferunt,] cõmuto, & vtrisque visioné ad alienum simulachrũ transfero, & similia quædam

a *Quomodo fiat falsa opinio.*

dam patior iis quæ in speculis transuersò resultant, cum aspectus dextera in sinistra cõmutat. Atque ita decipior, nascitúrque aliena opinio, & id est quod falsa opinari vocatur. THE. Omnino, ô Socrates, opinionis passio talis est, qualis ea quam dicis affectio. SOC. Præterea quũ vtrosque cognoscens, vnũ insuper sentio, alterum minimè, cognitionem verò alterius non secundũ sensum habeo, quod suprà ita dixi, nec tu me intellexisti. THE. Non certè. SOC. Hoc tamen dicebã, quod qui agnoscit alterũ atque sentit, cognitionẽ secundum sensum ipsius habet nunquã putabit ipsum esse alium quendã ab his quos agnoscit quoque & sentit, cuiúsve cognitionem secundum sensum habet. Erátne hoc? THE. Imò. SOC. Prætermissum quodãmodo fuit quod modò dicitur, cũ in superioribus assereremus falsam opinionem contingere, quoties quispiã vtraque noscẽs & vidẽs, aut alio quodã sensu percipiens, & vtrorũque signacula tenens, nõ secundum ipsius propriũ sensum vtrunque habet, verùm instar imperiti sagittarij à signo procul aberrat, quod quidem mendacium nuncupatum est. THE. Nec iniuriâ. SOC. Et quando vni quidem signaculorũ adest sensus alteri minimè, quod verò absentis sensus est, præsenti adscribit, omnino hæc cogitatio fallitur: & vt summatim dicam, circa illa quæ quis nunquã aut nouit, aut sensit, falli mentitúrve, & falsam opinionem habere non potest, siquid modò veri nos nunc quidem loquimur. Cæterùm in quibus noscimus, & sentimus, in iis ipsis opinio vera vel falsa versatur: quæ cum è conspectu directóque nixu propria simulachra colligit, figurátque, vera est. Cùm verò transuerso atque obliquo,

falsa. TH. Nónne præclarè hæc, ô Socrates, dicta sunt? SOC. Cùm hæc audieris, idem vehementius asseres. Vera portò opinari pulchrum est, mentiri turpe. THE. Quidni? SOC. Hæc vtique hinc maximè fieri tradunt. Cùm alicuius in animo cerea effigies illa profunda & multa, lenisque & probè subacta est, quæ per sensus influunt in hoc animæ cor insculpta, quod Homerus, ceræ hanc similitudinem innuens, κέαρ dixit, tunc quidem etiam his signa quæ accedunt, pura & satis profunda, ac diuturna fiunt. [a] Ac primò quidem dociles sunt & acuti, deinde etiam memores, postremò sensuum simulachra non commutant, vnde vera nimirum opinantur. Nam cum sint ea perlucida & ampla in regione, velociter distribuunt diuidúntque in propriam effigiem singula, quæ quidem existentia veráque vocantur, viríque tales sapientes esse dicuntur, an non idem tibi videtur? TH. Mirum in modum. SOCRAT. [b] Quando igitur densum alicuius est cor, quod sapientissimus Poeta laudauit, vel cùm lutulentum, nec ex defecata cera, vel molle nimis, vel durum, non rectè omnino se habet. Nam mollis nimium cera celeres quidem ad percipiendum efficit, sed eosdem obliuiosos. [c] Dura verò contrà, diu memores, sed ineptos tardóque ad percipiendum: & quæ densam & asperam lapideamque, vel terream, vel feculentam habent, obscura simulachra continent, obscura quoque qui duram: profunditas quippe non adest. Obscura præterea qui molliorem, nã ex confusione facilè euanescunt: quòd si præter hæc, inuicé quoque congesta sint, ob sedis ipsius angustiam, si quidem exigua

[a] *Qui memores & acuti.*

[b] *Qui immemores.*

[c] *Qui veloces & qui tardi ad percipiendum.*

eixgua sit animula, obscuriora quoque illis simulachra fient. a Homines ergo huiusmodi omnes, quales descripsimus, ad opinionē falsam proni reddūtur. Nam quū quid videt, aut audiūt, aut cogitāt, quia singula singulis mox reddere nequeūt, tardi sunt, præuaricantúrq; : nā peruersē videt plurima, audiúntq;, & aliud sæpe pro alio cogitādo decepti cōcipiunt: atque hi falsi mētientes, ignari vocātur. TH. Rectissimē omniū, ô Socrates, loqueris. SO. Fatendū igitur falsas hominib. opiniones inesse. TH. Valdē. SOC. Et veras insuper. TH. Et veras. SO. Iā vtiq; satis cōstare putandū duas opiniones esse. THE. Magnopere. SOC. Importunus reuera molestúsq; admodū, ô Theætete, vir garrulus esse videtur. TH. Quorsum hæc dicis? SO. Ruditatē meā, ac vt verè dicā, garrulitatē meam molestè ferens. nā quod aliud quispiā nomen imponat ei, qui ob ingenij tarditatem sermones sursum deorsum vertit, quū persuaderi nequeat, & tanquam hebes expedire disputationem omnino nullam valeat, & dubitationes euadere? TH. Tu verò quid molestè fers? SOC. Non tantū ægrè patior, verū & dubitaui quidnam respondeā, si quis ita quæsierit, ô Socrates b reperisti iam opinionē falsam nō inter se in sensib. nō in cogitationib. sed in sensus & cogitationis cōgressu cōsistere? At ego fatebor, vt puto, gloriabūdus, quasi egregiū quiddā inuenerimus. TH. Mihi quidē videtur, ô Socrates, haudquaquam turpe esse quod nunc ostensum est. SOC. Nunquid igitur, inquiet ille, hominem quem cogitamus duntaxat, videmus verò nequaquam, equum esse nunquā opinabimur, quem in præsentia nec videmus, nec tangimus, verùm solummodò

a *Qui proni ad opinionē falsam. Qui ignari.*

b *Opinio falsa in sensus & cogitationu congressu consistit.*

cogitamus, nihílque aliud circa illum sentimus? Hæc equidem, vt arbitror, asserere me fatebor. TH. Et meritò. SOC. Tum ille. Vndecim quæ quis solum cogitat, secundum hãc rationem, nunquam putabit esse duodecim, quæ etiam solummodò cogitat. Quid ad hęc respondes? TH. Respondebo, quod videns aliquis aut tangens forsitã vndecim, duodecim esse putaret: quæ tamen in cogitatione habet, núquã similiter iudicaret. SOCR. Quid porrò inquit censes aliquem apud sese cogitaturũ quinque & septem, non homines inquam, quinque & septem, nec aliud quicquam eiusmodi, sed ipsa quinque & septem quæ diximus ibi in effigie monumenta esse, & falsa in illis opinari posse neminem. Hæc inquam, si qui ita considerent secum, ipsi perquirẽtes quot sunt, nónne illorũ aliqui vndecim, aliqui duodecim iudicabũt? Aut omnes duodecim esse illa dicẽt, atque putabãt? TH. Non per Ioué, verùm plerique vndecim: & si quis maiori de numero quęrat, magis fallitur. Arbitror. n.te magis de omni numero dicere. SO. Rectè sentis. Animaduerte igitur, num & hoc accidat, hoc est, vt ipsa duodecim quæ in effigie sunt, vndecim esse quis putet. TH. Videtur. SOC. Nónne hoc ad superiora reuoluitur? qui enim id patitur quod nouit, aliud quidã quod similiter nouit esse censet, quod tanquã impossibile suprà respuimus. Et ex hoc ipso confiteri quélibet cogimus, falsam opinioné nõ esse, ne vnus atque idem eadem scire simul atque nescire cogatur. TH. Vera loqueris. SOC. Ex his iam constat opinionem falsam aliter esse definiendam, quàm cogitationis ad sensum permutationem. Nam si ita esset, nunquam in ipsis cogitatio-

gitationib. falleremur. Nunc autē vel nulla est opinio falsa: vel si qua est, quæ quis nouit, vt ignoret simul fieri potest. Vtrum potius eligis? THE. Ambiguā, ô Socrates, electionem proposuisti. SOC. Ambo quidem admittere ratio vetare videtur. Veruntamen audendum omnia. Quid si pudorem deponere audeamus? THE. Quo pacto. SOC. Ausi quid ipsum scire sit pronunciare. TH. Cur hoc impudens? SOC. Haud satis aduertisse videris, quod omnis nobis à principio sermo, inuestigatio scientiæ fuit, tanquam quid ipsa sit ignoraremus. THE. Teneo. SOCR. Nónne impudentis animi est, vt scientiam ignorantes, quid scire sit, ostendant? verùm, ô Theætete, iampridem à puritate disputandi longè vagamur. millies enim diximus hæc cognoscimus, non cognoscimus, scimus, nescimus, quasi aliquid inuicem intelligamus, cuius interim ignoremus scientiam. Ergo & nunc quoque, si placet, vocabulis istis vtamur, ignorare scilicet, & intelligere, vt illis vti conuenit, si quidem scientiæ expertes simus. THE. At quo pacto his sublatis, ô Socrates, disputare valeres? SOCR. Nullo, dum qualis sum, maneo: possem tamen quoquo modo, si contentiosus essem. Et nunc si quis talis adesset, abstinere ab his vocabulis profiteretur, & nos ab his quæ ipse narro, vehementer deterreret. Postquam verò simplices & ignaui sumus, vísne proferre audeā scire ipsum quale sit? Mihi enim operæpretium esse videtur. THE. Aude per Iouem. Nam his tibi vtenti veniam dabimus. SOC. Audistín' quid hoc tempore scire dicant esse? TH. Fortè, non tamen in præsentia memini. SOC. Scientiam habere, hoc esse dicunt. THE. Sic est.

* *Aliud est scientiã habere, aliud vti & possidere.*

SOC. Nos autẽ paulùm permutantes, sciẽtiam possidere dicamus. Quæres fortè, quónam hoc ab illo differat? nihilo forsitan. quod autem videtur mihi, id postquam audiueris, mecum examinato. TH. Modò possim SOC. Haud sanè possidere idẽ quod habere videtur: ceu si quis empta veste, iliã seruans, & cum vti arbitratu suo possit, non ferat, habere quidẽ illã minimè confiteremur, possidere verò. TH. Et rectè quidem. SOC. Vide prætereà vtrum fieri possit, vt qui scientiam similiter possideat, non habeat: perinde ac si quis syluestres aues siue columbas, siue quasuis alias venatus, auiario domi constructo nutriat, quodammodo habere semper illas dicetur, quia possidet. TH. Sanè. SOCR. Quodammodo verò non habere, sed potestatem illi quidem esse, cùm in columbario eas incluserit, quoties velit capere, & habere quamlibet ad votum ac rursus dimittere: & hoc illi licere facere, quotiescunque libuerit. TH. Ita est. SOC. Rursus quemadmodũ suprà in animis nescio quod figmẽtũ cereũ machinati sumus, ita & nunc in qualibet anima auiariũ quoddam omnis generis auium fabricemus: quarũ aliæ seorsim ab aliis discretis gregibus peruagentur, aliæ numero paucæ, nonnullæ solæ passim quocunque contigerit, volitent. TH. Fiat. quid tum posteà? SOCR. Hanc caueam [quandiu pueri sumus,] vacuam esse dicamus, loco verò auium scientias intelligamus: & quisquis scientiam nactus, hoc coercuit ambitu, hunc inuenisse didicisséque rem ipsam cuius scientia est, & hoc ipsum esse scire. TH. Esto. SOC. Deinde rursus quamcunque velit scientiam aucupari captámque habere, iterúmque dimittere: hęc

inquam

inquam, omnia quibus exprimenda nominibus sint, considera. nunquid eisdem quibus anteà, cùm acquisita duntaxat possidebantur, an aliis? Hinc fortè clarius me intelliges. Arithmeticam artem vocas? TH. Voco. SOC. Hãc suppone scientiarum omnis paris & imparis aucupium esse. TH. Suppono. SOC. Hac arte arithmeticus ipse scientias numerorum quasi mancipia quædam subiectas habet, & aliis tradit. TH. Prorsus. SOC. Eúmque qui tradit, docere dicimus: qui verò accipit, discere: & eum qui habet, ex eo quod in ipsa cauea possidet, scire. TH. Maximè. SOC. Quæ sequuntur diligenter animaduerte. Qui perfectus arithmeticus est, nónne omnes scit numeros? omniũ quippe numerorum in eius animo scientiæ insunt. TH. Nihil obstat. SOC. Nónne hic interdum vel secum ipse interna, vel externa quædam quæ numero cõstãt, dinumerat? TH. Quidni? SO. Numerare autem nihil aliud ponemus, quàm considerare quantus quisque sit numerus. TH. Nihil aliud certè. SOC. Quod ergo scit, tanquam nescius cõsiderare videtur, is quem scire omnem numerũ confessi sumus: audis dubitationes huiusmodi? TH. Equidem. SOC. Cùm columbarum possessioni & aucupio comparauerimus, duplex aucupium esse dicemus: vnum ante acquisitionem possidendi gratia: alterum postquam acquisiuit possiditque, gratia capiendi manúque tenendi illa ipsa quæ quis diu possedit. Atque ita quorũ iamprídem scientiis discendo præditus est, quæue anteà nouit, ea iterum discere potest, resumens cuiusque scientiam, & tenens: cogitatione scilicet, quam possidebat quidẽ anteà, in manu autẽ non habebat. TH. Vera narras.

SOC. Propterea paulò antè quærebam, quomodo, nominib eſt vtendũ, cùm de iis loquimur, vtputa quando arithmeticus numeraturus eſt, vel lecturus grãmaticus. Tunc.n. ſciens, iterum ſecum ipſe quæ ſcit, diſcere tentat. TH. At abſurdũ eſt hoc, ô Socrates. SOC. An fortè dicendum quæ neſcit, ea vel numerare, vel legere, cum ipſi iam literarum omnium vel numerorum intelligentiam tradiderimus? THE. Hoc quoque abſurdum. SOC. Vis ergo dicamus nihil curare nos quomodocunq; nominib ſciendi diſcendíque quiſque vtatur? Poſtquã verò determinauimus aliud quiddã eſſe ſcientiam poſſidere, aliud habere, quod quis poſſidet, ne poſſideat, fieri non poſſe dicimus. Quapropter nunquã accidit, vt aliquis quod ſcit, idẽ & neſciat. [a] Falſam tamẽ opinionem circa idipſum accipi poſſe. Nã accidere poteſt vt ſcientiã vnius pro alterius ſcientia capiamus, quãdo aliquis noſtrũm vnã quandam ex internis ſciẽtiis aucupans, pro illa aliã prẽuolantem deceptus apprehendit. Veluti cùm vndecim duodecim eſſe putat, ipſorum vndecim ſcientiã loco ſcientiæ ipſorũ duodecim, cùm vtraque intus maneat, capiens quaſi pro colũba palũbem. THE. Veriſimile id quidem. SOC. Cum verò quam affectat, apprehendit, tũc expertem eſſe mendacij, & ea quæ ſunt opinari dicendũ. Et hoc modo verã & falſam opinionem exiſtere, nihílque ex iis quæ nos ſuprà turbabant, impedimento nobis fortè mihi aſſentieris, an quid ages? TH. Aſſentiar. SOC. Iam diſcrimen illud euaſimus, quo neſcire aliquid quæ ſciunt, cogebãtur. Nam quæ poſſidemus, ne poſſideamus nõ accidit, neque ſi fallamur, neq; ſi verè iudicemus. Verũtamẽ aliud quidam

[a] *Alius falſæ opinionis modus proponitur, & examinatur.*

dam grauius mihi videtur. TH. Quídnam hoc? SOCR. Si scientiarũ commutatio, falsa fiat opinio. TH. Quî istuc? SOC. Primũ quidẽ, nónne valdè absurdum est, vt qui rei cuiusdã scientiam habet, eam ipsam ignoret, nõ ignorantia quidẽ, sed sua ipsius scientia? Deinde rem hanc aliã quandam, & contra illã hãc esse existimet, quomodo non præter rationẽ est, quòd præsente scientia animus cognoscat nihil, ignoret omnia? Enimuerò secundũ hãc rationẽ nihil prohibet, quin ignorantia præsens nosse quicquã efficiat, cæcitásq; videre si scientia ignorare quenquã effecerit. TH. Haud recte forsitan, ô Socrates, aues induximus, cùm solas in animo scientias poneremus: oportebátque insciticias quoque vnà cum scientiis in animo conuolantes inducere, & aucupantem hominem nonnunquã scientiam, sæpe insciam circa idẽ accipientẽ: cúmque in scientiã incurrit, vera opinantẽ: cum in ignorantiam, falsa. SOC. Difficile est te non laudare Theætete: quod tamen dixisti, iterum animaduerte. Esto. n. vt ais. Qui in ignorantiã incidet, falsa, vt ais, opinabitur: nónne? TH. Certè. SOC. Non tamen falsa se opinari putabit. TH. Non certè. SOC. Sed vera potius, & tanquam sciens afficietur ad illa in quibus errat. THE. Cur non? SOC. Et idcirco scientiam nactum se venando, non insciticiam arbitrabitur. THE. Patet. SOC. Iam longo quodam circuitu in primam rursus dubitationem relapsi sumus. quippe contentiosus redargutor ille subridens, dicet, Vtrum, ô boni viri, vtranque noscens aliquis scientiam & insciticiam, quam nouit, aliam quandam ab ea quam etiam nouit, esse censet? aut neutram noscens, quam non nouit, aliam

ab ea quã nec nouit? aut vnã cognoscens quidem, alteram minimè, quam nouit eam esse quam non nouit? vel contrà quam non nouit, eam esse quam nouit? Vel rursus mihi dicetis, scientiarum & inscitiarum scientias esse, quas qui possidet, in animis quibusdam ridiculis caueis siue cereis figmentis includens, quatenus possidet, scit, etiam si in promptu non habeat. Atque ita cogemini in infinitum circa idem reuolui, nihil proficientes. Quid ad hæc, ô Theætete, respondebimus? TH. Per Iouem, ô Socrates, quid respondendum sit, nescio. SOC. Nónne ratio nos, ô puer, rectè & increpat, & admonet, non rectè falsam opinionem prius quàm scientiam inuestigasse, & indiscussam scientiam reliquisse? impossibile autem est ista cognoscere, antequam sufficienter scientia definita sit. TH. Necessarium, ô Socrates, quod ais in præsentia asserere. SOCR. Quid ergo à principio rursus de scientia differemus? Nondum enim dicendo defessi sumus. TH. Non certè, si quidem ipse non renuis. SOC. Dic age, quo pacto eam definientes, nobisipsis minime aduersabimur? TH. Quemadmodum suprà cõtendimus, nihil enim aliud habeo. SOC. Quomodò suprà? TH. Veram opinionem scientiã esse volebam. Nam verè opinari procul est ab errore: & quę à vera opinione proficiscuntur, decora omnia bonáque sunt. SOCR. Quis ô Theætete, in transeundo flumine præit sequẽtibus cũ interrogant quàm alta sit aqua, ipsa se ostendet, inquit. Quòd si & nos ingressi perquiramus, forte impedimentũ ipsum quod quæritur, demonstrabit, manentibus nobis nihil patebit. TH. Probè loqueris, eamus iam quæsturi. SOCR. An non breuis inuestigatio-

nis

nis hoc est? Ars etenim vniuersa argumento nobis est scientiam id minimè esse. T H. Qua ratione? quæue hæc facultas? s o c. Eorum qui præ cæteris sapientes sunt, quos oratores & causidicos vocant. Hi siquidem arte sua persuadent, non docent. inducunt enim auditores, vt quæ ipsi cupiunt, opinentur. An tu aliquos adeò in docendo vehementes existimas, vt cũ latrociniis aliisque iniuriis nulli testes interfuerint, tamen commissorũ scelerũ veritatem ad aquam paucam doceant? T H. Nullo modo docere illos, sed persuadere puto. s o c. Persuadere autem, nónne idem asseris quod & opinionem inducere? T H. Idem prorsus. s o c. Nónne quando iudices iustè persuadentur in his quæ solus ille qui vidit, cognoscit, aliàs autẽ nequaquã, tunc ipsa ex auditu iudicantes, verámque opinionem nacti absque scientia, rectè iudicant ea in quibus persuasi sunt, si modò benè iudicant? T H. Omnino. s o. Si tamẽ idem esset, ô amice, opinio vera iudiciúmque & scientia, nunquam iudex ille summus absque scientia rectè opinaretur. Nunc autem vtrunque diuersum quiddam esse videtur. T H. Quod ab aliquo, ô Socrates, de scientia quondam audiui, oblitus eram, sed iam reminiscor. Inquit autẽ opinionẽ veram cũ ratione scientiam esse, sine ratione, expertem scientiæ: & quæ ratione carent, sciri non posse: quæ verò rationem habent, sciri. s o. Quàm præclarè loqueris! Sed hæc ipsa quæ sciri possunt, & quæ non, dic quomodo distinguat, vt videamus vtrum tu & ego similiter accepetimus. T H E. Inuenturúsne sim ignoro, fortè verò exponẽte alio quodam assequerer. s o c r. Audi igitur pro somnio somnium. ego quoque accepisse

a *Non idem sunt opinio vera, & scientia.*

b *An opinio vera cum ratione, sit scientia.*

Prima Elemẽta ex qui bus omnia cõponuntur oration em non admittunt.

à quibusdam mihi videor prima ipsa velut elementa ex quibus homines & alia componuntur orationem non admittere. Nam vnumquodque illorum secundum seipsum nominare licet, appellare verò aliquid aliud minimè, neque quod est, neque quod non est. Iã enim essentiam ipsi vel non essentiam adhiberi contingeret. Oportet autem nihil apponere, si quis illud ipsum solùm dicat. Etenim neque ipsum, neque illud, neque vnumquodque, neque solum, neque istud, neque cætera talia adhiberi volunt. Hæc enim circumcurrentia omnibus adhiberi, & alia quædam esse aiunt præter illud cui sunt adiecta. Oportere autem si quo modo posset ipsum dici, orationémque propriam admitteret, seorsum ab aliis omnibus ipsum dici. Nunc autem nullum ex primis oratione posse proferri. nihil enim aliud ipsi quàm nomen adesse, solúmque nomen habere. Quæ verò ex illis composita sunt, quemadmodum ipsa copulantur, sic & illorum nomina copulata orationem fieri. Nominum quippe copulationem orationis esse substantiam. Quocirca elementa sine oratione rationéue, & incognita esse, sensibus tamen percipienda: syllabas autem & cognosci & disci posse, & vera opinione comprehendi. Quando ergo absque ratione opinionem de aliquo veram aliquis adipiscitur, vera quidem de illo eius sentire animum ferunt, nosse verò nequaquam. Nam eum qui accipere & reddere rationem nequit, insciũ esse. Cùm verò rationem consequitur, hæc omnia cognoscere posse, perfectámque scientiam adipisci. Sicne & tu insomnium, an aliter audiui? TH. Sic omnino. SOCR. Num tibi id pla-

placet? & hoc pacto opinionem veram vnà cũ ratione scientiam asseris? THE. Et maximè quidem. SOCR. Sicne Theætete nos hodie id comprehendimus, quod olim sapientes quàm plurimi inuestigantes, antequam inuenirent consenuerunt? THE. Mihi quidem, ô Socrates, quod modò dictum est, bene dictum esse videtur. SOCR. Et meritò. nam quæ scientia absque oratione rectáque opinione vnquam esse poterit? Vnum tamen ex dictis mihi displicet. THE. Quod istud? SOCR. Quod sanè magnificentius dici videbatur, elementa cognosci posse, syllabarum autem genus cognosci non posse. THE. Nónne rectè? SOCR. Aduertendum profectò. Nam velut vades sermonis a exépla ipsa habemus, quibus ille vsus, hæc omnia dixit. THE. Quænam? SOCR. Literarum elementa & syllabas, an putas aliò intuentem, hæc dicere illum qui dicit quæ ipsi narramus? TH. Non ad alia certè, sed ad ista duntaxat. SOCR. Ea igitur recensentes examinemus. imò verò nosmetipsos, sicne an non sic literas didicimus? Respondeat ad hoc primum, an non syllabæ rationem definitionémque habent, elementa verò minimè? TH. Fortè. SOCR. Mihi quoque omnino videtur. Si quis ergo ita de prima Socratis syllaba percontetur, ô Theætete, dic quid est? Quid potissimum respondebis? TH. Quòd S. & O. SO. Habes ergo hãc syllabæ rationẽ. TH. Equidẽ. SO. Age, dic præterea ipsius S, rationem. TH. At quo pacto quis elemẽti elementa referre posset? Etenim ipsum S, ô Socrates, mutarum literarum sonus quidam est solùm lingua veluti sibilante: ipsius autem B, neq; vox, neque sonus, ita neque plurimorum elemen-

a *Exẽpla sũt obsides sermonis.*

torum. Quocirca rectè admodum absque ratione esse dicuntur, è quibus septem illa notissima vocem habent oration em verò nequaquã. SOC. Hoc itaque, ô amice circa scientiam rectè asseruimus. TH. Videmur. SOC. Quid verò cũ diximus elementum cognosci non posse, syllabam verò cognosci posse, nunquid rectè constituimus? TH. Probabile est. SOCR. Syllabam verò vtrum elementa vtraque esse dicimus? vel etiam si plura insint quàm duo, omnia esse? An potius ideam vnam ex ipsis compositis genitam? TH. Cuncta dicere mihi videmur. SOCR. Aspice igitur circa duo, S, & O, si vtraque prima mei nominis syllaba sunt, quisquis ipsam nouit, vtraque nosci t. THE. Quidni? SOC. Ergo S, & O, cognoscit. TH. Planè. SOCR. Quid porro, si vtrunque ignoret, & neutrum noscat ambóne cognoscet? TH. Et absurdum, & præter rationem hoc esset. SOCR. Veruntamen si necessarium est vtraque nosse, quandoquidem ambo quis nouerit, sequitur vt necesse sit eum elementa prænosse, qui syllabam quandoque sit cogniturus, atque ita nobis pulcher ille sermo effugiens elabetur. THE. Et repentè nimium. SOCR. Neque enim bene illum custodimus. Oportebat fortè syllabã non elementa ponere, sed vnam quandam ex illis *speciem constitutam, quæ ideam vnam suiipsius habeat & ab elementis differat. THE. Sic prorsus, ac forte hoc modo potius quàm illo se habet. SOC Quamobrem considerandum est diligenter, neque ita ignauè sermonem tã magnum: támque præclarum prodi decet. TH. Non profecto. SOCR. Esto igitur syllaba, vt modo dicebamus, * idea vna ex singulis congruentibus elementis, tam in literis, quàm in

in cæteris omnibus facta. T H. Prorsus. SOCR. Nunquid partes illius esse non oportet? T H. Cúrnam? SOCR. Quoniam cuiuscunque partes sunt, totum necesse est partes omnes existere. an totum vnam quandam speciem ex partib. factam vocas, ab omnibus partibus differentẽ? T H. Equidem. SOC. [a] Omne verò & totum idémne, an differens vtrunque vocas? T H E. Quanquam nihil habeo certi, tamen quia prõpte respondere iubes, periculum faciens aio differre. SOC. Promptitudo, ô Theætete, recta. vtrum verò & responsio recta. considerandũ. T H. Profectò. SOCR. Nónne secundum hunc sermonem totum & omne differunt? T H. Certè. SOC. [b] Quid porrò? omnia, & omne, num aliquo differunt? Veluti cũ dicimus, vnũ, duo, tria, quatuor, quinque, sex, vel bis tria, vel ter duo, aut quatuor ac duo, aut tria duóque & vnũ, aut quinque & vnum vtrum in his omnib. idem an aliud dicimus? T H. Idem penitus. SOC. Aliúdne quàm sex? T H. Nihil aliud. SOC. Nõne in vno quoque loquendi modo omnia sex inuenimus? T H. Ita. SOCR. Rursus autem non vnum aliquid dicimus, dum dicimus omnia? T H. Necesse est. SOCR. Num aliud quàm sex? T H. Nihil aliud. SOC. Ergo in his quæ numero constant, idem esse omne & omnia dicimus. T H. Sic apparet SOC. Sic vtique de ipsis dicamus: iugeri numerus, & iugerum idem, nónne? T H. Idem. SOC. Et stadij numerus stadiúmque similiter? T H. Et hoc. SO. Exercitus quoque ipsius numerus & exercitus ipse, cæteráque huiusmodi eodẽ pacto? Numerus enim omnis existẽs omne vnũquoq; illorũ est. T H. Sanè. SO. Singulorũ aũt numerus, nũ aliud est quã partes? T H. Nequaquã. SOC. Quæcunque

[a] *An omnẽ & totum idem.*

[b] *An omnia & omne, idem.*

igitur partes habent, ex partibus constat. TH. Apparet. SOCR. Omnes autem partes totum esse concessum est, siquidem omnis numerus omne est. TH. Ita est. SOCR. Totum itaque non constat ex partibus: omne enim esset, quandoquidem omnes essent partes. TH. Non videtur. SOCR. Pars id quod est, an est alterius quàm totius? TH. Ipsius vtique omnis. SOCR. Strenuè Theætete pugnas, ipsum omne nónne ex eo est omne quòd nihil deest? TH. Necesse. SOCR. Totum quoque nónne eadem ratione totum, quia nihil abest? Cui verò aliquid deest neque totum est, neque omne quod ex eodem idem simul fiat. TH. Videtur mihi nunc totum & omne nihil differre. SOCR. Nónne diximus cuius partes sint, totum, & omne, partes omnes esse? TH. Planè. SOCR. Rursus quòd paulò antè tentauimus, nónne si syllaba, elementa non est, necesse est eam non tanquam partes suas elementa habere? aut si eadem est cum illis, æquè ac illa cognosci non posse. TH. Ita certè. SOCR. Ne hoc accideret, aliud ipsam quàm illa posuimus. TH. Aliud. SOCR. Quid vero si elementa syllabæ partes non sunt, num alia quædam referre potes, quæ partes quidem syllabæ, neque tamen illius elementa sint? TH. Nunquam ego partes vocarem quæ elementa non sunt. Ridiculum quippe omissis elementis alia quærere. SOCR. [b] Omnino igitur secundum hanc rationem, ô Theætete vna quidem impartibilis idea syllaba esse videtur. TH. Videtur sanè. SOCR. Num recordaris amice, nos in superioribus admisisse, quod primorum, ex quibus alia componuntur, oratio non esset, ex eo quod ipsum secundum seipsum vnũ-

quod-

[a] *Quomodo totũ & omne nihil differre videantur.*

[b] *Syllaba vna quædam impartibilis idea esse videtur.*

quódque simpliciter existeret, neque ipsum esse de illo congruè dici posset, neque hoc, neque ita, quasi hæc extranea alienáque sint, & hanc ipsam causam obstare diximus, quó minus describi cognoscíque possit? TH. Memini. SOCR. Estne alia causa præter hanc, quæ vniforme, & impartibile aliquid ipsum faciat? Nam ego nullam aliam video. TH. Non videtur. SOCR. Nónne in idem cum illo syllaba quoque concurrit, quandoquidem species est, nec habet partes, sed idea vna est? TH. Maximè. SOCR. Si igitur multa elementa syllabæ est, & totum quiddam, eiúsque partes ista, símiliter & syllabæ & elementa cognosci descríbique possunt: quippe cùm partes omnes idem quod & totum esse constituerit. TH. Prorsus. SOCR. Sin autem vnum quiddam, & simplex, æquè syllaba atque elementum definitionis cognitionísque est expers. Eadem enim causa talia hæc efficiet. TH. Aliter asserere nequeo. SOCR. Eius ergo sermonem ne admittamus, qui dixerit syllabam quidem dici & cognosci posse, elementa verò nequaquam. THE. Non certè, si huic rationi credimus. SOCR. Quid si quis contraria dixerit, an non potius illa concederes, ex his quorum tibi ipsi in primis literarum rudimentis conscius extitisti? TH. Quænam ista? SOCR. Quòd nihil aliud discere studuisti, quàm elementa oculis autribúsque discernere, & singula secundum seipsa notare, ne illorum positio, vel cùm dicerentur, vel cũ scriberentur, te turbaret. TH. Vera narras. SO. Citharistæ verò artem perfectè didicisse, quid aliud est quàm vnumquenque tonum cuiusque chordæ dignoscere? Hæc enim elementa musicæ quælibet appellaret. TH. Nihil aliud.

SOCR. Cùm ergo elementorum,& syllabarum periti fuerimus,velimúsque ex his ad alia conjecturam facere, afferemus profectò genus elementorum clariorem principaliorémque intelligentiam continere quàm syllabam, ad singulas disciplinas absolutè percipiendas. Et si quis notam syllabam, elementum natura ignotum dixerit, vtro illum vel inuitum ludere putabimus. THE. Et maximè quidem. SOCR. Cæterùm aliæ quoque eiusdem rei demonstrationes sint, vt mihi videtur: propositi vero ne propter hæc obliuiscamur, quid scilicet de hoc iudicandum sit quod dicitur, rationem si cum opinione vera coeat, perfectam scientiam esse. TH. Inquirendum omnino. SOCR. Dic age,[a] quid λόγος nobis hic significet. Etribus enim vnum quiddam significare mihi videtur. THE. quibus? SOC. Primum esse arbitror cogitationem suam voce per verba nominá que exprimere, opinionem propriam in voce perinde ac in speculo & aqua monstrantem. Nónne tale quiddam oratio tibi esse videtur? TH. Mihi vero. SO. Eum qui hoc agit, loqui dicimus. Nónne hoc quisque facere potest? ostendere scilicet oculos aut tardius, quid sibi de singulis videatur? nisi fortè mutus vel surdus natura sit. Atque ita quicunque rectè aliquid opinantur, μετὰ λόγου opinari videntur. Ac nunquam recta opinio sine scientia erit. THE. Vera hæc sunt. SO. Ne igitur facilè condemnemus eum, qui scientiam quod nunc diximus affirmauit, quasi nihil dicat. Fortè enim non id volebat,sed vt interrogatus quid vnumquodque sit, respondere per elementa interrogan-

[a] *Græcis* λόγος *rationẽ, orationẽ, definitionẽ significat. vnde fuit Græca hîc voce vtendum.*

ti possit. THE. Quale id inquis, ô Socra-

tes,

tes? SOCRA. Quemadmodum Hesiodus de curru dicit: *Centum ligna currus sunt*, quæ quidem ego dicere haud possem, neque tu etiam vt opinor. sed satis nobis erit, si interroganti quid est currus, respondere poterimus, rotæ, axis, tabulæ, semicirculi, iugum. THE. Omnino quidem. SOCR. Ille autem fortè nos existimaret tanquam interrogatos de tuo nomine, respondentésque per syllabam ridendos esse, rectè quidem opinantes dicentésque quod dicimus, putantes autem grammaticos esse, & grammaticè habere ac dicere Theæteti nominis rationem, hoc autè non esse secundū scientiā loqui, antequā per elemēta cū opinione vera vnūquodque quis determinet, quēadmodum suprà dictū est. THE. Dictum procul dubio. SO. Sic vtique & de curru nos rectā opinionē habere. Eū verò qui centū illa percurrere potest, ipsius currus essentiam accipiens, rationem quoque vnā cum vera opinione cōpræhendisse: & pro opinante, artificiosum ac scientiæ compotem circa currus essentiam euasisse, per elementa totum determinantem. THE. Nónne bene tibi videtur, ô Socrates? SO. Si tibi, ô amice, videtur, ac approbas hunc per elementa circa vnumquodque discursum, rationem esse: eum autem qui per syllabas, aut maius quiddam fit, esse rationis expertem, volo mihi dicas, quo diligentius consideremus. THE. Approbo, & maximè quidem. SOCR. Num ita, vt existimes quemlibet cuiusuis scientem esse, quando vnum idémque nunc vnius eiusdémque, nunc alterius esse, ei videatur? Vel quando vnius & eiusdem nunc hoc, nunc illud esse opinatur? THE. Non per iouem. SOCRA. Num memoria excidit, in

discendis literis quòd tibi & aliis acciderunt hæc sæpe? TH. Solitóne dicis eiusdem syllabæ nunc hanc, nunc illam literam opinari? Eandémne literam aliàs in syllabam propriam, aliàs in alienam referre? SOCR. Hæc inquam. TH. Per iouem, nec oblitus sum, nec eos qui sic affecti sunt adhuc scire arbitror. SOCR. Quid verò? Si quis eo in tempore Theætetum scribens Th, & e, scribendum putet, scribátque: & rursus Theodorum scribere volens, Th, & e, scribendū putet & scribat, nunquid scire illū dicemus primam vestri nominis syllabam? TH. Paulò antè inter nos conuenit, eū qui sic institutus est, nondū scire. SO. Quid prohibet hoc idē aliquē circa secundā, tertiāmq; & quartam syllabam pati. TH. Nihil omnino. SOC. Nunquid tunc discursum per elementum habens Theætetum recta cum opinione scriber, quādo ordine suo scribet? TH. Absque dubio. SO. Nōne adhuc inscius, sed rectè opinatus, vt diximus? TH. Certè. SOCR. Et rationem habens cum opinione recta? nam discursum per elementum habens, scripsit, quam rationem esse consensimus. TH. Verum. SOCR. Est igitur, ô amice, quædam cum ratione opinio recta, quam scientiam appellare nondum decet. TH. Apparet. SOCR. Per somnium itaque vt videtur, diuites facti fuimus, dum verissimam scientiæ rationem habere consideremus. TH. Aut nondum vituperare debemus, fortè enim quispiam non ita λόγον definiat: sed reliquam è tribus speciem eligat, è quibus vnam quandam electurum diximus illum, qui scientiam esse opinionem rectam cum ratione asseuerabat. SOCR. Opportunè admonuisti. Adhuc enim species vna restat: [b]prima quidem

[a] *Est quædā opinio recta cum ratione quæ non est scientia.*

[b] *Tres λόγου species.*

dem erat tanquam simulachrum cogitationis in voce, secunda verò ad totum per elementa processus. THE. Tertiam autem quid dicis? SO. Quod & plurimi dicerent, posse videlicet quandam veluti notam afferre, qua ab aliis omnibus id de quo agitur differat. TH. Quam mihi, cuiusue notam, λόγον à te nunc dictum, dicere potes? SO. Vt ecce de sole, si velis, approbabis arbitror, quòd luce præcellit omnib. quæ circa terram in cœlo voluuntur. THE. Omnino. SO. Accipe cuius gratia hoc est dictum. Est autem quod modò referebamus. a Si differentiam cuiusque accipias qua ab aliis est distinctum definitionem vt quidam tradunt. acceperis: quàdiu verò commune aliquod attigeris, de illis tibi sermo ac λόγος erit. quorum communitas est. TH. Intelligo, ac recte huiusmodi quiddam rationem vocari existimo. SO. Qui autem cum recta opinione differentiam qua quodque à quocunque seiungitur, accipit, idipsum deinde sciet, quod prius opinabatur. TH. Consentaneum est. SO. Nunc demum, ô Thæætete, cùm primùm ad hanc quasi quàdam adumbrationem propius accesserim, nihil omnino me in his intelligere animaduerto. Quousque verò eminus prospiciebam dici mihi aliquid videbatur. TH. Quamobrē? SOCR. Dicam si potero. Rectam equidem de te opinionem habens, si tuam præterea definitionem accipio, te cognosco: alioqui duntaxat opinor. THE. Ita est. SOC. b Definitio autē differentiæ tuæ interpretatio erat. TH. Erat certè. SO. Quando igitur opinabar solùm, nihil eorum quibus es distinctus ab aliis, cogitatione percipiebam. TH. Nihil vt videtur. SO. Communia ergo quædam attendebam, è qui-

a *Differentiam potissimum definitionem constituit.*

b *Definitio est velut interpretatio quædam differentiæ.*

bus nihil tu magis quàm alius quiuis habes. TH. Necessariò sequitur. SOCR. Dic age per Iouem quo pacto tunc potius te quàm alium quemlibet opinabar? Pone vtique ita me cogitantem, Theætetum esse illum, qui & homo est,& nares,& os,& oculos habet,similitérque reliqua membra. Num cogitatio ista efficit,vt Theætetum potius quàm Theodorũ animad-
* Vide Erasmũ in adag. uertam,vel (quod dici solet) * Mysorum vltimum? TH. Quinam? SOC. Si verò non solum habentem nares, & oculos cogitem, sed & simũ nasum,& prominentes oculos,nihilo magis iterum te quàm me ipsum,& alios quicunque tales sunt,opinabor. TH. Æquè sanè. SO. At verò non prius Theætetum, vt arbitror,opinabor, quàm figuram hanc simam, ab aliis quascunque vidi simis figuris,per aliquod momentum illius proprium impressam mihi distinguam, aliáque similiter, ex quibus tu consistis: quæ quidem me eras etiam si in te incidero,admonebit, & rectè de te opinari faciet. TH. Vera loqueris. SO. Ergo circa differentiam proptiam, recta de vnoquoque versatur opinio. TH. Apparet. SO. Quid deinde igitur erit, si vnà cum recta opinione definitionem quoque assumamus? Ridiculum enim præceptum est, si qua ab aliis differat quicquam, opinari iubet. TH. Quomodo. SO. De quibus, quatenus ab aliis differant, rectè opinamur,de iisdem quatenus ab aliis differãt, rectè opinionem assumere iubet. Atque ita oratio tua erit aut scuticæ,aut pistilli, aut cuiusuis circunuolutioni similis, ad hoc autem præceptum nihil prorsus dicit. Cæci nanque præceptum rectius vocetur. Quoniã iubere vt quę habemus accipiamus,ad ea quæ opinamur discen-

discenda, cæci hominis mandatum esse videtur. TH. Dic age quid modò quærebas? SO. Si dum rationem, ô puer, accipere præcepit, nosse præcipit, non autem differentiam opinari, dulcis sanè res esset ratio, & omnium quę ad scientiam pertinent pulcherrima. nosse enim, accipere scientiam est. TH. Est profectò. SO. Interrogatus itaque quid scientia sit, respondet eam esse opinionem rectam cũ scientia differentiæ. Rationis enim assumptio secundum illum hoc esset. TH. Videtur. SO. Omnino fatuum hoc est, scientiã nobis quærentibus, opinionem rectam cum scientia discere, siue differentiæ, siue cuiuscũque alterius scientia sit. Neque sensus igitur, ô Theætete, neque opinio vera, neque cum opinione vera assumpta ratio scientia est. TH. Non vt videtur. SO. Nunquid fœtus in nobis alius circa scientiam, ô amice, restat? an omnia iam peperimus? TH. Per Iouem plura quàm in me haberem, educente te protuli. SO. Nónne cuncta nobis hæc ars obstetricia, vana, educationéque indigna nata fuisse ostẽdit? TH. Omnino quidem. SO. Si igitur aliorum deinceps plenum fœcundúmque te fieri contendes, prægnánsque euades, melioribus plenus eris propter præsentem discussionem. quòd si fortè vacuus sterilisque manes, minus certè molestus familiatib. eris & moderatior & mitior, nequaquam quæ nescis scire te putans. Tantùm quidem ars mea, nec aliud præterea quicquam potest: nec ea noui quæ alii multi, quicunque magni atque mirandi viri & sunt, & fuerunt. Hanc verò obstetriciã facultatem ego ac mater mea à deo sortiti sumus, illa quidem circa fœminas, ego autem circa adolescentes

ingentuos atque honestos. Sed nunciam eundum mihi est in Regis porticum : Nam Melitus in iudicium me vocauit, Cras summo mane, ô Theodore, huc redibimus.

IO PLATONIS, VEL, DE FVRORE poetico.

Marsilii Ficini Argumentum.

PLATO noster optime Laurenti, furorē in Phædro, mentis alienationem definit. Alienationis autem duo genera tradit. Vnam ab humanis morbis. Alteram à Deo prouenientem. Insaniam illā, hanc diuinum furorem nuncupat. Insania, infra hominis speciem homo deiicitur, & ex homine brutum quodammodo redditur. Diuino furore supra hominis naturam erigitur, & in Deum transit. Est autem furor diuinus, illustratio rationalis animæ, per quam Deus animam à superis delapsam ad infera, ab inferis ad supera retrahit. Quatuor ergo species diuini furoris existunt, primus quidem poeticus furor : alter mysterialis : tertius vaticinium : quartus amatorius affectus. Est autem poesis à Musis, mysterium a Dionysio, vaticinium ab Apolline, amor à Venere. Hæc quatuor furorum genera sunt, de quibus generatim in Phædro Plato disputat, propriè verò de furore postremo, id est amore, in Sympolio : de primo, hoc est furore poetico, in præsenti dialogo qui Io inscribitur : quem in Phædro ita definit: Poeticus furor, est occupatio quædam a Musis, quæ sortita lenem & insuperabilem animam excitat, eamque atque exagitat per cantilenas aliásque poesim,

sim: ad genus hominum instruendum. Occupatio significat raptum animæ & conuersionem in Musarum numina. Lenem dicit, quasi agilem à Musis & formabilem: nisi enim præparata sit, non occupatur. Insuperabilem, quia postquam rapta est, superat omnia, & à nulla rerum inferiorum inquinari, vel superari potest. Excusciat è somno corpora ad vigiliam mentis, ex ignorantiæ tenebris ad lucem, ex morte ad vitam, ex obliuione lethæa ad diuinorum reminiscentiam reuocat, exagitat, stimulat, & inflammat ad ea quæ contemplatur & præsagit carminibus exprimenda. Post definitionem addit, eum qui sine furore Musarum poeticas ad fores accedit, inanem esse ipsum atque eius poesim, quasi tanti sit poesis, vt absque summo Dei fauore comparari nequeat. Eadem in Ione hoc tradit, & vnde sit hic furor, & per quot descendat gradus edocet. Inquit autem in libro quarto de legibus Plato, Deum fortunam & artem humana omnia gubernare. Quò fit vt poesis vel Dei donum sit, vel fortunæ fors, vel artis opus. Quid istorum potissimum verum sit, Socrates cum Ione rhapsodo perquirit. Rhapsodus autem hoc in libro significat recitatorem interpretémque, & cantorem carminum. Interpretabatur Io Homeri carmina, & coram populo ad lyrã canebat, atque ita erat affectus, vt alium poetam nullum præter Homerum exponeret, etiam si eadem quæ Homerus facilitate referret. Homeri autem omnia celeriter explicabat. Unde sic argumentatus est, Aut casu profert Io quæ scribit Homerus, aut arte, aut afflatu diuino. Non casu, quia non omnia sed pauca quædã, & absque continuatione ordinéque interpretaretur. Nã arte, quia quisquis artẽ integram habet, quicquid eidẽ arti subiectũ est, iudicat. Eidẽ verò studio poetico subiecta sunt Hesiodi aliorũque poemata, cui Homeri, præsertim quæ de eisdẽ tractãt,

Quid rhapsodus.

quæ tamen Io,nõ percipit, cùm Homerũ perfectè exponat. Ergo non arte iudicat. Restat vt inspiratione diuina. Ex quo patet quòd interpres poetæ Io,& alii multi qui similiter affecti sunt,diuino instinctu alienam poesim interpretantur. Quòd si ad percipiẽdam poesim iam traditam humanum ingenium non sufficit, multò minus ad inuentionem sufficiet. Quare nec Homerus, nec alius quisquam reuera poeta absq; cœlesti afflatu poesim consecuti sunt. Quod & alio modo Socrates hic ostendit. Primò sic, Omnes artes & scientias poetæ tradunt, sed omnes didicisse humano studio impossibile est, cùm vnicam ex parte percipere sit difficillimum. Non igitur arte humana sed diuina quadam inspiratione proferunt. Cuius rei argumentum est, quod plerique vates, postquam furoris remissus est impetus, quæ scripserunt, non statim intelligunt, cùm tamen rectè de singulis artibus in furore tractauerint, quòd singuli illarum opifices legendo diiudicant. Præterea sæpe videmus rudẽ hominem, & ineptum subitò in poetã bonũ euadere & aliquid magnificum diuinúmque cantare. Magna verò in momento assequi, non humani ingenii est, sed diuinitus inspirari. Qua in re perspicuè Deus ostendit, nutu suo intelligentiam hanc infundi. Vtque ita esse demonstret, sæpe ineptos quosdã potius quã vbanos, insanos potius quàm prudẽtes rapit, ne si acutu prudentibus & viris adhæc vteretur humana subtilitate & industria fieri hæc existimarentur. Cùm ergo non sit à fortuna, nec ab arte poesis, à Deo, & à Musis tribuitur. Cùm Deũ dicit, Apollinem significat: cùm Musas, sphærarum mundi animas. Iupiter quidem mens dei est ab hac Apollo, mens animæ mundi, & anima totius mundi, octóq; sphærarum cœlestium animæ. quæ nouem animæ nouem Musæ vocantur, quia dum cœlos harmonicè mouent, musicam pariũt melodiã: quæ in nouẽ distributa sonorũ scilicet

licet sphærarum tonos, & vnum omnium concentum, nouem Sirenes Deo canentes producit.

SOCRATES, IO.

IONEM saluere iubeo. Vnde nũc ad nos aduenisti? Nunquid ex Epheso patria venis? IO. Nullo pacto, ô Socrates, sed ex Epidauro ab Asclepiciis. SO. Nũquid & rhapsodorum, id est, eorum, qui poetarũ carmina recitant, certamen Epidaurii Deo instituerunt? IO. Nõ in his solùm, sed in alio quoque genere musicæ. SO. Quid igitur, non tu nobis istic decertasti, & quomodo certasti? IO. Prima, ô Socrates, certaminum præmia retulimus. SO. Probè inquis Agevt in Palladis etiã celebratione victoriã consequamur. IO. Fient hæc quidẽ, si deus voluerit. SO. Etenim, ô Io, artem vestrã semper plurimi feci, quòd & arti vestræ cõueniat vt ornetis corpus, & quã pulcherrimi semper appareatis, tũ quòd oporteat in plurimis atq; bonis poetis, in Homero præcipuè poetarũ omniũ optimo diuinissimóque assiduè versari, neq; carmina illius solùm, verumetiam sensa perdiscere. [a] Nunquam enim aliquis in rhapsodũ euaderet, nisi ea quæ à poeta dicta sunt intellexerit. Nã poetæ mentẽ interpretari rhapsodũ apud auditores oportet: quod quidẽ rectè fieri nequit, si quis poetę sententiã ignorarit. Hæc verò oia digna [in quib. opera & studiũ ponatur.] IO. Vera dicis, ô Socrates: atq; ego quidẽ in hoc plurimũ elaborauí. præclarissima sanè præ cæteris de Homero me explicaturum profiteor, vt neque Metrodorus Lãpsacenus, neq; Stesimbrotus Thasius,

[a] *Rhapsodi boni officiũ.*

neque Glauco, neque aliquis vnquam veterum tot támque præclara Homeri sensa quot ego, exponere queat. SOC. Rectè, ô Io. Constat enim quòd nulla inuidia prohibebit quin hæc mihi aperias. IO. Et auditu sanè dignum est, ô Socrates, quàm vehementer Homerum exornarim. Vnde æquum esse censeo vt ab illis qui Homeri studiosi sunt, corona aurea coroner. SOC. Otium profectò te audiendi quandoque nanciscar: nunc autem ad hoc vnum mihi responde, vtrum circa Homerum solùm, an etiam circa Hesiodum & Archilochum id possis. IO. Nequaquam, sed circa Homerum solum. satis enim mihi esse videtur. SO. Súntne aliqua de quibus Homerus & Hesiodus eadem referant? IO. Ac multa quidem esse arbitror. SOC. Vtrũ melius ea quæ dicit Homerus, an quę dicit Hesiodus explicares? IO. Æquè de vtrisque, ô Socrates, in illis rebus in quibus eadẽ referunt. SOC. Quid autẽ in his de quibus non eadem dicunt? vtputa de vaticinio Homerus atque Hesiodus verba faciunt. IO. Et maximè quidem. SOCR. Et in quo poetæ isti consentiunt, & discrepant, quando de vaticinio loquuntur, vtrum ipse melius quàm peritus vates aliquis explicares? IO. Vates melius. SOC. Si autem vates esses, non illa tantùm in quibus conueniunt, verùm etiam in quibus dissentiunt, exponere posses? IO. Patet. SOC. Quid porrò? num circa Homerum vehemens facundúsque es? circa Hesiodum aliósque poetas minimè? An Homerus de aliis rebus agit quàm de iis quæ & alij poetæ tractant? a Nonne multa quæ ad bellum, & quæ ad consuetudines bonorum inuicem, malorúmque, priuatorum atque opificum attinent, enarrauit?

a *Quæ in Homeri poesi potissimum continentur.*

Et de

Et de diis quemadmodum secum inuicem, & cum hominibus versantur, déque [casibus] cœlestibus: itē & de iis quę apud inferos sunt? tum deorum & heroum generationes cecinit? Nónne circa hæc omnis Homeri poesis versatur? IO. Vera, ô Socrates, loqueris. SOCR. Nónne eadem cæteri poetæ decantant? IO. Eadem certè, sed non ita cæteri vt Homerus SOC. An forte deterius? IO. Multò deterius. SOC. Melius ergo Homerus? IO. Melius certè. SOC. O Io, lepidum caput, quum multi de numero verba faciunt, & eorum aliquis rectè dicit nónne potest quispiā ea in re bene dicentem nosse? IO. Potest. SOCR. Nunquid ille ipse, qui malè dicentem nosci t an alius? IO. Ipse idem. SOC. An non hic est qui arithmetica arte est præditus? IO. Profectò. SOC. Cùm multi de cibis, quales salubres sint, loquuntur, & aliquis rectè ea de re loquitur, vtrum alius quidam bene dicentem quòd rectè, alius malè dicentem quòd malè dicat, animaduertet? an vnus, & idem? IO. Idem proculdubio. SOC. Quis hic? quod illi nomen? IO. Medicus. SOC. a Nónne summatim dicimus, cùm plures eadem de re loquuntur, quòd vnus atque idem tam illum qui malè, quàm illum qui bene loquitur internoscet: & nisi eum qui in eadem re aberrat, cognouerit, nunquam eum qui rectè sentit agnoscet? IO. Profectò. SOC. An non ipse idem in vtrisque peritus est? IO. Prorsus. SOC. Homerum atque aliós poetas, è quorum numero est Hesiodus, & Archilochus, eadem referre asseris? non tamen eodem modo, sed melius Homerum, alios autem deterius? IO. Et vera loquor. SO. Si illum qui bene

a *Eiusdē est iudicare, quid in vna quaque re benè vel malè dicatur.*

dicit cognoscis,eos qui malè dicunt, quòd errent intelligis. IO. Conueniunt. SOC. Si ergo dicamus,ô vir opime, Ionē circa Homerum aliósque poetas similiter peritum essè, nequaquam errabimus:quandoquidem ipse iudicem eundem idoneum essè circa omnes illos qui eadem in re versantur, confitetur,poetas verò penè omnes eadem effingere. IO. Quamobrem igitur, ô Socrates, cùm de alio poeta quispiam dissérit, neque mentem adhibeo,neque quicquam existimatione dignum dicere possum,sed oscito protinus atq; torpeo: postquam verò Homeri quis mentionem fecerit, confestim excitor atque mentē adhibeo, succeditque quicquid instituo. SO. Nequaquam arduum est,ô amice, huius causam coniectare. Constat enim quòd neque arte, neque scientia de Homero scitè loqui potes. Nam si arte, de aliis omnibus poetis similiter loqui valeres, poesis enim totū est. nónne? IO. Est certè. SO. Nónne postquam aliquis aliam quamuis artē integram cōparauit, æquè de omnib. quæ sub arte sunt iudicat? Eadē quippe de omnib. artibus considerandi ratio est. Vis tibi referā qua ratione id dicam? IO. Opto per Iouem, ô Socrates. Nam quoties vos sapientes illos audini, miro quodam gaudio statim afficior. SOC. Verùm,ô Io vera diceres. Verùm sapiētes vos rhapsodi & histriones estis, & illi quorū vos poemata decantatis.ego autē nihil præter veritatē loquor, [quomodo illa cadit in imperitū aliquē,& vnū de vulgo hominē.]Nam id de quopiam lò antè percōtabar, intuere quàm leue sit, & facile cognitu: adeò vt quiuis quod narrabam,percipere possit,eandē per cætera essè cōsiderationem, si quis artem sibi integram cō-

parauit,

parauit. Explicauisa, nunquid pingendi ars totum quiddam est? IO. Est. Nónne pictores multi, partim boni, partim mali, & sunt & fuerunt? IO. Certè. SOC. Vidistíne aliquem qui & ea quæ rectè, & quæ non rectè a Polygnotus Aglaophontis filius pinxit, sufficienter ostendere potuit: quæ verò pictores alij nõ potuit: & si quis aliorum pictorum opus ostenderit, obdormiat, neque facultas illi ad dicendum aliquid coniiciendúmque suppetat: cũ verò de Polygnoto, vel de vno quouis pictore sit iudicandũ, expergiscatur, & mentẽ adhibeat, & facultatẽ dicendi habeat? IO. Non per louem. SO. Quid in fabris statuariis? vidisti quenquã qui ea quæ b Dædalus Metionius, aut Epius Panopei filius, aut Theodorus Samius, vel alius quis piam statuarũ faber, bene est machinatus, exponere valeat, in aliorum verò sculptorum operibus torpeat atque obmutescat? IO. Per Iouem nunquam virum talem reperi. SO. Atqui nec in tibiarum flatu vt arbitror, nec in pulsu citharæ, nec in illo ad citharam cantu, neque in rhapsodia virum intuitus es, qui Olympi opera, vel Thamyræ, vel Orphei, aut Ithacensis Phemij rhapsodi exprimere possit, in operibus verò Ionis Ephesij deficiat, neque percipere conferréque possit, quæ bene, & quæ contrà modulatur. IO. Quid in hoc tibi contradicam non habeo, sed tamen mihi ipsi conscius sum, me præ cæteris hominibus pulcherrima de Homero referre, neque deesse mihi dicendi copiã: alios verò omnes hac in re me laudare, in cæteris verò nequaquã. Tu verò quidnã hoc sit vide. SOC. Video, ô Io, & quod mihi id esse videtur, tibi aperire incipiã. Vt bene de Homero loquaris, ars tibi non præstat, vt modò dice-

a *Polygnotus insignis pictor.*

b *Statuarij insignes.*

bam, sed diuina vis est quæ te mouet, sicut in lapide quem [a] Magnetem Euripides nominauit, nonnulli Heraclium vocant. Qui lapis non solùm ferreos anulos trahit, sed vim etiã anulis ipsis infundit, qua hoc idem efficere possint, ac perinde vt lapis, alios anulos trahere. Vnde longa plerunque concatenatio ferri, & anulorum inuicem pendet, & omnibus his ex illo lapide vis attrahitur. Ita ipsa Musa poetas diuino instinctu cõcitat, poetæ conciti alios furore corripiunt. Quare ex his omnibus series ipsa cõtexitur. [b] Omnes itaq; [c] epici poetę boni nõ arte, sed diuino afflatu capti, omnia ista præclara poemata dicũt & melici boni similiter: nã vt Corybantes non sana mente saltant, ita melici poetæ egregij non sana mente hos cantus effingunt: sed vbi in harmoniã & rythmũ insurgunt, & rapti bacchantur, quẽadmodum bacchantes fœminæ, mente non sana, mel & lac ex fluminibus hauriunt, sana autem mente haurire nequeunt, ídque tum efficit melicorum animus, quod ipsi narrant. Aiunt enim nobis poetę, quòd è fontibus quibus mel scaturit, haurientes, & à Musarum vitidariis collibúsque decerpentes carmina ad nos afferant, quemadmodum mel ex floribus apes, & instar apum volare se dicunt. Qua in re vera loquuntur. Res enim leuis, volatilis, atq; sacra poeta est, neque canere prius potest quàm deo plenus, & extra se positus, & à mente alienatus sit. Nam quandiu mente quis valet, neque fingere carmina, neque dare oracula quisquam potest. Non arte igitur aliqua hæc præclara canunt, quæ tu de Homero refers, sed sorte diuina, id quisque rectè efficere potest, ad quod Musa quempiã incitauit. [d] Hic Dithyrambos, ille

[a] *Magnes lapis, idem qui Heraclius.*

[b] *Poesis non constat arte sed tota est ex diuino afflatu.*

[c] *Epici & melici poetæ.*

[d] *Varia carminum genera.*

ille laudes alicuius viri illustris, hic Hyporche
mata choreásque, alius carmina heroica, alius
itē iambos canit. Ad cætera verò illorū quisq;
rudis, & ineptus est. Non enim arte, sed diuina
vi hæc dicunt. Nam si de vno quoquam horū
per artem rectè loqui scirent, de cæteris quo-
que omnibus idem possent. Ob hanc vero cau-
sam Deus illis mentem auferens, ipsis tanquam
ministris vtitur oraculorúmque nunciis, & di
uinis vatibus, vt nos qui audimus, percipiamus
non eos esse qui tam digna referunt, cùm suæ
mentis compotes minimè sint, sed hæc deum
loqui, & per hos nobis hæc inclamare. Huic
autem rei euidentissimo argumento esse po-
test Tynichus Chalcidensis, qui anteà poemata
nullū memoria dignum cōposuerat: hymnum
autē in Apollinē quem omnes cantant, omniū
fermè cantilenarum pulcherrimum, Musarum
inspiratione inuenisse se dicit. In hoc maximè
deus ostendisse videtur nobis dubitandum
non esse, quin præclara hæc poemata, diuina
deorúmque potius quàm humana hominúm-
que sint opera. a Poetæ autem nihil aliud sint,
quàm deorū interpretes, dum sunt furore cor-
repti, à quocunque tandē numine quis corri-
piatur. Quod quidem deus ostendere volens,
de industria per ineptissimum poetā, pulcher-
rimum cecinit carmen. An non vera tibi refer
re videor? Io. Mihi certè per Iouem. Atque a-
nimum meū his sermonibus Socrates demul-
ces, & afficis. Ac diuina quadā sorte à diis poe-
tę insignes hæc nobis interpretari videtur. So.
Nónne vos b rhapsodi poetarum scripta inter-
pretamini? Io. Vera narras. So. An nō interpre-
tū interpretes estis? Io. Sumus. So. Animaduerte
quid velim, & hoc mihi respōde, ô Io, neq; id

a *Poetæ deorum interpretes.*

b *Rhapsodi interpretes poetarum.*

de quo te interrogabo, mihi occultaueris. Cùm apte carmina refers, & stupore perculsos reddis spectantes, siue dum Vlyssem in limen insilientem cantas, & procis palàm se ostendentem, atque sagittas ante pedes effundentem, siue Achillem impetum in Hectora facientem, seu dum miserabile quiddam, & querulũ circa Andromachen, vel Hecubam, vel Priamũ profers, vtrum tunc mentis es compos? an à mente alienatus? & rebus gestis quas refers afflatus, animus interesse illis se cogitat, siue in Ithaca, siue apud Troiam sint gesta, seu quocũque aliò te carmina rapiant? IO. Perspicuam mihi coniecturam, ô Socrates: attulisti, neque id occultaturus tibi recensebo. Quoties enim miserabile quicquam dico, lachrymis implentur oculi. Cùm aliquid terribile, aut vehemẽs, rectæ propter terrorem comę eriguntur, & cor salit. SOC. Nunquid mentis compotem eum virum tunc esse asserimus, qui in sacrificiis & celebrationibus pulchra veste aureisque coronis ornatus ploret, cùm nihil horum amiserit? aut nimis trepidet is, qui inter viginti millia hominum sibi amicorum sit constitutus, nemine eũ vel exuente, vel iniuria afficiente. IO. Non per Iouem, ô Socrates, si vera fateri velimus. SOC. Nónne spectantium multitudinem iisdem his rebus afficitis? IO. Sanè plurimùm: atque aspicio semper supernè, ab ipso suggesto, & flentes, & toruum tuentes, atque his quæ narrantur, stupefactos. Et oportet me valde mentem iis adhibere. Nam si lachrymas excutiam, ipse argentum suscipiens, rideo. sinautem risum illis moueam, ipse argentũ amittens, flebo. SOC. Videtne spectatorem esse anulorum extremum, illorum inquã, quos sub

Odyss. χ.

Iliad χ.

magnete

magnete lapide vim inuicem suscipere referebam? Medius autē es [a] tu recitator, & mimus: primus autem est ipse poeta: deus verò per omnes istos hominū animū quocunque vult, trahit, dū inuicem vim suspendit, & traiicit: ex quo velut ex illo lapide series longa dependet, qua è latere gradatim nectūtur hi qui in choro saltant, & præceptores & sub-præceptores, huiúsve catenæ à Musa anuli suspendūtur. Poetarū autem hic ex alia, ille rursus ex alia musa suspēditur. Vocamus autē id nos mente capi, quod quidē illi proximū est. Nā ab his vtique primis anulis qui poetæ sunt, alij rursus ab aliis corripiūtur, diuiníque fiunt: nonnulli ab Orpheo, à Musæo alij: nec pauci ab Homero occupantur, atque tenentur, quorum, ô Io, vnus es qui ab Homero furore correptus es. Et si quis scripta alterius poetæ cæcinerit, obdormiscis, atque tibi dicendi deest facultas: si quis verò huius poetæ decantauerit carmen confestim excitaris, animus salit, & dicendi facultas supperit tibi, non enim arte neque scientia, sed diuina quadā sorte, & mentis occupatione, ea quæ de Homero dicis, recensēs. Et quēadmodū [b] Corybantes illā dūtaxat melodiam acutè sentiunt, quę illius Dei est à quo rapiuntur, ad eúmque concentum decentibus verbis & figuris abundant, alios verò cōtemnunt: ita & tu, ô Io, si quis Homeri mentionem feceris, es in dicendo facundus, in aliis verò tibi copia deest. Eius itaque quod quærebas quamobrem circa Homerum copiosus es, circa alios deficis, hæc est causa, quoniā nō arte, sed diuina sorte præstās es Homeri laudator. 1 o. Rectè dicis, ô Socrates: admirarer tamen si tam acutè differeres, vt mihi

[a] *Rhapsodus & mimus Græcè ὑποκριτὴς pro eodem.*

[b] *Corybantes.*

prorsus persuaderes me [lymphatũ esse & furere quũ Homeri laudes celebro:] neq; enim furẽs vt arbitror tibi viderer, si me de Homero verba facientẽ audires s o c. Atqui audire volo, neq; tamen prius quàm mihi respõderis. Ex iis de quib. Homerus dicit, de quo bene dicis? nõ enim de omnib. 1 o. [Imò illud scito ô Socrates nihil esse de quo ego nõ possim bene dicere.] s o c. Nõ tamẽ ea bene tractas, quæ tu quidem ignoras, Homerus autem scribit. 1 o. Quænam ista sunt, quæ Homerus quidẽ narrat, ego autem nescio? s o c. Nónne sæpenumerò multa de artibus explicat? Velut de aurigaria disciplina si meminero, illius carmina tibi recitabo, 1 o. At ego referã: memini enim. s o. Dic mihi quæ mandat Nestor Antilocho filio, cùm illũ monet vt in equestri cursu, gratia Patrocli instituto, cautè flectat equos. 1 o.

Ilaid. ψ.

Declina ad lauam paulùm, dextrumq; iugalem
Verge plagis minitãs, manibus quoq; lora remitte.
Cumq; metã attigeris, flectatur lævus in arcum,
Donec ad extremum circuli perveneris axis
Vltimus, ac medium vita, ne tangito saxum.

s o c. Sufficiunt hæc, ô Io. Recténe an contrà in his carminibus Homerus loquatur, vtrum melius medicus, an auriga perciperet? 1 o. Auriga proculdubio. s o. Vtrum arte hoc iudiciũ fiat, an alio quopiam? 1 o. Non alio certè quàm arte. s o c. Nónne cuique arti facultas à deo tribuitur, certi cuiusdã operis iudicandi? neq; enim ea quæ gubernatoria arte cognoscimus, medicina quoque percipiemus. 1 o. Non certè. s o c. Neq; etiam quæ medicina perspicimus, architectura animaduertemus. 1 o. Non sanè. s o c. An non similiter in omnibus artibus quæ vna quadam arte comprehendimus, alia minimè

minimè cõprehendemus? Sed hoc prius mihi respondé. Aliã & aliã artẽ esse asseris? 1 o. Assero. s o. Nunquid eadẽ tu qua ego cõiectura artes discernis? Nam ipse quidẽ quũ hæc aliarum, illa aliarũ rerum scientia est, hanc quidẽ aliam, illam aliam artem voco. Tu verò? 1 o. Et ego. s o c. Si enim eisdem de rebus scientia esset, cur hanc, aliam & illam aliam vocaremus? quandoquidem eadem ab vtrisque cognoscerentur. Quemadmodum à me percipitur quinque esse hos digitos, & tu sicuti ego hoc idem animaduertis. Vnde si te rogarem, vtrum eadem arte arithmetica, an alia hæc eadem cognoscamus, responderes vtiquè quòd eadem. 1 o. Certè. s o c. Dic quod paulò antè interrogaueram, vtrum secundum omnes artes videatur tibi dicendum quod eadem arte, eadem cognosci necessarium sit, alia verò arte non eadem, sed alia quædam, quandoquidem ars alia ipsa est. 1 o. Ita mihi videtur, ô Socrates. s o c. Si quis artem aliquam assequutus non fuerit, dicta vel facta huius artis bene discernere nequaquam poterit. 1 o. Vera narras. s o c. Ea carmina quæ tu retulisti, siue bene siue malè ab Homero canantur, vtrũ tu melius, an auriga perciperet? 1 o. Auriga. s o c. Recitator enim es, non auriga. 1 o. Nempe. s o. Recitatoria verò facultas ab aurigaria alia est. 1 o. Videlicet. s o. Quòd si alia ars est, aliarũ quoque rerũ scientia est. 1 o. Aliarũ profectò. s o. Quid verò quum Homerus illud affert, quòd Hecamede Nestoris pellex saucio Machaoni medelæ potionem porrigit, cui vinũ Pramniũ infundit, insuper atterit caseum captinũ æneo quodam instrumento, farinam quoque caseo miscet, & ad hæc cepe obsonij loco apponit? Iliad. A.

Recténe an cõtrà hæc ab Homero dicãtur, vtrũ medicinæ artis, an recitatoriæ iudiciũ est? IO. Medicinæ SOC. Quid cùm Homerus dicit,

In mare se mersit retus Thaumantius instar,
Quod trahit ad fundum plũbi subtexta grauedo
Muniri cornu sortem dans piscibus atram.

hæc quid sibi velint, & vtrum rectè an contrà dicantur, nónne ars piscatorum melius quàm recitatorũ animaduerteret? IO. Cõstat quòd ars piscatorũ id iudicat. SOCR. Si præterea me ita rogares postquã, ô Socr. in Homeri carminib. inuenisti quę cuique istarum quæ dictæ sunt, artiũ iudicanda sunt, age iã mihi reperias quęnam à vate vaticinióque iudicari conueniat, recténe an contra ab Homero sint dicta, aduerte quàm facilè ac verè tibi respondeã. Multis in locis & in Odyssea scribit, velut ea quæ ex Melampodidarum genere vates Theoclymenus aduersus procos fatur,

Iliad. v. *O miseri, quid nunc heu vobis imminet atri,*
Dum mollem noctu capitis per membra soporem
Cuncta fremunt luctu, resonat plangoribus æther:
Scissaq; trisse madet lachrymis manantibus vestibulum plenum est simulachris, omnis & aula.
Sub tenebru erebus riget extinctóque per orbem
Lumine velatur tristi caligine cœlum.

Iliad. x. Sæpenumerò etiam in Iliade, vt in murorum expugnatione, quæ ad vatem pertinent, tangit. Ibi enim sic inquit,

Certabant Danai Troiæ perrumpere muros,
Altivolántsque Ionis pendebat desuper ales,
Unguibus incurvis rubrum complexa draconem.
Pellebátque acies in lænam, tum ferus ille
Respirauss & adhuc transfixo pectore luctans,
Ore petens aquilam pectrinxit vulnere guttur.
Illa dolens anguem dimisit in agmina lapsum.

Saucia

Sauciáq; in ventos pennis sublata refugit.

Hæc equidem dicam, & alia huiusmodi à vate cõsiderãda, iudicandáque esse. 1 o. Et vera quidem dicis, ô Socrates. s o c. Et tu, ô Io, vera narras. Age quẽadmodũ ego tibi ex Odyssea, & Iliade excerpsi quæ ad vatẽ, quæ ad medicum, quæ ad piscatorem pertinere videtur, sic & tu qui maiorem in Homeri scriptis peritiam habes, eligas, & adducas in mediũ. quæ sunt recitatoris propria, quæ præter alios homines ipsi considerare iudicaréq; conuenit. 1 o. Omnia, ô Socrates assero. s o c. Non omnia tu suprà dicebas, ô Io. Num ita obliuiosus es? Atqui nõ decet recitatorem hominem obliuiosum esse. 1 o. Quídnam obliuiscor? s o c. Non memoria tenes artem recitandi aliam ab aurigaria dixisse? 1 o. Teneo. s o c. Nóune cùm alia sit, alia cognitura es cõfessus? 1 o. Profectò. s o c. Nõ igitur omnia percipiet secundũ sermonẽ tuum ars recitãdi, neque ipse etiã recitator. 1 o. Imò omnia præter alia quædam. s o c. Cùm præter talia quædam dicis præter ea quæ aliarum artium sunt fermè significas. Sed quænã cognoscet, postquàm non omnia noscit? 1 o. Quę decens est vt vir loquatur, quæ mulier, seruus, liber, subiectus, princeps, hæc omnia noscet. s o. Quod decens est vt princeps in mari naui tẽpestate iactata afferat, recitatórne magis quàm gubernator cognoscet? 1 o. Nõ, sed gubernator melius hoc percipiet. s o c. Sed ea quæ decens, est, vt princeps in morbo loquatur, recitator melius, quàm medicus intelliget? 1 o. Neque hæc. s o c. Sed ea quæ seruo conueniunt, dicis. 1 o. Certè. s o c. Scilicet quæ decens est, vt dicat seruus bubulcus, dum de furentibus & efferatis bobus cõfabulatur, recitator ipse non

bubulus cognoscet? IO. Nequaquam. SOC. Nunquid ea, quę decens est, vt mulier de lanificio textori referat? IO. Non. SOC. Ea quæ decens est, vt vir dux exercitus dicat, dum milites hortatur, cognoscet? IO. Talia profectò sunt, quæ recitator agnoscit. SO. Nunquid ars recitatoria eadem est, quæ & imperatoris? IO. Intelligerē equidē, si opus esset, quę imperatorē loqui decet. SOC. Fortè enim & imperator es Ion: Nam si equestri, & citharœdica simul disciplina polleres, illos qui bene, & qui malè equitant, cognoscerес. Et si te interrogarem, ô Io, vtrū arte equestri, an arte citharœdi illos qui bene equitant, cognoscis, quid mihi responderes? IO. Arte equestri. SO: Quòd si eos qui bene pulsant citharam, cognoscerес, cōfitereris illos non equestri, sed citharœdica disciplina cognoscere? IO. Proculdubio. SOC. Cùm verò quę ad imperatorē spectant intelligas, vtrum imperatoria, an recitatoria ista calles? IO. Nihil mihi referre videtur. SO. Quomodo nihil referre dicis? Imperatoriam, & recitatoriam artē, vnāmne, an duas ponis? IO. Vnam mihi videtur. SO. Quicunque igitur bonus est recitator, etiam bonus imperator erit? IO. Et maximè quidem, ô Socrates, SOC. Num & qui exercitus imperator est optimus, idē recitator est bonus? IO. Non arbitror. SOC. Illud tamen admittis, quòd quisquis recitator bonus est, bonus est imperator. IO. Valdè. SOC. Nónne Græcorum optimus es recitator? IO. Planè ô Socrates. SOC. Nunquid Græcorum optimus es imperator? IO. Certè, ô Socrates. Hæc enim in Homeri scriptis didici. SOC. Cur igitur per deos, cùm sis optimus Græcorū omnium dux exercitus, optimúsq; recitator passim cas-

mina

mina modularis, militas autem nusquam? nunquid tibi videtur recitator aurea corona decoratus plurimum vsui esse Græcis, imperator autē nullo pacto? IO. Nostra, ô Socrates, ciuitas, vestræ subest, à vobisque gubernatur, & idcirco imperatore nō indiget. Vestra autem & Lacedæmoniorum respub. me nunquā in exercitus ducē eligeret. Idoneos enim duces vos esse putatis. SO C. O optime Io, Apollodorum Cyzicenum non cognoscis? IO. Quē Apollodorum? SO. [a] Illum scilicet, quem sæpè Athenienses, quāuis peregrinus esset, imperatorem delegerūt, & Phanostenem Andrium, & Heraclidem Clazomenium. Quibus hæc ciuitas, licet peregrinis, quia viri præstantes habētur, imperia, aliásque potestates mādat. Ionem verò Ephesium Imperatorem non decernet, neque honore afficiet, si virtute præstare visus fuerit? Quid verò? [b] nónne vos Ephesij prisca origine Athenienses estis, Ephesúsque nulla ciuitate est inferior? Sed tu, ô Io, siquidem vera prædicas, & scientia artéque potes Homerū laudare iniuria me afficis: quippe qui profitessus multa & pulchra Homeri scire, tēque ostensurum mihi pollicitus, me nunc decipis, ac permultum abest, vt ostēdas. siquidem nec quæ sint ista, quorum peritus es, nec qua fis facultate instructus, aperire vis. me diu iam obsecrāte: cæterùm tanquā Proteus varius variè mutaris, sursum, deorsum, in omnia te vertens, adeò vt postremò me subterfugiēs, Imperator euaseris, ne mihi ostēdas, quanta facultate in Homeri sapientia promulgāda sis præditus. Si in arte tibi hoc ineſt, quemadmodum nunc dixi, pollicitúsque exponere, decipis, certe iniurius es. Sin autem cares artē, & forte

[a] *Athenienses peregrinos interdū suis copiis præfecerūt.*

[b] *Ephesij oriundi gine erant Athenienses.*

quadam diuina ab Homero raptus, cùm nihil intelligas, multa & pulchra circa poetam hunc dicis, vt ego de te iudicabam, non facis iniuriam. Elige vtrum mauis, iniustus homo, an diuinus à nobis existimari. IO. Longè differt, ô Socrates, multò pulchrius est iudicari diuinũ. SOC. Hoc itaque quod pulchrius est, tibi à nobis tribuitur, ô Io, te scilicet diuinum potius quàm artificiosum Homeri laudatorem esse.

PLATONIS SOPHISTA, VEL DE EO QVOD est, vel de ente.

Marsilij Ficini Argumentum.

POst Theatetum de scientia, legendus est Sophista de ipso ente, quod scientiæ est obiectum. Dum verò hic de ente disseritur circa quod versatur philosophus, tractatur interim de non ente, ad quod sophista declinat. Apud Pythagoram & Platonem sophus, id est sapiens, solus est Deus. Philosophus autem verus imitator dei. Sophista ambitiosus, & fallax philosophi æmulator, Sex Plato Sophistæ definitiones adducit. Quoniam verò definitio haberi absque diuisione non potest, per quam ab ipsare definienda quæ ipsius non sunt separentur, genusque ipsius per differentias diuidatur, ex quibus tandem simul & genere componantur species atque definiantur, idcirco Plato Sophistam definiturus, exactissimas primùm partitiones excogitat, admonens neminem omnino latentem rei cuiusque naturam discernere posse, nisi eam penitus ab aliena qualitate secre-

secreuerit. Proinde entis atque non entis descriptiones pro viribus effert, atque ens, quem admodum & in Parmenide subiicit vni: Entis quinque numerat genera, essentiam, idem, & alterum, statúmque & motum. Docet veram quidem essentiam rebus incorporeis conuenire, imaginariam verò corporeis. Eos praterea qui incorporea negant, admodum detestatur: eos insuper qui vel omnia moueri solùm, vel solùm manere putant. Item de scientia atque de opinione & ratione vera vel falsa, de verbo & nomine disputat, quatenus ad entis ipsius disputationem pertinere videtur.

THEODORVS. SOCRATES, HOSPES ELEATES, QVI fortè Meliſſus eſt.

THEÆTETVS.

VENIMVS, ô Socrates, & ipſi pulchrè, quemadmodum heri inter nos conuenit, & hoſpitem hunc nobiſcum ducimus Eleatem quidem natione, ſodalem verò Parmenidæ & Zenonis amicorum, philoſophum autem excellentem. SOCR. Fortè ô Theodore, dum virum hoſpitem tecum ducere credis, deum quendam ducis. Inquit enim Homerus, cùm deos alios, tum maximè hoſpitalem deum inter homines qui iuſti pudoris participes ſunt, verſari, & hominum cõtumelias iniuriáſque inſpicere. Te fortſitan & hic è ſuperis vnus huc ſecutus eſt, vt nos qui à diſputandi rationibus aberramus, animadnertat atque corripiat, ipſe redargutionis quidam deus. THE. Haud mos hic, ô Socrates, huius

hospitis. Sed modestior est, quam hi qui cõtentionibus student. Mihique videtur Deus, cùm homo sit, nequaquam esse, sed diuinus. [a] Omnes equidem philosophos, diuinos appello. SOCR. Et rectè quidem amice. Genus autem philosophorum haud multò facilius, vt ita dixerim, quàm deorum discernitur. Omnes enim quicunque non fictè, sed verè philosophãtur, propter aliorum insciti am omniformes esse videntur, dum vrbes circumeunt, & velut desuper inferiorem vitam prospectant. [b] Atqui hi à quibusdam nullius æstimantur, à nonnullis summopere honorantur. Et interdum quidem ciuiles apparent, aliàs sophistæ, nonnunquam aliquorum opinione insani prorsus habentur. Quapropter percontari hunc hospitem cupio, si modò gratum illi futurum sit, quid de his rebus familiares eius, Eleates sentiant, quídue esse dicant, quomodo nominẽt. TH. Quænam ista? SOCR. Sophistam inquam, ciuilem, philosophum. TH. Quid verò potissimum, & quale circa hæc dubitanti tibi scisciari libet? SOCR. Hoc, vtrum vnum hæc omnia, an duo esse velint. An quemadmodum nomina tria, tria quoque genera distinguentes, singula nomina generibus singulis adscripserint. TH. At non grauatè vt arbitror, hæc nobis exponet, aut quomodo dicimus, ô hospes? HO. Sic ô Theodore. Non grauabor enim neque dictu difficile est, quòd tria esse putauerint. Singulatim verò distinguere, & quid vnumquodque sit definire, neque parum opus est, neque facile. TH. In eandem fortè quæstionem, ô Socrates, incidisti, in quam & nos hunc interrogantes, antequàm huc accederemus: hîc autem quæ tibi nunc, eadem tunc ad

[a] *Philosophi diuini homines.*

[b] *Philosophi varias formas induũt.*

nos

nos prætendebat. Alioqui & satis audisse se dicit,& recordari. SOCR. In eo igitur quod primùm rogauimus,gratificari nobis debes, ô hospes. Verùm nobis in primis declara,vtrum per te ipse perpetua oratione quod docere velles,exponere consueueris, an potius interrogando quemadmodum solebat [a] Parmenides: quem ego adolescens audiui quondam ita disputantem admodum senem, rationésq; pulcherrimas afferentem. HO. Si amice quis & placidè respondeat,facilius est cum alio interrogando disserere: siu contrà,per seipsum quisque facilius disputat. SOCR. Licet igitur quencunque vis, ex his eligere. Omnes enim libentissime obsequentur. Ego verò tibi consulo, vt iuuenem quempiam eligas, vel hunc Theætetum,vel alium quicunque tibi aptior videatur. HO. Pudet me,ô Socrates,quum nũc primũ vobiscum loquar,non vicissim verbum verbo reddere,sed prolixum sermonem incœptare,siue solus ipse per me, siue cum alio respondente,velut ostentandi gratia disputauero. Quod enim modò quæsitum est, nemo leuiter explicari posse confidat. Longa nanque disputatione indiget. Contrà verò,si tibi & istis præsertim quum tam modestè rogaueris,non obtemperem,agreste quiddam, & ab hospitis mansuetudine alienum mihi fore videtur. Alioqui disputationis comitem Theætetum hunc de his quæ & ego dicebam, & tu modò iussisti,recipio. TH. Ita certè,ô hospes, quemadmodum inquit Socrates, cunctis gratificaberis. HO. Nihil aduersus hæc vlterius Theætete,dicendum videtur. Tecum deinceps agendum mihi: quòd si fortè sermonis prolixitas tibi fastidiosa continget, & labore

[a] *Parmenides disputabat interrogando.*

grauaberis, non me obsecro, sed hoſce tuos familiares, qui in cauſa ſunt, accuſato. TH. Nihil moleſtum fore arbitror: nam ſi fortè me defatigari contigerit, hunc Socratem adhibebimus. Socrati quidem nomine ſimilem, mihi exercitationis ſocium, & æqualem, cui mecum laborioſa multa peragere non eſt inſuetum. HOS. Probè loqueris, & de his quidem procedente ſermone tecum ipſe deliberabis. Communiter verò mecum tibi nunc conſiderandũ, incipiendúmque, vt mihi videtur, primum ab ipſo Sophiſta, quærenti & explicanti orationem mea, quidnam ſit. In præſentia porrò tu ſimul ac ego huius commune ſolũ nomẽ habemus: rem verò ipſam quæ nomine deſignatur: aliter fortè vterque noſtrũ cogitat. [a]Præſtat autẽ in ſingulis rem ipſam cum rationibus quàm nomen ſolũ abſque rõe perſpicere. [Genus autem hoc quod nunc cogitamus quærere, non omnium facillimũ eſt comprehendere, vt facile poſſimus definire, quid ſit Sophiſta.] [b]Vetus eſt omniúmque cõmunis ſententia, ſi quis ea quę magna ſunt, rectè trãſigere velit, in paruis quibuſdam prius illa facilioribúſque quàm in maximis conſiderare debere. Equidem Sophiſtæ genus arbitratus difficilè poſſe comprehẽdi, nobis ô Theætete, conſulo, vt antè in alia quadam re faciliori [ipſius intelligendi viam rationémque prius mediteмur. Niſi tu forte commodiorem viam oſtendas. TH. Nullam habeo cõmodiorem. HO. Víſne exiguum quiddã & vile in medium adducamus, maioris ipſius exemplum? TH. Volo. HO. An non proponendum notum quiddam atque exiguum, quod tamen nullo ex maioribus minorem rationẽ habeat, qualis homo piſcator eſt. Nonne omnibus

[a] *Definitio rei ſolius nominis notitiæ præſtat.*

[b] *Vetus ſententia, rerum Magnarũ & difficilium in paruis & facilib. rẽtandã & explorandã eſſe cognitionem.*

nibus notum, miniméque magno ſtudio & meditatione dignũ? TH. Certè HO. Viã tamen & ratione ad id de quo agimus aptam habere videtur. TH. Optimè ita res ſe haberet. HO. Age hinc exordiamur. Dic vtrũ ipſum tanquã artificioſum, an artis expertẽ alterius verò facultatis cuiuſdã participé ponere debeamus? TH. nullo modo artis expertẽ. HO. Artiũ fermè omniũ ſpecies duę ſunt. TH. Quæ? HO. Agricultura, & cuiuſlibet mortalis corporis cura, & facultas omnium quæ circa compoſitum quodlibet fictúmve verſatur, quę cõmuniter ſuppeditia diſcuntur. & quæ hæc imitatur, vniuerſa inquam facultas huiuſmodi vno quodã cõmuni nomine nuncupari debet. TH. Quónam pacto? & quo nomine? HO. Quoties quod antea nõ erat, in eſſentiã quis deinde perducit, quod agit, facere: quod agitur fieri dicimus. TH. Rectè. HO. Cũcta quæ paulò antè retulimus, ad hoc vim habẽt. TH. Habẽt certè. HO. [a]Sũmatim itaq; illa effectricẽ facultatẽ denominemus. TH. Eſto. HO. Diſciplinæ verò, & cognitionis ſpecies vniuerſa, & quę ſtus certaminiſq; ac venãdi peritia, [b]ars acquirẽdi ſummatim vocãda videt: quippe cũ nihil ex his quicquã fabricet: quę verò ſunt, & fuerũt, cõparet, partim ſermonib. actionibuſq; capiẽs, partim capiẽtib. cõcedẽs. TH. Decet. HO. Cũ oés artes, aut in acquirendo, aut in efficiẽdo verſentur, quo in genere peritiã piſcandi ponemus? TH. In eo videlicet quod acquirit. HO. [c]Nõne eius quod acquirit, duæ ſunt ſpecies? Vna inter volentes commutatio, dono, emptione, mercede. Altera mancipatio vel opere vel ſermone facta. TH. Ex his quæ dicta ſunt, ſic eſſe conſtat.

HOSP. Mancipatio verò bifariam partienda.

[a] *Effectrix facultas quæ.*

[b] *Ars acquirendi quæ.*

[c] *Ars quæ acquirit duplex eſt.*

THE. Qua ratione? HO. Vna quidem parte, quæ certando capit. Altera latens, quæ venando. T H. Ita est. HO. Venatoriam quoque bifariam diuidere decet. T H. Quomodo bifariam? HO. Aut enim rem expertem animæ, aut animatam venatur. T H E. Quidni? Siquidem ambo hæc sunt. HO. Sunt profectò. Et oportet quod ad inanimum pertinet, nomine carens dimittere, exceptis quibusdam natatoriæ facultatis partibus, & alia huiusmodi exigua prætermittere. Animatorum verò capturam, animalium venationem vocare. T H. Sic esto. HO. Venationis huiusmodi meritò duæ numerentur species. Vna quidem gressibilium animalium venatio, variis speciebus nominibúsque distincta. Altera verò natatilium, quæ per liquidum venatio nominetur. T H. Omnino. HO. Natatilium verò quædam pennis per aerem, quædam per aquam vagantur. T H. Certè. HO. Volantium venatio, aucupium nominatur. T H. Proculdubio. HO. Aquatilium verò, ferè summatim piscatio. T H. Omnino. HO. Piscationem autem nonne in duo maxima membra diuidimus? T H. Quænam ista? HO. Aut enim retinaculis aut percussione piscamur. T H. Quonam pacto vtrunque distinguis? HO. Quicquid coercendi gratia cohibet, aliquando comprehendendo, retinaculum nominatur. T H. Prorsus. HO. Nassam, retia, laqueos, verriculum cæteráque huiusmodi, nunquid aliter quã retinacula vocabis? T H E. Haud aliter. HO. Hic igitur, & alius similis venandi modus qui cohibendo perficitur, piscationis species quædam est. T H. Est. HO. Extat species altera quæ hamis & fuscinis captat. Hanc percutientem piscationem mu-

muniter appellare decet, nisi tu forte quid pul chrius afferas. T H. Ne sit nobis curæ nomen: hoc porrò sufficit. H O. Alij quidem nocte hoc efficiunt ad ignis lumen, quapropter ignifera piscatio nuncupatur. T H. Prorsus. H O. Alij die in extremo virgæ cuiusdam ferentes vncum tridentibus vsi. Vnde contorta & vncea omnis hæc piscatio nominatur. T H. Constat. H O. Qui piscando percutit retorto quodam instrumento, & fuscinam à superiori parte ad inferiorem demittit, tridentea & fuscinali piscatione vti dicitur. T H. Ferunt. H O. Reliqua est duntaxat vna species. T H. Quænam? H O. Percussio quædam hamo facta, contrà ac superior, neque in qualibet piscium parte, sed in capite & ore duntaxat, ab inferiori parte ad superiorem virgis & calamis retrahens: huius quod potissimum, ô Theætete, nomen esse dicemus? T H. Videmur quod suprà proposuimus exquirendum, nunc iam perfecisse. H O. Nunc igitur piscationis non modo nomen ego ac tu communi sententia instituimus, verùm etiam rationem ipsius operis sufficienter accepimus. Vniuersæ porrò artis dimidium in diuisione fuit, quæ in acquirendo versatur, ac huius dimidium quæ capit, & huius rursus dimidium quæ mancipat: huius venatoria: venatoriæ animalium præda: huius, agilis animalis captura, agilis, vniuersaliter piscatoria: piscatoriæ, percutiens atque tundens piscatio: percutientis, quæ vnco piscatio fit: huius denique percussio quæ sursum versus ab inferiori parte conficitur, retrahendo, & inde nomen sortita, retrahens & hamatoria piscatio dicitur. T H. Abundè hoc ostensum est. H O. Atqui

secundum hoc exemplum, quid est sophista, inuenire statuimus. TH. Prorsus. HOS. Illúdque in primis quæsitum est, vtrum ipsum qui hamo piscatur, rudem penitus, an artis alicuius participem ponere debeamus. TH. Ita est. HO. Et nunc quidem sophistam, rudémne, an penitus sophistam appellabimus? TH. Nullo modo rudé. Intelligo enim quod dicis, quod penitus talem esse oportet eum qui hoc nomen habet. HO. At aliquam artem ipsum habere ponendum est, vt apparet. TH. Quamnam tandem? HO. Prò deos, ignoramúsne alterius cum altero cognationem? TH. Quorum? HO. Hamatoris atque sophistæ. TH. Quomodo? HO. Venatores quidam esse mihi ambo videntur. TH. Quam prædam hic alter insequitur? de altero nanque diximus. HO. Prædam vniuersam bifariam partiti sumus: in natatilem, atque gressibilem. TH. Profectò. HOS. Et venationem quæ natantia aquatiliáq; persequitur, prosequuti sumus: eam verò quæ gressibilia, prætermisimus, & quod multiplex esset, adiunximus. TH. Proculdubio. HO. Hactenus hamator & sophista ab arte venatoria æquè proficiscuntur. TH. Videntur sanè. HO. Ab animalium venatione, quidam in mare descendit, fluminaque & lacus, & in his animalia ipsa venatur. TH. Quídni? HO. Quidã autem in terras & fluuios velut in prata quædã iuuentute & diuitiis abundantia, in his animalia captaturus. TH. Quo pacto? HO. Venationis quæ terra fit, duæ maximæ partes sunt. TH. Qualis vtraque? HO. Vna cicurum, agrestium altera. TH. An est vlla cicurum venatio? HO. Siquidem est homo animal mansuetum. Pone verò, vt lubet, siue nihil est mansuetum, siue

siue aliud quoddam mansuetum, homo autem animal ferũ: siue mansuetus homo quidẽ, sed hominis venatio nulla. Ex his quod magis tibi consonat, in præsentia determina. TH. Arbittor equidem hospes, & nos mansuetum esse animal, & hominum esse venationem. HO. Duplicem igitur & domesticorũ venationẽ statuimus. TH. Qua ratione? HO. Prædatoriam, & quæ redigit in seruitutem, tyrannidẽ insuper, & militarẽ captiuitatem, cuncta hæc violentã cõmuniter venationem asserimus. TH. Optimè. HO. Quæ verò iudicãdo fit, vel cõcionando, vel cõciliãdo, summatim persuasionis artificiũ nuncupamus. TH. Rectè. HO. Huius duo sunt genera. TH. Quænam? HO. Publicũ & priuatũ. TH. Extat species vtraque. HO. Priuatæ rursus persuasionis venatio, aut mercede fit, aut muneribus. TH. Haud intelligo. HO. Amatorũ venationem nunquam considerasse videris. TH. Qua in re? HO. Quòd illis quos cœperunt, munera insuper exhibent. TH. Vera narras. HO. Hæc itaq; artis amatoriæ species esto. TH. Esto. HO. Sed ea quæ mercede fit, aut versatur ad gratiam, voluptatísque illecebras parat, vt inde alimẽta pro mercede duntaxat accipiat, quã adulationẽ vocamus, artẽ voluptatum machinatricem. TH. Certè. HO. Aut virtutis ostendendę gratia conuersari se profitetur, & pro mercede pecunias exigit, ídque genus alio nomine nuncupãdum videtur. TH. Quídni? HO. Quónam? exprimere tẽta. TH. Constat planè. Sophistam nãque iam reperisse videmur, & hoc nomen huic maximè congruere arbittror. HO. Vt ex hac disputatione colligitur, constat, ô Theætete, [a] sophisticã facultatẽ appellandam esse artem quæ in concilian-

[a] *Prima definitio sophistæ.*

do comparandóque versatur, animaliúmque gressibilium & terrenorum domesticorúmque venatio est, hominum videlicet priuata captura ob nummorum mercedem, & iuuentú diuitum atque nobilium opinione virtutis disciplinæque irretitio. T H. Prorsus ita dicendú. H O. Præterea hoc modò considéremus, non enim vilis cuiusdam artis, quod nunc quæritur, sed pulchræ admodum particeps est. Etenim ex iis quæ suprà diximus, per imaginem quandam coniectare licet, non huius generis quod diximus, sed alterius esse. T H. Cuius igitur? H O. Artis profectò quæ in acquirendo versatur, duæ species relatæ sunt, venatio & commercium. T H. Certè. H O. Commercij verò duæ sunt species, vna in largitione, altera in emptione venditionéque consistit. T H. Sic est profectò. H O. Eam rursus quæ ad emendum vendendúmque pertinet, bifariam diuidimus. T H. Quo pacto. H O. Qui opera sua venalia facit, propriorum venditor nominatur: qui aliena vendit, commutator. T H. Omnino. H O. Commutatio verò aut inter eiusdem vrbis ciues conficitur, quam cauponariam vocamus. T H. Sic est. H O. Aut inter ciues & peregrinos emendo & vendendo res ex vrbe alia in aliam permutatur, quam mercaturam dicimus. T H. Quídni? H O. [a] Mercatura præterea duplex, altera ad victum corporis spectat, altera ad animi disciplinam, commutátque nummis eruditionem. T H. Quemadmodum dicis? H O. Quod ad animum attinet, forsitan ignoramus. Nam quod ad corpus, agnoscimus. T H. Nempe. H O. Eum profectò qui musicam alibi quidem discendo emit, alibi docendo vendit, literarúmque similiter, &

[a] *Disciplinarũ mercatura.*

præ-

præstigiatricem, cæteráſque animi disciplinas tam serias quàm iocosas, mercatorẽ nihilo minus quàm corporis alimenta vendentem dicimus. TH. Vera narras. HO. Nónne illum similiter appellabis, qui disciplinas nummis empturus commutaturúſque vrbes varias circuit? TH. Similiter certè. HOS. Huiusmodi mercaturæ pars quædam ostentatoria meritissimò vocatur, pars autẽ ridicula nihilominus, quum sit disciplinarum venditio, consimili quodam venditionis cognomento vocanda. TH. Prorsus. HO. Alio verò nomine nuncupandus qui facultates alias vẽdit, alio qui præcepta virtutum. TH. Nihil prohibet. HO. Eũ sanè qui alias facultates venundat, artium vẽditorem nominare decet: sed eum hominem qui mores mercede tradit, cogita quo nomine nuncupabis? TH. Nunquid aliter quis rectè cognominare hunc poteſt, quàm quod nunc quærimus, sophistam? HO. Haud aliter profectò. Iam igitur concludamus hunc in modum colligentes, [a] quòd secunda inquisitione sophista nobis apparuit acquisitor huiusmodi, scilicet commutator, emptor & venditor, mercator videlicet, qui animi disciplinas venundat ad sermones institutáque virtutum præcipua pertinentes. TH. Valdè. HO. Tertio rursus te similiter sophistam vocaturum hunc arbitror, qui eadem in vrbe permanens, partim emit, partim ipse excogitat disciplinas, comparandi victus gratia venditurus. TH. Nihil obstat. HO. [b] Sophistam igitur appellabis eum qui in acquirendo versatur, commutat scilicet & emit, venditque cauponando, siue sua inuẽta, siue aliena circa virtutis studia vendat. TH. Necesse est, rationi siquidem assentiri de-

[a] *Secunda definitio sophistæ.*

[b] *Tertia definitio sophistæ.*

cet. HO. Videamus iterum, vtrùm quod in præsentia quærimus genus, cuiusdam talis simile sit. TH. Cuiusnam? HO. Eius artis quæ ad acquirendum pertinet, pars quædam certandi facultas erat. TH. Erat certè. HO. Haud igitur ab re erit, bifariam illam diuidere. TH. Quas in partes diuides? HO. Vna quidem pugnat, repugnat altera. TH. Verum. HO. Pugna vtiq; corporis ad corpus, violentia congruè nuncupatur. TH. Congruè. HO. Quæ autem verbis aduersus verba committitur, contentio. TH. Certè. HO. Ambiguitatis duæ sunt species, TH. Quæ? HO. Quando oratione perperua publicè de iustis iniustísve certatur, iudicialis controuersia nominatur. TH. Ita est. HO. Cùm verò priuatim minutis quibusdam argumentatiunculis interrogando respondendóque contenditur, contradictionem appellare solemus. TH. Sic vtique. HO. Contradictio porrò quæ in commerciis vtcunque contingit, & absque arte fit, vt species quædam seorsum ponenda est: sic enim ratio ab aliis illam discernit, proprium verò cognomentum, nec ab antiquis accepit, neque nunc à nobis accipiet, neque enim decet. TH. Proculdubio. HO. In varia nanque & minima scinditur: quæ autem arte procedit, & de iustis iniustísve, & de aliis generatim ambigit, litigiũ appellari solet. TH. Plane. HO. Litigũ duplex, alterũ pecunias dissipat, alterũ pecunias cumulat. TH. Omnino. HO. Quod itaque vtrique tribuendum sit cognomentum, inuenire conemur. TH. Oportet. HO. Quicunque contentionis huiusmodi studio delectatus, res suas negligit, verba autem audientibus iucunda componit, & quæstiunculas semper aucupatur,

patur, non aliter, vt mea fert opinio, quã * nugator & garrulus est vocandus. TH. Sic vti qi. HO. At verò qui ex priuatis litigiis pecuniis cumulandis incumbit, quomodo vocandus sit, tu nunc vicissim enarra. THE. Quisquis absque errore respondere voluerit, sophistã hunc mirabilem quem quærimus, appellabit, quarto se nobis iam offerentem. HO. [a] Ratio itaque nunc ostendit sophistã nihil esse aliud, quàm genus illud quæstuarium, artificiosè litigando, aduersando, pugnando, luctando acquirere solitũ. TH. Sic est omnino. HO. Cernis verum esse quod dicitur, varium hoc animal esse, vtique prouerbio fertur, * Non altera manu duntaxat apprehendendum. TH. An igitur vtraque vti oportet? Ho. Opus est, & pro viribus sic agendum, eiusmodi verò ipsius vestigium iã percurrimus. Dic age, [nónne sunt domesticorum ministeriorum nomina quædam?] TH. Multa. Sed quænam è multis interrogas? Ho. Talia quædam vt cùm dicimus percolare, [excribrare, conquassando eiicere,] secernere. TH. Quídni? HO. Carminare præterea, deducere, pectere, aliáque permulta huiusmodi in artibus reperimus, an nõ? TH. Quid ab his potissimùm ostensurus, exempla hæc inducis, & per omnia sciscitaris? HO. Ad discernendum quodãmodo pertinẽt quæcũq; retulimus. TH. Profectò. HO. Mea qui dẽ sententia, cũ circa hęc vna ars in cũctis versetur, vno quoq; nomine nuncupabimus. TH. Quónã? HO. Discretiuã dicam. TH. Esto. HO. Vide rursus, nũ species huius generinas inuenire possimus. TH. Subitã, vt mihi videtur, cõsidera tionẽ imponis. HO. Enimuerò in his quę dictæ sũt discretionib. partim deteri' à meliori fecer

* ἀδολέσχης.

[a] *Quarta definitio sophistæ.*

* Prouerbiũ.

nitur, partim à simili simile. TH. Sic fermè nũc dictũ esse videtur. HO. Huius quidem propriũ nomen non habeo: illius autem quæ melius quod est, relinquit, quod verò deterius abiicit, habeo. TH. Dic quod? HO. Omnis huiusmodi discretio, vt ipse coniicio, commuiter a purgatio nominatur. THE. Constat. HO. Nónne geminã purgationis speciem esse quisque dignoscere? TH. Ita forte, si quis aliquãdiu cogitet: ego enim in præsentia ignoro. HO. Veruntamen species multas corporalium purgationum nomine vno complecti decet. TH. Quas inquis? quóue nomine? HO. Purgatio animati corporis intrinsecus operans per gymnasticã, & medicinam, & quæ extrinsecus balneis quod dictu vile est, mundat; item quæ inanimata corpora fullonum ministerio abstergendo colorat, & omnia quæ ornandi corporis curam gerunt, sigillatim varia viliáque nomina sortiuntur. TH. Profectò. HO. Omnino quidẽ, ô Theætete. * Doctrinæ ratio & via] nihil magis alterum altero minúsve curat, si purgat o spongiis fomentationibúsque adhibita minus mundat, pharmacum verò magis purificat atque iuuat. Nam vt artium omnium intelligentiam consequatur, quodcunque cognatum est, vel non cognatum inuestigando æquè singulas artes honorat, aliáque aliis secundum similitudinem non magis ridicula censet. [Quinetiam nihilò honestius putat, si militaris disciplinæ, quàm si alius cuiusuis viliſſimi artificii, vt putà pedicularii, exemplo venatorium opus declaretur.] Et nunc quidẽ vt quærebas, quónã nomine cunctas facultates quæcũq; corpus aut animatũ, aut inanimatum purgare studet, pe-

a *Purgatio quid.*

* ἡ τῶν λόγων μέθοδος.

nitus

fitus comprehendemus? Nihil vtique quoad Præsentem pertinet disputationē. refert quod cunque nomen inuentum decentius videatur, dummodo à purgationibus animæ sit distinctum, & quæcunque purgant corpus, includat. Mentis porrò purgationem ab aliis omnibus secernere nunc intendit, si quorsum vergit, inspicimus. TH. Animaduerti equidem, & admitto duas species purgationis esse, animæque purgationem à purgatione corporis esse diuersam. HO. Egregiè loqueris, & in hoc insuper mihi obsequere: quódve dicturus sum, rursus bifariam diuidere tenta. TH. Vtcunque duxeris, tecum partiri conabor. HO. Prauitatem in anima aliud quiddam quàm virtutem dicimus? TH. Aliud certè. HO. Enimuerò purgationem nihil aliud esse diximus, quàm quod prauum est, eiicere, reliquum verò seruare. TH. Diximus proculdubio. HO. Si quam igitur circa animam prauitatis ablationem reperiemus, meritò purgationem appellare debebimus. TH. Maximè. HO. [a] Prauitatis in anima species duæ ponuntur. TH. Quænam? HO. Vna morbi corporalis instar, turpitudinis altera. TH. Haud intelligo. HO. Morbum forsitan, & seditionem non idem vocas. TH. Etiam quid ad hæc respondeam, nescio. HO. Num aliud seditionem putas, quàm naturalis cognationis corruptelam, discordia quadam prouenientem? TH. Nihil aliud. HO. Turpitudinem verò num aliud quàm deformitatem ex dissonantia eorum quæ natura cognata sunt, resultantem? TH. Istuc ipsum. HO. [b] Quid porrò, nónne videmus in eis quorum deprauatus est animus, opiniones à cupidinibus, iram à voluptatibus, rationem à dolori-

[a] *Prauitatis in anima duæ species sunt.*

[b] *Morbus & seditio in anima quid sint.*

bus dissentire? TH. Et maximè quidem. HO. Veruntamen cuncta hæc necessario cognata sunt. TH. Patet. HO. Seditionē igitur ac morbum animæ prauitatem vocare decet. TH. Rectè. HO. Si qua viderimus, quę certo quodā fine proposito, dum ad illud peruenire nituntur, singulis in motibus transuersa ferantur, atque abeerrent, vtrum consonantia quadā mutua conuenientiáque communi, an contrariis causis errare dicemus? TH. Constat quod dissonantia atque intemperie. HO. Atqui scimus nullum animum spōte aliquid ignorare. TH. Planè. HO. [a] Ignorantia quidem est dementia quædā animæ: quæ dum ad veritatē nititur, intelligētia ipsa à fine instituto aberrat. TH. Omnino. HO. Animam igitur ignorantem, inconcinnam atque deformem vocare decet. TH. Videtur. HO. Sunt ergo duo hæc malorum in anima genera. Vnum communiter improbitas nominatur, qui animæ proculdubio morbus est. TH. Ita est. HO. Alterum ignorantiam quidem nuncupant, prauitatem verò animæ hanc esse confiteri nolunt. TH. Omnino concedendum est, de quo modo dicente te ambigebam, duo in anima genera prauitatis existere: & timiditatem quidem intemperantiámque, & iniustitiam, cæteráq; huiusmodi cuncta morbum existimare debemus: plurimam verò & variam ignorantiam, turpitudinem. HO. Nónne circa corpus, his duobus malis, duæ quoque artes sunt repertæ? TH. Quænam? HO. Aduersus deformitatem gymnastică, aduersus morbū medicinæ peritia. TH. Apparet. HO. Nōne & aduersus petulantiā, iniustitiā, timiditatem, ex omni genere artium conueniens maximè castigatio &

[a] *Ignorantia quid.*

& animaduersio est iudicialis censura? TH. Hoc vtique quantum hominum opinio fert, consentaneum. HO. Sed aduersus ignorantiã vniuersam, quod aliud præter doctrinam remedium inuenitur? TH. Nullum. HO. Doctrinam verò vtrum vnam duntaxat ac simplicem, an plura genera illius esse dicendum? Imò duo genera eius summa esse animaduerte. TH. Animaduerto equidẽ. HO. Hac via quãprimũ id inuenturi mihi videmur. TH. Qui? HO. Si ignorantiam geminam esse consideremus, ea si quidem[a] duplex duplicem docendi rationem exigit, vt harum singulæ singulis illarum teddantur. TH. Nunquid iam tibi cõstat quod nunc quæritur? HO. Magnam quandã & onerosam ignorantiæ partem video, cũctis aliis eius partibus præponderantem. TH. Quã? HO. Hanc quũ quis illa quæ nescit, scire se putat: ab hac nimirũ omnes quæcunque nos fallunt opiniones, proficiscuntur. TH. Ita est. HO. Atq; huic soli ignorantiæ parti, inscitiæ nomen cõuenire existimo. TH. Prorsus. HO. Doctrinæ itaque partem qua ab hac ignorantia liberamur, quomodo appellandam censes? TH. Reor equidem, ô hospes, partem aliã doctrinas fabriles nominari, hãc verò, [*] disciplinã. HO. Sic fermè inter omnes Græcos vocatur. Nobis autẽ hoc præterea cõsiderãdũ, vtrũ indiuiduũ sit totũ hoc, an diuisionẽ aliquã habeat appellatione dignã? TH. Considerandũ profectò. HO. Videtur itaque mihi & hoc diuisionẽ suscipere. TH. Qua ratione? HO. [b] Eius vtique facultatis quæ sermone docet, pars quædam asperior, quædam lenior esse videtur. TH. Qualem vtranque esse dicimus? HO. Vnam quidem veterem ac patriam, qua

a *Duplex ignorantia.*

[*] παιδεία.

b παιδεία duplex.

aduersus filios maximè tunc vtebantur, & nũc etiam plerique vtuntur, quotiescunque delinquunt, partim grauiter obiurgantes, partim mitius admonentes. Vniuersum hoc [a] admonitionem possumus nuncupare. THE. Ita est. HOS. [Alteram verò, [b] quòd nonnulli secum reputando, tanquam ratione victi existimarunt] omnẽ inscitiam inuoluntariam esse putandã, nullúmque discere illa, quæ scire credit, affectaturũ [multóque licet, labore adhibito:] admonitoriã disciplinã vix quicquã proficere posse. TH. Rectè putant. HO. Quinetiã alia quadam via ad opinionẽ huiusmodi [scientiæ ex animis hominũ euellendã] pergunt. TH. Quánã? HO. Exquirunt, sciscitantúrq; in his reb. quę quis optimè intelligere, arbitratur, cũ nihil veri dicat. Deinde errantiũ opiniones facilè discutiunt, eásque rationibus colligentes, in vnũ inuicẽ conducunt: atque illas ostendunt sibi ipsis de iisdem, & ad eadem, & secundum eadem esse contrarias. Illi verò hoc inspicientes secum ipsi indignãtur, & erga alios mites euadunt: atque hoc pacto magnas durásque opiniones deponunt. Quæ quidem liberatio auditu liberationum omniũ iucundissima est, & reuera firmissima. Enimuerò, ô dilecte puer, qui hos purgare aggrediuntur, haud secus quàm medici corpora curandos existimant. Medici nanque tradunt salubribus epulis non prius nutriri corpus quàm impedimenta pellantur. Similiter isti non prius egregias doctrinas conferre animæ censent, quàm redargutus is qui errat, erubescat, repulsisq; doctrinæ impedimentis, falsis videlicet opinionibus purus euadat, nec alia præter illa quæ noscit, nosse se putet. THE. Optima modestissimáque omnium

[a] νουθετεῖν, *quid.*

[b] τῆς ἐλεγκτικῆς *i. artis redarguẽdi imperitos vtilitas summa.*

tmnium facultas hæc est. HO. His de causis, ô Theætete, dicendum, summam, præcipuámque purgationem esse redargutionem: eúmve qui non redargutus est, etiam si rex magnus sit, quandoquidem in maximis est impurus, rudem turpémque esse secundum illa, quib. purissimus pulcherrimúsque esse debet, quisquis est felix reuera futurus. THE. Sic est omnino. HO. Quósnam homines arte hac vti dicemus? Vereor enim sophistas dicere. TH. Quãobrem? HO. Ne illos plus quàm deceat, honoremus. THE. Veruntamen quæ modò dicta sunt, tali cuidam similia esse videntur. HO. Atque etiam cani lupus maximè ferus mansuetissimo. Eum verò qui à deceptione turus [a] volet esse, à simi litudine summopere cauere oportet: lubricum enim maximè hoc genus. Sed [sunto sophistæ] illi de quibus modò quærebamus, neque enim de exiguis terminis cõtentionẽ tũc fore puto, cùm satis illos obseruauerimus. TH. Consentaneũ. HO. Esto igitur discretiuæ artis species purgatoria, purgatoriæ autẽ pars quæ mũdat animã, seligatur: huius, docẽdi facultas: doctrinæ, disciplina disciplinæ redargutio illa, quæ versatur circa temerariã sapientiæ opinionem, vt præsens oratio monstrat, nihil aliud quàm generosa sophistarũ facultas esse dicatur. TH. Dicatur planè. Ambigo tamẽ quid potissimùm è multis quæ sese nobis offerũt, sophistã esse reuera affirmare cõueniat. HO. Et meritò ipse dubitas, quandoquidem ipsum quoque sophistam ambigere verisimile est omnino quánam via rationes nostras effugiat. Scitè namque prouerbio dicitur, omnes laqueos effugere difficile esse. Nunc igitur instandum illi maximè. TH. Præclarè loqueris. HO. Primum

[a] *Similitudines, quiæ sunt ad decipiendum aptissimæ cauẽdæ sunt in primis.*

Prouerb.

quidem hunc veluti cursum sistentes paulum respiremus, & inter nos ratiocinemur simul interquiescentes. 2 Age resumamus quam varias præ se formas sophista iã tulerit. Prima inuestigatione apparuit iuuenũ ac diuitũ mercenarius esse venator. TH. Ita. HO. Secunda mercator quidã circa animi doctrinas. TH. Omnino. HO. Tertia circa hæc eadẽ caupo. TH. Et hoc. HO. Quarta circa doctrinas suorum venditor inuentorum. TH. Optimè in memoriam reuocasti. HO. Quintam verò ego ipse commemorare conabor. Certator quidam circa sermones, & artificiosius nimium litigator. TH. Sic vtique constitit. HO. Forma sexta ambigua quidem, ponenda tamen, & in præsentia quodammodo concedenda: purgator quidam animæ visus est, opiniones extirpans omnes quæ doctrinis impedimento sunt. TH. Sic est prorsus. HO. Nunquid aduertis quoties aliquis multorum peritus videtur, vnius verò cuiusdam artis nomine nuncupatur, [non rectè illum talem videri?] Imò constat eum qui circa artem aliquam sic afficitur, non posse illud ipsum inspicere, ad quod doctrinæ omnes huiusmodi tendunt. Quocirca multis pro vno nominibus eum qui variis scientiis videtur imbutus, appellat. TH. Ita quodãmodo natura institutũ id esse apparet. HO. Ne igitur & nobis idem propter locordiam in hac indagatione contingat, repetamus in primis vnum aliquid eorum quæ de sophista sunt dicta. Vnum quippe ex illis præcipuè sophistæ nomen significasse mihi videtur. TH. Quid illud? HO. Contradictorem illum esse diximus. TH. Diximus certè. HO. Nónne & alios vt idem efficiant, edoce-

a *Recapitulatio superius allatarum definitionum Sophistæ.*

b *Sophista est δυπλασιαστὴς i. cõtradictorius.*

edocere? TH. Hoc quoque.

HO. Videamus nũc[a] circa quid maximè cõtradictores efficere alios sophistæ se prædicãt. Consideratio verò nostra hinc sumat exordium. Nũ in rebus diuinis quæcunque vulgus latent contradicendi facultatẽ præstant? TH. Certè hoc de illis dicitur. HO. Quid autẽ de his quę oculis conspiciũtur, cælo ac terra, & hisce rebus quæ his continentur? TH. Quid maximè? HO. Etenim in priuatis colloquiis quoties de generatione essentiáque generatim aliquid dicitur, videmus illos ad contradicendum vehementes esse, & alios sui similes reddere posse. TH. Omnino quidem. HO. Quid verò circa leges ac rempub. nónne in his quoque contentiosos homines se efficere profitentur? TH. Nemo, vt ita dixerim, cum illis disseret nisi hoc pollicerentur. HO. Quæ verò aduersus singularum artium professores contentionis studio afferri debeant, passim scripta circunferũtur si quis volet cognoscere. TH. Quæ Protagoras de palæstra cæterísque artibus scripsit, dicere mihi vidêris. HO. Et de multis quidem aliis, ô beate. Verum ars ipsa contradicendi, nónne summatim facultas est, quæ omnia in controuersiam deducere potest? TH. Nihil fermè prætermittere videtur. HO. Tu verò per deos, ô puer, fieri hoc posse putas? Fortè enim vos iuuenes acutius hoc inspicitis, senes verò nos obtusius. TH. Quid istud, & quorsum hoc maximè dicitis? Neq; enim quod nũc quæris, intelligo. HO. Quærebã vtrũ hominũ quispiã scire omnia possit. TH. Beatũ profectò hospes nostrũ genus esset. HO. Quónã pacto ignorans quispiam aduersus intelligentẽ contradicendo, sanum quid adferre poterit? TH. Nullo.

[a] *Contradicendi in omnibus rebus facultatem profitetur sophista.*

HO. Quid ergo in illa sophistarum facultate mirabile esse potest? TH. Circa quid maximè? HO. Quónam tandem pacto iuuenib. possint persuadere, se vnos omnium in rebus singulis esse sapientissimos? constat enim quòd nisi rectè contradicerent, aut nisi illis rectè contradicere viderétur, ac tales quũ videntur, nisi aduersando existimarentur esse sapientiores, [vix quicquam oblata pecunia quod tu dicebas ab istis eruditi cuperet.] THE. Nemo penitus. HOS. Nunc verò cupiunt. TH. Ac vehementer. HOS. Videntur arbitror illa in quibus aduersantur, optimè scire. THE. Quidni? HO. Repugnant autem in omnibus. Nonne? TH. Absque dubio. HO. In omnib. itaque sapientes discipulis esse videntur. THE. Cur non? HO. Neque tamen sunt. Impossibile quippe id esse constitit. THE. Impossibile sane. HO. Opinatricem igitur circa omnia potius, quàm veram scientiam habere Sophista nobis apparuit. TH. Prorsus. Ac quæ modò dixisti, rectè admodum dicta videntur. HO. Ponamus ergo exemplum aliquod istorum magis perspicuum TH. Quale? HO. Hoc, sed attende diligenter, atque aptè responde. THE. Quale inquam. HO. Perinde est ac si quis assereret, nec dicere, nec contradicere se, sed præstare atque efficere, vt arte vna cũcta sciantur. TH. Quomodo cuncta dicebas? HO. Principium sermonis huius statim ignoras. Quid enim hęc dictio, cuncta significet (vt vidêris) non intelligis. TH. Non certè. HO. Dico igitur in numero omniũ esse me ac te, & alia quoque animalia arboréſque. TH. Quomodo inquis? HO. Si quis me ac te, & alias omnes stirpes se factum promittat. TH. Quem faciendi modum

dicis.

dicis. Non enim dicis agricultorem quenquā; nam animalium factorem aiebas. HO. Aio, & terræ præterea, & maris cœlíque, ac deorum aliorúmque omnium: & cùm singula breui finxerit, vnumquodque exiguo pretio vendet. TH. Ludum quendam narras. HO. Quid verò? nónne & ille ludere dicendus est, qui omnia se nosse prædicat, aliúmque docere omnia exigua quadam mercede breuíque tempore profitetur? TH. Prorsus. HO. Ludendi verò speciem habes vllam magis artificiosam iucundámque, quàm imitationem? TH. Nullam. Amplam sanè speciem dixisti, in vno omnia comprehendens, atque multiplicem. HO. An non intelligimus eum qui arte vna cuncta sefacere posse profitetur, pingendi arte fingente eiusdem nominis rerum simulachra, dementes etiam pueros posse decipere, dū picta eminus spectanda proponit, quasi quocunque velit efficere possit? TH. Quid prohibet? HO. Nónne & aliam circa sermones talem artem esse putamus, qua seductores quasi præstigiis quibusdam vtentes, adolescentulos procul à veritate rerum adhuc existentes decipere valeāt, imagines quasdam verisimiles loco verarum rerum auribus inculcando, adeò vt vera eloqui, omniúmque hominum esse in omnibus sapientissimi videantur? TH. Nihil prohibet aliam quandam eiusmodi esse artem. HO. Necesse est multos, ô Theætete, eorum qui hæc audiuerunt, cùm adoleuerint, ac res ipsas cominus considerauerint, & veris iam animis res manifestè attrectare coacti fuerint, pristinas opiniones abiicere, atque ita commutare, vt exigua videantur quæ magna, difficilia quæ facilia, & singula passim sermonibus con-

[a] *Sophista falsa & adumbrata pro veris proponit.*

cepta phantasmata, actionum progressibus in contraria verti cogantur. TH. Ita mihi videtur, prout meæ huius ætatis iudicium est. Arbitror enim me adhuc ex eorum numero esse qui à vero procul absunt. HO. At verò nos præsentes tibi opem ferre conabimur, & nunc quidem conamur te quàm proximè ad disciplinam adducere? De sophista in primis mihi dicas, a vtrum inter nos constet præstigiatorem quendam hunc esse verarúmque rerum imitatorem: an adhuc suspicamur ne forte veram illarum rerum scientiam habeat, de quibus contradicere aliis posse videtur? TH. Quis vlterius suspicetur hoispes? Iam ex his quæ dicta sunt, patet eum ex illorum numero esse, qui vna quadam disciplina pollent. HO. Præstigiator itaque & imitator quidam est dicendus. TH. Proculdubio. HO. Deinceps cauendum est, ne prædam hanc dimittamus: fermè nanque sophistam veluti reticulo quodam irretitum ratiocinando comprehendimus. Quapropter hoc saltem minimè subterfugiet. TH. Quid istud? HO. Quòd videlicet vnus quidam est ex his qui impostoris & præstigiis fallunt. TH. Idem quoque mihi videtur. HO. Visum est igitur quàm primùm artem imaginariam, simulachrorum videlicet affectricem, diuidere oportere: cúmque illam ingressi fuerimus, si quidem adhuc nos sophista expectet, capere illum, sicut regia ratio præcipit, & ei tradendo prædam ostendere. Sin autem subintrans artis imitandi particulas delitescat, insequendum esse, & partem quæ sese occulit, diuidendam aperiendámque, quousque omnino comprehendatur. Nam nec iste, nec aliud vllum genus eum fugiet, qui

a *Septima definitio sophistæ, ex proximè dicta collecta.*

qui per omnia sigillatim methodo disquirere potest. TH. Rectè mones, atque ita agendum. HO. Secundum superiorē diuidendi rationē duas nunc imitationis species cernere mihi videor. Ideam verò quam quæritus, vtra in specie ponam nondū mihi nunc videor posse cognoscere. TH. Hasce prius species duas distingue, atque declara. HO. Vnam quidem assimilandi artem in ea video, cuius opus est. secundū exemplaris cōmensurationes quoad longitudinem, latitudinem, profunditatē conuenientésque colores æmulam imaginem fabricare. TH. Quid verò, non omnes qui aliquid imitantur, id pro viribus agunt? HO. Nequaquam, hi præsertim qui magnum aliquod opus aut fingunt aut pingunt. Si.n. veram pulchrorum commensurationē simulachris præberent, minora quàm decet superiora mēbra, maiora verò quæ infrà sunt, apparent, propterea quòd illa eminus, hæc comminus à nobis conspiciātur. TH. Omnino. HO. Ergo artifices, veritate dimissa, nō eas quæ reuera sunt, sed quæ videntur pulchræ cōmensurationes, simulachris ipsis accommodant. TH. Prorsus HO. Alteram igitur speciem, nónne æquū est, cùm imago sit, imaginem vocare? TH. Maximè HO. Nónne igitur species altera assimilatrix vocari debet? TH. Certè. HO. Partem igitur imitatricis alterā, assimilatricem, vt suprà diximus, appellabimus. TH. Sic prorsus. HO. Quid porrò quod apparet quidem pulchro simile, cùm non sit pulchrum, & si quis penitus inspicere queat, nec simile, cui simile videtur, quo illud nomine nuncupabimus? an nō quia apparet quidem, neq; tamen est simile, phantasma dicendum? TH. Profectò HO. An non

a *Artis imitandi duæ species εἰκαστικὴ & φανταστικὴ.*

φάντασμα quid.

plurima & in picturis pars hæc, & in vniuerso imitationis genere est? T H. Nempe. H O. Artē verò illā qua phātasma fingitur, nō imago, phanstaticam meritò nominandam putamus. TH. Consentaneum est. H O. Has equidē duas imaginariæ facultatis species suprà ponebam. Vnā quæ similitudines efficit. Alterā quæ phantasmata. T H. Rectè. H O. Atque id quod ambigebam, vtra in specie sit sophista ponendus, nequēdum satis video. Renera mirandus vir iste, cognitúque difficilis: quandoquidē & nūc quàm scitè tergiuersatus, in obscuræ speciei latebras secessit. T H E. Videtur. HO. Nūquid igitur hoc intelligens, mihi nūc assentiris? an impetus quidā propter hunc sermonem ita te consuetum induxit, vt repente cōfitereris? T H. Quorsum hæc? H O. In arduā profectò, ô beate, considerationē incidimus.

a. *Quomodo circa non ens versetur Sophista.*

Semper enim tam in præterito quā in presenti tempore maximè dubium est quod dicitur. Apparere quidem hoc atque videri esse verò nequaquam: & aliquem loqui quædam, nō tamē vera. Sic enim dicentē oportet mentiri, aut arbitrari ita reuera esse: & qui hoc dixerit, eum sibiipsi manifestò non repugnare, planè, ô Theætete, difficile est. T H. Cur? HO. Quia talis locutio, id quod nō est. esse admittit. Falsum nanque haud aliter quod est, fieret. Magnus autem Parmenides, ô puer, dum pueri adhuc essemus, statim ab initio assiduēque id detestatus est. Sic enim carminib. passim iocatur *Nunquam*, inquit, *& nullo modo sunt illa quæ non sunt. Sed tu hoc tramite quærens mentem cohibe.* Ab illo itaque testimonium perhibetur, sermóque huiusmodi si mediocriter discutiatur, rem patefaciet. Age hoc in primis, si tua

situa nihil interest, inspiciamus. TH. Mea quidem nihil interest, ipse videris, & qua præstare putas, eà & tu pergas & me ducas. HO. Ita prorsus agendum: & mihi respondeo, num pronũtiare quod nullo modo est, audeamus? TH. Quidni? HO. Si quidem nullius contentionis, aut ioci gratia quærendum de his, vel respondendum sit, imò audientium quempiã oporteat seriò nobis nomen hoc, non ens, declarare quo referendum sit, cogniturũ eum putamus quò se vertat, quídue & quo modo interroganti demonstret? TH. Rem arduam scisciteris, vnique mihi, vt ita dicam, prorsus ignotam. HO. Hoc saltem constat, quòd id nomen non ens, nulli eorũ quæ sunt, attribuendum. TH. Quomodo enim id fieret? HO. Cùm verò ad ens, vt ita dixerim, referri non possit, neq; etiam ad aliquid referendũ. TH. Quónam pacto? HO. a Id quoque nobis patet, quòd dictio hæc aliquid, circa ens aliquod vbique pronunciatur, atque impossibile est ipsum aliquid solum & quasi nudatũ ab omnibus his quę sunt sęorsum enuntiare. TH. Impossibile certè. HO. Num ita considerans cõfiteris necessariũ esse eum qui aliquid dicit, vnũ aliquid dicere? TH. Ita. HO. Vnius porrò signum, ipsum aliquid esse dices, duorum & plurium aliqua? THE. Dicam planè. HO. Eum verò qui non aliquid dicit, necesse est neque vnum quid, id est nihil dicere? TH. Necessarium est omnino. HO. Neque id concedendum, hominem talem dicere quidem aliquid, sed non vnũ quid, id est nihil dicere. Atqui neq; loqui dicendus est ille qui conatur non ens proferre. THE. Sermo igitur finem dubitãdi haberet. HO. Nondũ magnum hoc dicas. Extat enim adhuc, ô beate, circa

a *Aliquid vnũ & ens se inuicem consequuntur.*

hæc dubitationum maxima atque prima, quæ circa ipsius principium accidit. TH Quo pacto id dicas, declara neque te pigeat. HO. Ei sanè quod est, aliquid alterum eorum quæ sunt, contingere potest. TH. Nihil prohibet. HO. Ei verò quod non est, aliquidne ex his quæ sunt, adesse vnquam posse dicemus? TH. Nequaquam HO. Vniuersum numerorum genus in ordine eorum quæ sunt, ponimus, TH. Certè, si modò aliud quicquam in eo ponendum. HO. Quare nec numerorum multitudinem, neque vnum non enti adhibeamus, TH. Haud rectè adhiberemus, vt ratio nobis ostendit. HO. Quo pacto igitur vel ore proferret quisquam, vel cogitatione comprehenderet ea quæ non sunt, vel non ens seorsum à numero? TH. Dic qua ratione? HO. Quoties non entia dicimus, nónne numeri multitudinem tentamus apponere? TH. Vtique. HO. Quoties autem non ens, vnum? TH. Manifestum id quidem. HO. Enimverò neque iustum, neque rectum esse diximus, vt quis non enti ens adiungere audeat. TH. Vera loquetis. HO. Animaduertis igitur quod neq; proferri, neq; rectè dici, neq; cogitari nó ens secundũ seipsum potest sed incogitabile, ineffabile, impronuntiabiléque & irrationale existit. TH. Penitus. HO. Nunquid paulo ante mentitus sum, cùm dixi maximam circa illud dubitationem me illaturum? TH. Aliam igitur ista maiorẽ adducere possumus? HO. Quid verò, ô mirifice adolescẽs? an non ex his quæ dicta sunt, vides, quòd nõ ens tãtis eũ qui ipsum redarguit, offundit tenebris, vt cùm primum redargutionem aggreditur, sibimet aduersari cogatur? TH. Quomodo dicis? Dic etiam clariùs.

riùs. HO. Haud opus est clariùs aliquid in me quidem considerare. Equidē cùm supposuissem non ens, nec vnius nec multorū esse particeps tamen & paulò antè & nunc etiā vnum ipsum protuli, dum hoc ipsum non ens pronūtiarem, percipísne? TH. Percipio. HO. Quinetiam paulò suprà inexplicabile ipsum, & ineffabile, & irrationale esse dixi, tenes? TH. Teneo, quídni? HO. An non, dum ipsum esse ei applicare conarer, contrarii superioribus proferebam? TH. Videris. HO. Nónne quum hoc illi attribui, quasi de vno locutus sum? TH. Absque dubio. HO. Imò & irrationale dum dicerem, inexplicabiléque & ineffabile singulariter pronunciarem, perinde ac si vnum esset, verba de hoc faciebam. TH. Quídni? HO. Diximus sanè, si modò quis rectè loqui voluerit, neque vt vnum, neque vt multa determinare ipsum debere, neque omnino ipsum vocare. Vnum enim iam & secundum hanc ipsam appellationem nominaretur. TH. Prorsus. HO. De me igitur quid deinde dicat aliquis? Etenim & suprà, & nūc me in hac pugna aduersus nō ens succubuisse cōperiet: itaq; ex me de non ente loquente, quemadmodum dixi, non est cur firmum rectúmque aliquid expectes. Sed de te iam, si placet, videamus. TH. Quid ais? HO. Age, conare bene & generosè (es. n. iuuenis) & omni mentis conatu rectum aliquid de nō ente proferre, illi nec essentiam nec vnum, neque numeri multitudinem adhibens. TH. Quam temerarius essem, si eandem in qua tu succubuisti, pugnam aggrederer. HO. Ergo si vis, te ac me prætermittamus, & donec in aliquē qui hoc præstare possit, incidamus, interim dicamus sophistā; cæteris

versutè admodũ obscuris sese in latebris occuluisse. TH. Et maximè quidẽ. HO. Verũtamen si eius quod apparet dũtaxat quadã arte pollere sophistã asseruimus, facilè ex isto vsu dicẽdi aduersus nos occasionẽ nactus, in contrariũ sermones vertet. Nam dũ ipsum simulachrorũ authorẽ vocabimus, quid maximè simulachrũ dicamus, interrogabit. Cogitandum Theætete, quid ita percontanti sophistæ respondeamus. TH. Dicemus [a] videlicet simulachra esse illa quæ in aquis & speculis offeruntur, picta quoque & typis expressa, & huius generis alia. HO. Videris, Theætete, sophistam conspexisse nunquam. TH. Cur? HO. Videbitur tibi hallucinari, aut oculis carere prorsus. TH. Qua ratione? HO. Ridebit te qui per figuras speculáque respondeberis, perinde ac si tu videns cum videnteloquaris: simulabítque nec aquas, nec specula, nec eorũ quicquam quæ videntur, sed nec visum ipsum se nosse, atque de hoc tantũ scisciabitur. TH. De quonam? HO. De eo inquam, quod his omnib. quæ dixisti, commune est, & quod quasi vnum in multis sit, vno nomine simulachrũ appellasti. Strenuè itaq; certa, neque ignauè cedas viro, sed generosè respondeTH. [b] Quid aliud, ô hospes, simulachrum esse dicamus, quàm quod ad verisimilitudinẽ accedit quodãmodo, cùm sit ipsum aliud? HO. Cùm aliud tale dicis, vtrum verum, an aliud quiddam intelligi vis? TH. Verum nullo modo, sed simile. HO. Nunquid verum verè ens vocas? THE. Ipsum. HO. Non verùm autem veri contrarium? TH. Quid prohibet? HO. Si ergo id quod simile vocas, verum esse negas, ens quoque existere negas, est tamẽ. TH. Quo pacto? HO. Esse quidem, sed non verè esse fateris.

a *Ad definitionis quæstionem non sunt adferẽdæ species sed vnum in multis declarandum.*

b *Definitio simulachri seu τοῦ εἰδώλου.*

teris. TH. Certè non verum ens, sed imaginem veram. HO. Ergo non verè est ens id quod verè esse imaginē dicimus, & nō verè ens est vere. TH. a Videtur nō ens cum ente miris modis implicitum. HO. Cur non mirū videatur? cernis quā argutè multiceps iste sophista nūc rursus tergiuersando nos inuitos nō ens quodammodo esse fateri coegerit? TH. Video, & maximè. HO. Qua igitur ratione eius artem definiemus, ita vt nobis constemus? TH. Quomodo, quidve veritus ita loqueris? HO. b Quia sophistam circa phātasmata deceptorē quendam asserimus, eiúsque artem decipiendi astutiam nominamus, vtrúmne animā nostram falsa opinari captiunculis eius irretitam, an aliud quiddam dicemus? TH. Hoc ipsum. quid enim aliud diceremus? HOS. Falsa opinio est, eorum quæ sunt opinari contraria? TH. Contraria. HOS. Ais igitur falsam opinionē, quæ non sunt opinati? TH. Aio. HOS. Vtrum non esse quæ non sunt, putas? an quodammodo esse, quæ nullo modo sunt? TH. Si quis vnquam quoquomodo opinando mentitur, necesse est vt quæ non sunt, esse quodammodo iudicet. HOS. Nónne etiam quæ omnino sunt, nullo modo esse putabit? TH. Id quoque. HOS. Et hoc falsum similiter? TH. Et hoc. HO. Quinetiam sermo mendax eadem ratione censebitur, qui videlicet quæ non sunt, esse, & contrà, quæ sunt, non esse pronunciat? TH. Haud aliter mendax effici potest. HO. Fermè non aliter. Non tamen hęc sophista fatebitur. Quo enim pacto mentis compos admiserit, quæ superius concessa sunt, quādo nec dici, nec proferri, neque describi, neque cogitari posse concessum sit? Intelligimus quid dicas Theæ-

a *Non Ens cum Ente miris modis est implicitum.*

b *Sophista quid.*

tete? THE. Quídni intelligamus? obiiciet enim nobis sermonem nostrum sibimet repugnare, cùm ausi simus falsò dicere nõ ens in opinione & locutione versari. Vnde sæpe cogi nos dicet non enti ens admouere, quod tamen fieri nullo planè modo posse suprà cõuenimus. HO. Rectè in memoriam reuocasti. Sed consultandum iam quid de sophista agere nos oporteat. Nam si eum in arte præstigiatorum mendaciúmque ponentes, definire conemur, obiectiones permultæ dubiáque nascuntur. TH. Et quidem valdè. HO. Exiguam hactenus illorum particulam cũ innumeræ, vt ita dixerim, sint, prosecuti sumus. TH. Si hęc ita se habent, impossibile est sophistam comprehendere. HO. Quid ergo? num ab inuestigatione propter mollitiem desistemus? THE. Nullo modo desistendum arbitror, si qua ex parte hunc virum capere valeamus. HO. Veniam itaque dabis, & vt modò dicebas, boni consules, si vel leuiter in quæstione tam ardua profecerimus. TH. Dabo, & libenter quidem. HO. Hoc abs te potissimũ peto. TR. Quídnam. HO. Ne me quasi patricidam quendam fieri censeas. TR. Quorsum hæc? Nam necesse erit Patris [a] Parmenidis sermonem nobis propulsantibus examinare, cogeréque non ens esse quodammodo, & ens rursus quoquo modo non esse. TH. Videtur hoc sane in his sermonibus contendendum. HO. Quí enim non videatur hoc vel (quod dici solet) cæco? nisi enim ista redarguantur concedantúrve, nemo poterit de falsis sermonibus loqui, vel opinione, vel simulachris, aut imaginibus, aut imitationibus phantasmatibúsue, aut de his artibus quæ circa hæc versantur, quin risum audientibus moueat,

[a] *Parmenidis dictũ nõ ens nullo modo esset refutatum.*

ueat, dum sibimet contraria proferre cogetur. TH. Vera loqueris. HO. Propter hæc aduersus paternum sermonem instare audendum, vel dimittendum omnino, siqua pigritia seu verecundia detinemur. TH. At nihil prohibebit quominus id faciamus. HO. Tertium præterea quiddam, & ipsum exiguum quidem, abs te postulo. TH Dic sodes. HO. Dixi paulò antè me talium redargutionem, cùm semper, tum in præsentia nimis [refugere.] TH. Dixisti sanè. HOSP. Vereor ne propter illa quæ à me dicta sunt, furiosus tibi videar, statim me sursum deorsúmue permutans. Nam tui gratia confutationem illius sermonis aggrediemur, si forte confutemus. TH. Hac ergo de causa forti animo ad pugnam accingere. Neque enim me iudice deliquisse diceris, si eum susceperis confutandum. HO. Vndénam commodius disputationem hanc discrimine plenam exordiemur? Hoc vtique calle, ô puer, eundem necessariò puto. TH. Quónam? HO. Vt quæ faciliora videntur primùm discutiamus, ne rerum difficultate deterriti, ab incœptis protinus desistamus, sed vt facilè communi consensu disserendo pergamus, quasi leuiter ac bene de his iudicare possimus. THE. Planiùs quod sentis exprime.

HOS. [a] Leuiter mihi videtur hæc Parmenides prosecutus, & quisquis alius vnquam quot & qualia sint entia determinare est ausus. TH. Quo pacto? HO. Fabulam nobis tanquam pueris vnusquisque narrasse videtur. Vnus quidè, quòd tria sunt quę existunt, quódque illorum quædam inuicem quandoque pugnant, interdum verò conciliata in vnum matrimonium contrahunt, pariúntque, & progenitis porri-

a *Opiniones diuersæ, veterũ Philosophorũ de numero Entiũ.*

gunt alimenta. Alter verò duo posuit, humidũ & siccum, vel calidum & frigidum, eáque coniugauit inuicem atque expediuit. [a] Eleatica verò apud nos doctrina à Xenophane, imò & ab antiquioribus originem ducens, omnia quæ esse dicuntur, vt vnum ponit fabuloséque disserit. [b] Iades autem & siculæ musæ quædam his posteriores, ambo hæc inuicem implicare tutius censuerunt, ita vt ens & multa & vnum sit, discordia verò & concordia teneatur. Dissidens enim semper consentit, vt musæ vehementiores canunt. Remissiores verò musæ semper hęc ita soluunt suspendúntque. Et vniuersum hoc vicissim tum vnum, & amicum sibi propter Venerem esse, tum multa, & sibi ipsi dissidens per discordiam. Durum est autem aduersus tam inclytos antiquósque viros siue vera siue falsa dixerint, ferre sententiam. Tantùm hoc sine inuidia asserere possumus. TH. Quid? HO. Quod nos de vulgo nimium contempserunt. Nam suum quisque opus exquitur, nulla nostri cura adhibita, vtrum eos differentes assequamur, nécne? TH. Quo pacto inquis? HO. Quoties illorum aliquis ait, quod est, vel fuit, vel fit, multa autem vnum, aut duo, & calidum frigido mixtum, discretiones quasdam concretionésque inducens, quid per deos Theætete, ex his significari coniicis? Ego quidem dum eram iunior, si quando id ipsum non ens, de quo nunc ambigimus, proferetur, exactè me intelligere confidebam. Nunc video quò de hoc dubitantes redacti sumus. TH. Vide equidem. HO. Fortè verò & circa eas idè nihilo minus noster animus patitur. Hoc enim intelligere nos quoties profertur, assimamus, illud verò minimè, cùm similiter, vt

[a] *Eleatica Philosophia iam inde à Xenophane omnia quæ sunt, vnũ esse ponit.*

[b] *Ionicis & Siculis siue Italici Philosophi, quid de numero Entiũ senserit.*

puta

puto, vtrunque intelligamus. THE. Fortè. HO. Idem quoque de cæteris quæ suprà narrauimus, dictum sit. THE. Nempe. HO. De multis quidem posteà, si videbitur, considerabimus: de maximo verò, præcipuóque & primo nunc iam cogitandum. TH. Quid ais? an de ente primũ quærendum censes, quid maximè significare velint qui, illud enunciãt? HO. Plane intellexisti Theætete. Aio equidem ita nos disputare debere, ac si adessent illi, atque ita interrogare. [a] O vos, quicunque calidum & frigidum, aut aliqua duo talia cuncta esse asseueratis, quid hoc in ambobus existere vultis, quoties ambo atque vtrunque esse dicitis? hoc ipsum Esse, quid à nobis intelligi debet, quum vos profertis? Vtrum tertium quiddam præter illa duo? Quod si ita est, tria genera iam secundum vos, non duo tantùm ponenda videntur. Sin autem alterum è duobus ipsum ens vocatis, haud similiter vtraque esse dicetis. [Vtrũuis enim ens fuerit vnum non duo erũt.] PH. Vera loqueris. HO. Nunquid ambo ens vocare vultis? THE. Forsitan. HO. At, ô amici, dicemus, hoc quoque modo duo hæc vnum affirmaretis. THE. Rectè infers. HO. Postquam igitur nos in hoc ambigimus, vos saltẽ nobis rem aliquando declarate, quid hoc nomine, Ens, significare vultis, quum id pronuntiatis: constat enim vos iamdiu rem nouisse, nos autem hactenus scire putauimus, nunc hæsitamus, quamobrem hoc nos in primis docete, ne dum quę traditis, discere opinamur, nos opinio fallat. Si hæc exigamus, tam ab iis, quàm ab aliis qui pluſquam vnum ipsum omne ponunt, nunquid errabimus? TH. Minimè omnium. HO. [b] Quid ad eos qui omne vnum

[a] *Aduersus eos qui duo vel plura vno Entia posuerũt, dubitationes proponũtur.*

[b] *Parmenidis omnia vnũ esse dicẽtis opinio examinatur*

esse tradunt, nónne quærendum pro viribus quid ens ipsum dicant? T H. Cur non? H O. Ad hæc ergo respondeant, vnum dicitis esse solũ? dicimus, respondebunt, an non? T H. Ita. H O. Ens aliquid vocatis? T H. Certè. H O. Nũquid idem quod vnum, nominibus ad idem duobus vtentes? an aliud? T H. Quid ad hæc hospes ij respondebunt? H O. Patet, ô Theætete, illum qui hoc supposuit, non facilè ad istas, aliásque obiectiones huiusmodi respõsurum. T H. Qua ratione? H O. Duo quidem nomina confiteri, cùm vnum duntaxat ponatur, absurdum est. T H. Quidni? H O. Quinetiam isthuc omnino recipere absurdum est, si quis nomẽ esse dicat, cuius nulla sit ratio. T H. Quo pacto? H O. Qui ponit nomen à re diuersum, duo quædam induxit. T H. Patet. H O. Præterea si idem cũ re nomen esse concedit, cogetur vel nullius esse nomen: vel si est alicuius, nominis nomen esse fateri, alterius verò nequaquam. T H. Sic est. H O. Et vnum vnius ens solũ: & hoc nominis ipsum vnum ens. T H. Necesse est. H O S. Quid potrò? totum ab ente vno diuersum, an idem dicent. T H. Cur non dixerint? dicent enim, ac dicunt. H O. Si ergo totum est, quemadmodum inquit Parmenides, *æqualis vndique sphæræ moli persimile, à medio ad circunferentiam penitus æquè distans, to enim neque maius quicquam, neque potentius est*, necessarium est cùm * hac, aut illac tale sit, ipsum ens medium extremáque habere, & idcirco partibus quoque constare. T H. Sic oportet. H O. Atqui nihil prohibet ipsum diuisum in partibus omnibus passionem vnius admittere, atque hoc modo & omne ens & totum, vnum existere. T H. Nihil penitus. H O. Quod

8. *Parmenidis vnum cũ sit Totum & habeat partes, non est verè ipsum, Vnum, sed participatione dũtaxat Vnum.*

*In æquales partes hinc & illinc extendatur.

Quod autem hæc patitur, an non impossibile est id ipsum vnum esse? TH. Quare? HOS. quia quod secundum veram rationem impartibile est, id omnino reuera vnum est ponendum. TH. Oportet sanè. HO. [Quod verò tale est, vt ex *pluribus partibus minimè cõstet, cũ Totius ratione minimè consonabit.] TH. Intelligo. HO. Vtrum totum ipsum vnius recipiens passionem, ita & vnum & totum erit? vel omnino non dicimus vnum ipsum totum existere? TH. Optionem ambiguam proposuisti HO. Vera narras. Nam si ens vnum esse admittat, ens & vnum non idem esse apparet, & plura omnia quàm vnum erunt. TH. Certè. HO. Quòd si ens sit totum, ex eo quod totius susceperit passionem, non sit autem ipsum totum: indiguum ens sui ipsius efficitur. THE. Maximè. HO. Enimuero secundũ hunc sermonem cùm seipso priuetur, non ens erit ens ipsum. TH. Sequitur. HO. [a]Atque ita rursus omnia plura quàm vnum existent, cùm tã ens quàm totum propriam naturam seorsim sit sortitum. TH. Profecto. HO. [b]Et si omnino nõ sit totum, eadem hæc enti proueniunt: ac præter id quod contingit non esse, contingit etiam neque factum fuisse ens vnquam. TH. Quid ita? HO. Quicquid factum est, semper factum est totum. Quamobrem neque essentiã, neque generationem tanquam existentem appellare debet, qui vnum vel totum inter ea quæ sunt, non ponit. TH. Omninò sic esse videtur. HOSP. Præterea quod totum non est, quantum esse nullo modo potest. Nam quatenus quantum est, eatenus esse & totum necesse est. THE. Prorsus. HOSP. [c]Innumeræ quoque præter has dubitationes aduersus

*Deest in Græco particula οὐκ quæ omnino supplenda videtur.

a *Vt sibet sententia Parmenidis hæc tria esse oportet Ens, Vnũ, Totũ.*

b *Sine toto Ens esse non potest.*

c *Concl. superiorum.*

eum insurgunt, quisquis ens, aut vnum solum, aut duo quædam ponit. T H. Testantur hoc, quæ modò monstrauimus. Nam aduersus hęc dicta alia semper ex alia grauiórque dubitatio exoritur. H O. Sermones quidem illorum qui de ente & non ente exactè disserunt, non ita valdè retulimus. Veruntamen satis hæc sint.

a *Sententia eorum, qui plura vno, aut duobus Entia posuerunt, examinatur.*

a Eos autem qui secus dicunt, rursus in medium adducamus, vt ex omnibus planè intelligamus nihilo faciliùs ens, quã non ens quid sit definiri posse. T H. Certè & hi adeundi videntur. H O. Videtur vtique inter eos quasi Gigantum pugna quædam esse, propter eam controuersiam quã inuicem de essentia certant. T H. Quo pacto? H O. b Quidam illorum de cœlo & inuisibili regione omnia ipsis certè manibus in terram trahunt, saxa & quercus appræhendentes. Nam cum talia hęc omnia tangant, solũ id esse affirmat quod quoquo modo percipitur, atque tangitur, idémque corpus & essentiam tradunt. Quicquid verò absque corpore dicitur esse, contemnunt, nihil aliud audire volentes. T H. Noui equidem quos viros dixeris. Tales enim multos reperi. H O. c Horum autem aduersarij cautè admodum atque piè supernè ex inuisibili sede pro inuisibili essentia pugnant, atque intelligibiles quasdam & incorporeas species cogunt veram subsistentiam existere. Illorum verò corpora, eámque quam nominant veritatem, in minima rationibus partiuntur, generationémque pro essentia fluentem denominant. Vnde ingens & inextricabilis pugna inter vtrosque de his semper extitit. T H. Vera narras. H O. Ab vtrisque itaque rationem essentiæ quam ponunt, sigillatim iam exigamus. T H. Quomodo exige-

b *Positio eorũ qui id solùm esse dicunt quod tangitur.*

c *Positio eorum qui dicunt id solũ esse quod intelligitur: & Ideas quasdã inuisibiles ponunt: Heracliteos autem intelligit.*

mus?

mus? HO. Ab iis qui in speciebus essentiam locant, facilius, mitiores enim sunt: ab illis autem qui ad corpus vi singula trahunt, durius: fortè verò est impossibile. Verùm sic de illis agendum videtur. TH. Quo pacto? HO. Præstaret illos re ipsa meliores, si fieri posset, efficere. Sin autem id fieri nequit, danda opera est vt sermone saltem efficiamus, supponentes eos modestius atque rectius quàm nunc responsuros. Quod enim à potioribus conceditur, firmius atque potius est, quàm quod à deterioribus est concessum. Nos autem non id curamus, sed quærimus veritatem. TH. Probè. HO. Iube eos meliores factos tibi proinus respondere, & quod aiunt interpretare. THE. Fiet. HO. [a]Vtrum quod mortale animal nominant, esse aliquid asserunt? THE. Quidni asserant? HO. Nónne hoc animatum corpus appellant? TH. Valdè. HO. Dum hoc ferunt, animam esse aliquid volunt? TH. Ita. HO. Animam vnam iustam, iniustam alteram, vnam sapientem, insipientem alteram arbitrantur? TH. Vtique. HOS. An non iustitiæ aliorúmque talium habitu præsentiáque talem animam fieri, contrariorum verò contrariam? Hæc quoque fatentur. HOS. Quod alicui adesse & abesse potest, esse aliquid dabunt? TH. Dant certè. HOS. Cùm ergo sit aliquid iustitia, & sapientia, & virtus quælibet, necnon virtutis cuiusque contrarium, & anima præterea cui hæc accidunt, vtrum videri tangique possit istorum singula, an non opinantur? THE. Fermè nullum ex his videri. HOS. Nunquid horum aliquod habere corpus existimant? TH. Haud simpliciter ad hæc respondent, sed animam quidem corpus aliquod habere, sapiè-

a *Adu. eos qui nihil est corpus & vi sibile volũt. disput.*

tiam verò & cætera de quibus percontabaris, aut nihil esse, aut corpus asserere, nondum audent. HO. Proculdubio Theætete meliores viri iam euaserunt: nam quicunque ex illis tanquã Cadmæi quidem sati, atque indigenę sunt generis authores, horum neutrum asserere verentur, imò quod pugno premi nequit, oio nihil esse contenderent. T H. Fermè quod sentiunt enarrasti. Ho. Ab illis iterum perquiramus. Nam si quid vel exiguum quidem incorporeum esse concedunt, sufficit. Quod enim incorporeis simulátq; corporeis rebus est insitum, cuius ratione esse vtraque dicunt, hoc ab illis exprimi oportet. T H. Deesset fortè illis responsio, si quid eis tale contingeret. H O. Vide vtrũ proponentibus nobis ens tale quiddam existere, admissuri sint. T H. Quídnam? declara. Fortè enim intelligemus. H O. Dico quidem quicquid potentiam quancunque nactũ est, vel ad aliud agendum, vel patiendũ ab alio, quamuis minimum quid à vilissimo quodam, & si solùm semel, quodlibet tale reuera esse. Et hac ens definitione describo, nihil aliud quàm potentiam esse. T H. At verò postquàm in præsentia ipsi hoc melius nihil habẽt, hoc & accipiunt. H O. Probè. Forsitan enim deinceps nobis aliquando & illis aliter dicendum videbitur. Atque id nunc erga illos admissum rarũmque maneat. T H. Manet. H O. [a] Ad specierum amicos iam descendamus, tu autem nobis illorum sensum interpretare. TH. Fiet. H O Aliud essentiam, aliud generationẽ dicitis, alterum ab altero secernentes? T H E. Absque controuersia. H O Et corpore quidem nos per sensum cum generatione communicare, anima verò per rationem cum vera essentia,

[a] *Eorum qui Ideas solas esse dicunt opinio excutitur & refutatur.*

tia,quam ſemper ſecundum eam,& eodem mo
do eſſe habere,generationem verò aliàs aliter
apparere aſſeueratis? T H. Aſſeueramus. H O.
Communionem hanc,ô viri omnium optimi,
quid in ambobus eſſe dicitis?num id quod nõ
paulò antè inducebamus? T H E. Quid iſtud?
H O. Paſſionem vel actionem ex potentia qua-
dam ab iis quæ inuicem congrediuntur pro-
uenientem. Forſitan illorum ad hæc reſpon-
ſionem,ô Theætete,haud ſatis percipis, ac me
diuturna cum illis conſuetudo ad percipien-
dum iuuat. T H. Quid ergo reſpondent. H O.
Nõ dant nobis quod ſuprà aduerſus homines
terra genitos,de eſſentia dictum. T H. Quid il-
lud? H O. Sufficientem entium definitionem
hanc poſui,videlicet quando alicui agendi vel
patiendi vis aliqua vel minima adeſt. T H. Hâc
ipſam. H O. Ad hæc aiunt, quòd generatio po-
tentiæ agendi vel patiendi eſt particeps, eſſen-
tiæ verò nulla huiuſmodi potentia conuenit.
T H. An non id quod dicunt,aliquid eſt? H O.
Ad hoc à nobis obiiciendum quod clariùs ab
illis audire cupimus,vtrum aſſentiantur ani-
mã cognoſcere,eſſentiam vero cognoſci? T H.
Affirmant profecto. H O. Cognoſcere vel co-
gnoſci actionem vocatis, vel paſſionem,vel v-
trunque? aut aliud quidem pati, aliud autem
agere, vel omnino neutrum iſtorum neutro
participare vultis? Patet quod neutro neu-
trum. Alioqui contraria illorum quæ ſu-
prà conceſſerant, nunc admitterent. T H E.
Intelligo. H O. Si quidem cognoſcere, agere
aliquid eſſet, cognoſci vero pati,quod cogno-
ſcitur pateretur. Et idcirco eſſentiam hac ra-
tione pati ex ipſa cognitione cõtingeret,dũ co
gnoſcitur: & quatenus cognoſcitur, eatenus

pati : & quatenus patitur, eatenus & moueri. Quod circa rem ſtabilem fieri non poſſe dicimus. T H. Rectè. H o s. Quid vero? dic per Iouem, reuera motum, vitam, animam, ſapientiam, nunquid ab eo quod omnino ac verè eſt abeſſe prorſus exiſtimandum, neque viuere ipſum, neq; ſapere: ſed venerandum, & ſanctũ, & mentem non habens, immobileque actum eſſe. T H. Abſurdum nimis id hoſpes, ſi concedatur. H o. Nunquid mentem quidem habere, vitam verò minimè? T H. Quî iſthuc? H o s. An hæc vtraque ineſſe illi dicemus, non tamen ab eo in anima contineri? T H. At quônam modo alio contineret? H o s. a Vtrum mẽtem, vitam animam habere dicendum, immobile tamen cum omnino ſit animatum conſtere? T H. Hæc omnia mihi ratione carere videntur. H o. Et id quod mouetur igitur & motum eſſe fatendum. T H. Quid obſtat? H o s. Ex hoc, ô Theætete, ſequitur, mentem nulli rerum immobilium, vſquam, nullóque modo, adeſſe. T H. Sequitur planè. H o s. Veruntamè ſi fieri agitaríque cuncta conſentiemus, hoc ſermone ipſum idem ex genere rerum exiſtentium auferemus. H O. Qua ratione? H o. Videtur tibi abſque ſtabilitate eſſe vnquam poſſe quod dicitur ſecundum eadem, eodem modo, & circa idem? T H. Nequaquam. H o s. Cernis vſquam ſine his mentem, vel fuiſſe, vel eſſe? T H. Minimè. H o s. Aduerſus eum omni ratione conatu pugnandum, qui ſcientiã, prudẽtia, mentéque ſublatis, quicquam aliud aſſeueret. T H. Et vehementer quidem. H O. Neceſſe eſt eum qui philoſophatur, atque iſta in primis honorat, propterea neque ſermonem illorum admittere quicunque vnam ſpeciem rerum

a *Motus & quies ex rerũ natura tolli nõ poſſunt.*

rum vel plures inducentes, totum ſtare ſolùm ferunt, neque illos audire, qui ens moueri dũtaxat affirmant: verùm ſecundum puerorum opinionem compræhenſis omnib. quotcunq; vel ſtant, vel mouentur, ambo ſimul ens & omne vocare. TH. Vera loqueris.

HO. An non vt decet ens ſermone iam cõprehendiſſe videmur? TH. Prorſus. HO. Papę, ô Theætete, quãta nunc in ambiguitate verſamur! Nihil enim aliud nũc præter difficultatẽ conſiderandi noſſe mihi videmur. TH. Quorſum hæc? HO. Vidéſne, ô beate, quòd dum illud penitus ignoramus, dicere tamen de illo nos aliquid arbitramur? TH. Et ego arbitror, ſed vbi fefellerimus nos, haud plane intelligo. HO. Animaduerte obſecro diligentius, num in præſentia nos his cõceſſis meritò quis petin de interrogare poſſet, vt & ipſi ſuprà interrogauimus eos qui omne calidum & frigidũ eſſe volebãt? TH. Quemadmodũ? memora mihi ſi placet. HO. a Placet verò, idque efficere conabor, eodem modo abs te nunc quærens quo ab illis, vt aliquid proficiamus. TH. Optimè. HO. Motum & ſtatũ nõnne inuicem cõtraria maximè nuncupas? TH. Cur non? HO. Enimuerò eſſe illa ſimiliter ais, & ambo pariter, & vtrunque. TH. Aio equidẽ. HO. Quando eſſe vtrunque & ambo concedis, nũ moueri prædicas? TH. Nullo pacto. HO. An ſtare fortè ſignificas, cũ eſſe vtrunque dicis & ambo? TH. Neque hoc. HO. Ergo tertium quiddã ipſum ens cogitas: & tanquã ſub illo motus & ſtatus contineantur, compræhendis vtraque, atque eorum in eſſentia communionem reſpiciens hc eſſe ambo denominas. TH. Videmur reuera tertium quiddam ipſum ens vaticinari,

a *Dubitationes de Ente & eius ſuprà allatæ enodantur.*

quando motum & statum esse dicimus. HO. Hac de causa ipsum ens ambo ista motus & status nō est, sed præter hæc aliud. TH. Apparet. HO. Ens itaque suapte natura neq; stat penitus, neque mouetur. TH. Sic ferme dicendū. HO. Quónā cogitatio conuertenda vt animus de ente ratum aliquid & manifestum habeat? TH. Ignoro. HO. Haud facilè vsquam arbitror. Si quid enim non mouetur, cur non stat saltem? vel quod non stat, cur non moueatur? Ens verò nobis extra hæc vtraque esse apparuit, fierine id potest? TH. Minimè omniū. HO. Hoc vtique recordari in præsentia debemus. TH. Quale id? HO. Quòd de nō entis nomine interrogati cuinam conueniret, declarare nequiuimus. Recordarisne? TH. Quidni recorder? HO. Nunquid circa ens modo minore in dubitatione versamur? TH. Mihi quidem hospes, si modò dici potest, magis deficere nūc videmur. HO. Hoc ergo hīc ponatur ambiguum, post quàm verò tam ens quàm non ens ex æquo nobis obscurum est visum, spes restat deinceps, si alterum clarius vel obscurius videbitur, & alterum similiter visum iri: & si alterum ignotum penitus, alterum quoque similiter fore. Sermonem igitur quantum possumus decentissimè circa vtrunque pariter persequamur. TH. Scitè. HO. Dicamus planè quo pacto multis nominibus idem hoc appellamus. TH. Exemplū ad hoc inducas, HO. Homines vnum vocantes, cognomentis multis denominamus, dū colores illi, figuras, magnitudines attribuimus, virtutésq; & vitia, in quibus omnibus aliisque permultis non tantùm esse ipsum dicimus, sed & bonum & alia multa, atque in aliis similiter agimus.

a *Quomodo vnus sit multa.*

Quod-

Quodlibet enim vnum ponentes, multa deinde multísq; nominibus appellamus. TH. Vera narras. HO. Vnde iuuenib. vt arbitror, & serò discẽtib. senibus cõuiuiũ præparauimus. [a] Nã continuò quisque obiicere potest, quod impossibile sit multa, vnum, & vnum multa esse. Quapropter exultant dum hominem bonum dici non sinunt, sed bonum quidem, bonum: hominem verò, hominẽ. Incidisti sæpenumero, vt arbitror, Theætete, in homines, qui argutiis eiuscemodi student, plerunque etiam seniores, qui propter inopiã sapientiæ hæc admirantur, & tanquam magnificum quiddam inuenerint, se temerè iactant. TH. Et maximè quidem. HO. Vt igitur cunctos quicunq; de essentia vnquam aliquid locuti sunt, sermo compræhendat, quæ deinceps interrogando subiiciemus, tam aduersus hos, quàm aduersus alios, quos suprà retulimus, dicta intelligantur. TH. Quænam ista? HO. Vtrum neque essentiam cum motu statúue iungemus, neque aliud quicquã cum alio quoquam, sed quasi inuicem res communicare nequeant, nostris sermonibus eas penitus secernemus? An in idem omnia cogemus, tanquam misceri singula possint? [b] An partim licebit quidẽ, partim minimè? Quid ex his potissimũ Theætete, electuros illos putamus? TH. Nescio quid pro illis respondeam. Cur non sigillatim respondendo, quid ex vnoquoque sequitur exq[illegible] fuisti? HO. Rectè admones. Ponamus [illegible] si vis, dicere illos nihil cuiquã vllo pact[illegible] se quicquã cõmunicare. Nónne mo[illegible] tur & status nullo modo essentia [illegible] bunt? TH. Nullo modo certè. HO. [illegible] rũ aliquod cũ neutrũ sit, essẽtię p[illegible]

[a] *Sophisma peruulgatũ notat, de quo in Philebo.*

[b] *N[illegible] or[illegible]*

[c] *[illegible]ntia [illegible]ni[illegible] simul [illegible]nisc[illegible]ntur, nec nulla.*

[illegible]ui- [illegible]rgo [illegible] pos- [illegible]us igi- [illegible]articipa- [illegible]ũ erit illo- [illegible]rticeps? TH.

Non erit. HO. Statim hac consensione omnia, vt videtur, peruersa sunt, tum illorum dogmata qui moueri omnia, tum illorum qui stare vt vnum volunt: ac etiam illorum qui secundum species ea quæ sunt, eodem modo & secundum eadem esse semper existimant. omnes enim esse adiungunt: partim verò moueri, partim verò stare dicentes. TH. Sic est omnino. HO. Quinetiam quicunque interdum componunt omnia, interdum diuidunt, siue in vnum & ex vno in infinita, siue in terminata elementa diuidant, & ex his componunt: similiter quidem si interdum id fieri ponant, similiter si semper: in his inquam omnibus nihil veri dicunt, quandoquidem rerum est nulla commixtio. TH. Rectè. HO. Præterea & ipsi quàm absurdissimè sermonem transigerent, si nihil permitterent Alterius passionis communione Alterum appellari. TH. Quomodo? HO. Ipso Esse circa singula quodammodo vti coguntur, & ipso Seorsum, & Altero, & Secundum seipsum, & innumeris aliis: quibus cùm abstinere nequeant quin sermonibus suis interserant, nullis aliorum redargutionibus indigent, sed vt fertur, domi hostem & aduersarium habentes, intus submurmurantem, tanquam absurdum illum * Euryclem circunferentes semper incedunt. TH. Verum est quod dicis ac simile. HO. Quid verò, si omnia vim mutuæ cõmunionis habere dicamus? hoc profectò & ipse refellere possum. TH. Qua ratione? HO. Quoniam & motus ipse omnino quiesceret, & status agitaretur, si inuicè cõmiscerentur. Hoc autem summa quadã necessitate impossibile est, motũ stare, statúmue moueri. TH. Cur non?

* Euryclesprouerbium.

non? HO. Tertium itaque solùm restat. TH. Sanè. HO. Etenim vnũ aliquod istorũ necessariũ est, vel omnia, vel nulla, vel alia cõmisceri, alia minimè. TH. Necessarium prorsus. HO. Duo quidem reperiri non possunt. TH. Non certè. HO. Sequitur vt quicunque rectè respondere vult, reliquũ è tribus ponere debeat. TH. Maximè. HO. Quandoquidem alia coire volunt, alia minimè, fermè idem rebus aliis quod de literis euenit. Nam quædã ex literis inuicem copulantur, quædã minimè. TH. Patet. HO. Vocaliũ quippe literarũ series per alias omnes tãquã vinculũ quoddã protẽditur, sine quo nullæ inuicẽ literæ vinciri possiunt. TH. Et maximè quidẽ. HO. An intelligit vnusquisq; quæ literæ quib. cõgruãt? vel arte opus est, vt rectè id fiat? TH. Arte. HO. Qua? TH. Grãmatica. HO. Nónne idẽ circa grauiũ & acutorũ sonos? Qui enim voces inuicẽ cõsonas, dissonásue arte dignoscit, musicus: qui verò ignorat, musicæ expers. TH. Ita est. HO. Et in aliis artibus, artiúmque defectibus eiusmodi alia reperiemus. TH. Manifestum id quidem. HO. Cùm verò & genera rerum eodem pacto mutuam communionem habere dixerimus, nónne scientia quædam sermones peragere debet, quisquis rectè qualia genera qualibus congruant, aut dissonent, sit ostensurus? quinetiam per omnia cognitus si ista conueniant adeò vt commisceri possint, & in diuisionibus rursus, si per omnia aliæ diuisionis sunt causæ? TH. Scientia prorsus opus est, ac fermè omnium maxima. HO. Quam igitur hanc appellabimus Theætete? Nunquid per Iouem imprudentes in liberalium hominum scientiam in-

cidimus? Cúmque quæreremus sophistam prius inuenisse videmur philosophum. TH. Quî isthuc? HO. Per genera diuidere, & neque eandem speciem alteram putare, neque alteram rursus eandem esse, [a] nónne dialecticæ officium esse dicemus? TH. Dicemus profectò. HO. Quicunque hoc agere potest, vnam ideam per multa, vnoquoque seorsum posito, passim porrectam acutè persentit, & multas quæ diuersæ inter se sunt extrinsecus sub vna comprehensas, & vnã rursus per tota illa, quæ multa sunt, in vno copulatam, & multas seorsum vndique distinctas. Hoc autem est scire, per genus discernere quâ singula cõmunicare vicissim possunt, & quâ nõ possunt. TH. Omnino. HO. [b] At verò dialecticũ opus haud alteri dabis, vt arbitror, quàm purè legitimèque philosophanti. TH. Quo pacto alteri dari posset? HO. [c] Philosophũ quidẽ tali quodam in loco, & nunc, & in posterum, si quæremus, inueniemus, quanquam & hîc non facilè conspici potest. Sed alia ratione sophista, alia philosophus intuitũ refugit oculorũ. TH. Qua? HO. Sophistam pono, quia in non entis tenebras aufugit, & diuturna consuetudine tenebris illis offunditur, idcircò sũma difficultate discernitur. TH. Sic est. HO. Philosophus autẽ entis ipsius ideę ratiocinatione semper inhærens, ob regionis illius splendorẽ haud facilè cernitur. Nã vulgariũ animarũ oculi diuinorũ intuitũ constanter sustinere non possunt. TH. Consentaneũ est ista sic non minus quã illa sese habere. HO. De hoc aliàs clarius, si pro voluntate licebit, tractabimus. Sophista verò non prius est intendus, quã sufficienter à nobis sit cognitus,

[a] *Dialecticæ officium rectè diuidere, & nosse quæ genere aut specie communicẽt & quæ seorsum.*

[b] *Dialecticæ opus pertinet ad purè philosophantem.*

[c] *Philosophum non magis facilè est inuestigare quàm sophistã, sed diuersa ratione.*

ns. TH. Egregiè. HO. Postquá ergo inter nos conuenit ex generibus quædam vicissim congredi, quædá penitus dissidere, & alia quidem cú paucis, alia cũ multis, nonnulla quoque per omnia omnibus cohærere, sequamur deinceps rationem sermonis huius in hunc modum considerantes. Non de omnibus speciebus inquam, ne multitudine confundamur, verú quasdá ex iis quæ maximæ appellantur eligentes, ptimũ quidem quales quæq; sint, deinde quã vim mutuæ cõmunionis habeant, vt ens atque non ens, si non possumus perspicua penitus notione cõprehendere, saltẽ congrua his disputãdi ratione non careamus, quoad inuestigationis huius cõditio patitur: [ita vt si aliqua ratione à nobis ipsũ nõ Ens adũbratũ fuerit extra culpã nobis liceat dicere ipsũ *entier esse nõ ens.] TH. Decet sanè. HO. Maxima vetò omnium genera quæ modò referebamus ens ipsum & status & motus. TH Valdè. HO. Duo hæc inuicẽ misceri non posse, dictum est. TH. Certè. HO. Ens verò vtrisque misceri: ambo enim quodámodo sunt. TH. Nihil obstat. HO. Sequitur vt tria sint hæc. TH. Sequitur. HO. An non horũ quodlibet à duob. reliquis alterum est sibi idẽ? TH. Est. HO. Quid ita nũc Idẽ & Alterũ diximus? Nũquid vt duo quædá genera alia quã tria superiora, illis autem necessariò semper adnexa? atq; ita de quinq; generibus cogitandum? An idẽ hoc & Alterum illorum quiddá enunciauimus, quod tamẽ nos latuit? TH. Forsitan. HO. At verò motus statúsque neque Alterum est, neq; Idẽ. TH. Quã ob causam? HO. Quod communiter motum statumue vocamus, hoc neutrum illorum esse potest. TH. Cur? HO. Quia & motus staret, &

*i. ipsum nõ sine aliqua Entis participatione esse non ens.

ſtatus itidem moueretur. Circa enim ambo Alterum, vtrumuis illorũ effectũ, cogeret alterum in naturæ ſuæ tranſire contrarium, vt pote contrarij particeps. TH. Prorſus. HOS. Ambo tamen Eodem Alteróue participant. TH. Nempe. HO. Ne ergo dicamus, aut motum eſſe Idem vel Alterum, aut Statum ſimiliter. TH. Non certè. HOS. Sed nunquid Ens & Idem quaſi vnum quiddam nobis cogitandum? TH. Fortè. HO. At ſi ens & idem nihilo inter ſe differunt, quoties motũ & ſtatũ ambo eſſe dicemus, ambo ſimiliter iſta idé, ſicut entia denominabimus. TH. At hoc impoſſibile. HO. Non poteſt igitur idé & ens, vnũ eſſe. TH. Sic fermè dicendũ. HO. Quattá ergo ſpeciem præter tres ſuperiores ipſum idem ponamus. TH. Ponamus. HO Nunquid ipſum Alterum quinto loco ponendũ? vel hoc & ens nomina duo vnum quiddam ſignificare putandũ? TH. Fortè. HO. Arbitror tamen conceſſurum te, quòd eorũ quæ ſunt, quædam ipſa ſecundum ſeipſa ſunt, quædam ad alia referuntur. TH. Quidni? HO. Alterum autẽ ſemper ad alterũ. nónne? TH. Semper. HO. Non tamen ita, niſi alterum, & ens inter ſe longè differrent. Sed ſi alterum ſpeciebus vtriſque participaret, vt ens, eſſet vtique aliquid eorum, quæ altera ſunt, alterum vtique non ad alterũ: nunc autem quicquid reuera alterũ eſt, ex neceſſitate ſequitur, vt ſecundum id quod eſt, alterum ſit. TH. Sic eſt, vt dicis. HO. Quintá ergo alterius ipſius naturá in ſpeciebus, quibus adiũximus, ponere decet. TH. Profectò. HO. Dicendum quoque per omnia hæc illam diſcurrere. eſſe enim ex aliis vnumquodque alterum, non per ſuiipſius naturam, ſed quia alterius ideæ ſit parti-

particeps. TH. Reuera. HO. [a]Sic autẽ de quinque sigillatim repetẽdo dicamus. TH. Quis? HO. Principiò, quòd motus omnino alterũ quidcam est, quàm status. Itáne an aliter asserendum? TH. Ita prorsus. HO. Non ergo status est. TH. Nullo pacto. HO. Est autem, ex eo quòd entis est particeps. TH. Est. HO. Rursus motus alterum est, quàm ipsum idẽ TH. Fermè. HOS. Non ergo ipsum idem est. TH. Non certè. HO. Attamen idem quodammodo est propter participationem. Omnia enim ipso eodem participant. TH. Summopere. HO. Concedendũ igitur sine controuersia motum, & idem esse pariter & non idem. neque enim cùm dicimus motum idem esse, & non idem, simili ratione pronunciamus: sed idem, quia ipsius eiusdem particeps, sibimet idem est. Non idem verò, quia ipsum quoque alterum recipit, quo ab ipso eodem seiungitur, neque illud est, sed aliud quiddam. Quamobrem rectè non idem dicitur. TH. Rectè nimirum. HO. Quinetiam si quo modo statum ipse motus admitteret, motum stabilem nominare nequaquam esset absurdum. THE. Rectè, siquidem concesserimus è generibus quædam inuicem communicare velle, quædam minimè. HOS. At verò ad huius prius quàm præsentium demonstrationẽ, refellendo peruenimus, quòd videlicet sic natura se res habeat. TH. Cur non? HO. Dicamus iterum motũ alterum esse, quàm ipsum alterum, quemadmodum aliud, quàm idem, & status erat. TH. Necesse est. HO. Est ergo & alterum hac ratione quodammodo & non alterum. TH. Verum. HO. Quid verò deinceps? Num alterum ipsum, quàm tria dicemus, non tamen à quarto diuersum, cùm quinque illa

[a] *Recapitulatio proximè dictorũ.*

esse confessi fuerimus, è quibus vnum considerandum proposuimus? TH. At quomodo? HO. Neque enim minorem illorum numerũ quàm suprà constituerit, concedere possumus. Itaque nihil veriti pugnemus motũ aliud esse, quàm ens. TH. Asseueremus protinus. HO. Quare motus reuera non ens existit, & ens, quandoquidem entis est particeps TH. Manifestum id quidẽ. HO. Sequitur itaque non ens

a *Non ens est in omnibus generibus.*

in motu, & in aliis generibus omnibus esse. Nam in singulis alterius ipsius natura, dum alterum vnumquodque quàm ipsum ens efficit, non ens efficit singula: atque ideò cuncta similiter non entia hac de causa prædicabimus. & quia ente participant, esse iterum dicemus, entiáque vocabimus. TH. Fortasse. HO. Ergo circa speciem quamlibet ens quidẽ multiplex est, non ens autem multitudine infinitum. TH. Videtur. HO. An non ipsum quoque ens aliud, quàm vnumquodque aliorum est

b *Non Ens, Entu non est contrarium, sed diuersum quid duntaxat.*

dicendum? THE. Necesse est. HO. Ens itaque quot numero alia sunt, totidẽ non est ipsum: nam cùm illa ipsum non sit, vnum quidem ipsum est: alia verò quæ infinita sunt numero, non est. TH. Ita penè dicendum. HO. Haud sanè turbari nos his decet siquidẽ natura gene-

c *Negatio præposita nominibus, non indicat contrarium eius nominis seu rei cui præponitur: sed diuersum duntaxat.*

rum mutuam communionem habet. Siquis autem minus hæc accipit, sciendum positis superioribus, concedi hæc insuper oportere. TH. Iustissimè dicis. HO. Videamus & hoc. TH. Quidnam? HO. a Quoties non ens dicimus, vt videmur, nequaquam entis contrarium dicimus, sed alterum quiddam solùm. TH. Quomodo? HO. Ceu cùm aliquid non magnum dicimus, non magis paruum, quàm æquale eo vocabulo significamus. TH. Sic est. HO. c Non

ergo

ergo contrarium, quando negatio dicitur, significari fatebimur: tantùm verò duntaxat asseuerabimus, quòd nō, & neque, aliquid ex aliorum numero significant, quando antecedunt ipsa nomina, imò quoties antecedunt res ipsas, circa quas nomina negationes sequentia pronuntiantur. T H. Sic est omnino. Ho. Hoc præterea si tibi videtur, meditemur. T H. Quid istud? H o. Ipsius alterius natura eodem modo, quo & scientia, concisa videtur. T H. Quo pacto? H o s. Vna quidem est & illa, pars autem illius in aliquo residens, sigillatimque determinata, cognomentum proprium est sortita: quocirca multæ artes scientiæque esse dicuntur. T H. Prorsus. Ho. Nónne & partes naturæ ipsius alterius, quæ vna est, idem quod & partes scientiæ patiuntur? T H. Forsitan. Verum qua ratione, dicamus. Ho. Est pulchro pars aliqua ipsius alterius oppositæ? T H. Est. Ho. Hánc ne omni cognomento carere dicemus? an potius cognominari? T H. Cognominari. Quod enim non pulchrū vbique pronunciamus, hoc non ab alio quoquam alterum est, quàm à pulchri natura. Ho. Age itaque ad hoc respónde. T H. Ad quid respondeam? Ho. Cùm aliquid in parte quadam entium determinatum sit rursúsque alicui entium opponatur, contingátne ita non pulchrū dici? T H. Ita. Ho. [a] Eius itaque quod est ad id quod est oppositio, sequitur esse id quod non est pulchrum. TH Rectè admodum. Ho. Nunquid ex hoc sermone pulchrū magis in numero entium, non pulchrum minus ponendum? T H. Nihilo magis. H o. Similiter ergo tam nō magnum, quàm magnū esse dicendū. TH. Similiter. Ho. Quinetiā non iustū secundum hæc

[a] *Ens non Enti opponitur.*

ac iustum ponemus, vt alterum altero nihil magis sit. TH. Absque dubio. HO. Eadémque erit de cæteris ratio, postquam alterius ipsius natura, è genere entium esse apparuit. Ea verò existente, necesse est & partes eius nihilominus existere. TH. Quid prohibet? HO. Oppositio ipsa quæ est inter partem naturæ ipsius alterius, partémve entis, nihilominus si dictu fas est, quam ens ipsum essentia est: neque cõtrariũ illius, sed alterum quiddã duntaxat significat. TH. Perspicuè. HO. Quã igitur ipsam appellabimus? TH. Constat vtique quòd non ens id, quod à nobis sophistæ gratia quæsitũ, hoc ipsum est. HO. [a] An vt dicebas nihilominus, quàm cæterorum quicquam essentiam habet? oportétque audacter iam dicere, quòd non ens firmiter naturam suam habet, quemadmodum magnum erat magnum, pulchrúmque erat pulchrum, ac etiam non magnum, & non pulchrũ. Eodémque pacto non ens, secundum idé erat, & est non ens species vna multis aliis entibus adnumerata. Nunquid vlterius circa hoc Theætete diffidimus? TH. Nequaquam. HO. Aduertísne quàm longè à Parmenidis interdicto deuertimus? TH. Cúrnã? HO. Illius limites transgressi sumus, dum vlterius quàm statuerit cõsiderauimus & ostendimus. TH. Quo pacto? HO. Quoniam, inquit ille, *Nunquam, & nullo modo sunt non entia.* Sed tu quærens ab hac via cohibe mentem. TH. Dicit equidem sic. HO. Nos autem non solùm, non entia esse ostendimus, sed quæ sit nõ entis species demonstrauimus. Cùm enim ostenderemus alterius ipsius naturam esse, pérque omnia entia diuisam atque dispersam inuicem, tunc partem eius oppositam ei quod cuiusq

[a] *Non Ens est non minus quàm ipsum Ens.*

cuiusque ens est, esse ipsum re vera non ens asseruimus. TH. Vera prorsus, ô Hospes, dixisse mihi videmus. HO. Nemo itaque dicat, quòd postquam non ens entis contrarium ostendimus, esse ipsum dicere audeamus. Nos enim vale ei diximus qui roget, quod contrarium est alicuius reuera sit nécne, & ratione quadam subsistat, aut ratione careat. Quod autem nunc diximus esse non ens, vel reprobare debet, qui minus credit, vel si reprobare non valet, eousque credere, quousque contradicere nequit: quòd videlicet genera inuicem sint commixta, énsque & alterum per se inuicem pérque alia omnia penetrando, sese mutuò capiant, dum alterum ente participat. Est enim ob participationem huiusmodi, non tamẽ est illud ipsum quo participat, sed aliud quiddã. Cùm verò aliud sit, quàm ipsum ens, necessariò sequitur, vt non ens esse dicatur.[a] Ens quoque ex eo quòd est ipsius alterius particeps, alterum quiddam ab aliis generibus est dicendum. Cúmque alterum sit, quàm reliqua cuncta, nec vnum aliquid ex illis, neque cuncta alia existit, sed ipsum quod est duntaxat, quapropter ens absque dubio in plurimis plurima non est. Et alia quoque similiter, tã vniuersa, quàm singula multifariã quidem sunt, & multifariam non sunt. TH. Vera narras. HO. Siquis contrariis hisce conuersionibus fidem non præstat, cogitare debet, vt meliora quàm hæc inducat: aut siquis quasi arduum quiddam inuenerit, gaudet, nunc huc, nunc illuc sermones trahens, is sciat haud sanè multo studio digna se excogitauisse, quemadmodũ sermones hi testantur. Hoc enim neque egregiũ aliquid, neque inuentu difficile est, sed illud

[a] *Ens etiam est non Ens respectu multarum rerũ.*

arduum atque præclarum. TH. Quídnam? Ho. Quod & suprà dictũ est, vt his velut quæ fieri possint omissis, ea quæ dicuntur singulatim redarguendo quis asequi possit, & cùm quod aliud est, idem esse quis dixerit: & cùm quod idem est, aliud. [a] Nam quod idem est, alterum, aut quod alterum, idem etiam quoquomodo esse, & quod magnum est, paruum, & quod simile, dissimile etiam sit, ostendere: & contraria hoc pacto connectere, haud vera redarguentio est, sed vix leuiter rem attingens, rudisque & nuper nata. TH. Omnino quidem. Ho. Nam omne ab omni secernere, ô adolescens opteme, & inconcinnum est, & hominis musicæ philosophiçq; prorsus expertis. TH. Quãobrem? Ho. [b] Omnis penitus oratio deletur, si vnũquodque ab omnibus segregatur. Nam propter mutuam specierum copulam oratio constitit. TH. Sic est. Ho. Aduerte obsecro, quàm opportunè nunc aduersus istos pugnantes coegimus eos, vt alterum alteri commisceri permitterent. TH. Ad quid maximè? Ho. Ad hoc vt oratio vnum aliquid ex eorum quæ sunt generibus sit: hoc enim si priuaremur, philosophia vt plurimùm careremus. Oportet præterea in præsentia communi consensu quid oratio sit, definire, quòd si penitus è medio tolleretur, nulla de re loqui possemus. Tolleretur autem si concessum esset nullam esse rerum commixtionem. TH. Rectè id quidem. Verùm qua de causa nunc oratio definienda sit, nõ intelligo. Ho. At fortè hoc modo percipies. TH. Quo? Ho. Constitit non ens vnum quoddam reliquorum generũ esse, per omnia quæ sunt, diffusum. TH. Constitit. Ho. Considerandum ergo deinceps, vtrum

opinioni

a. Verè contraria coniungi & copulari non possunt.

b Si nulla possunt simul copulari tollitur omnis oratio, sublata omni oratione, tollitur philosophia.

opinioni atque orationi immisceatur. TH. Cur? HO. Quoniam si nullo modo his immiscetur, vera esse omnia necesse est, sin autem miscetur, falsa opinio, oratióque falsa exoriuntur. [a] Dicere enim & opinari non entia, hoc ipsum falsum est, orationi & cogitationi contingens. TH. Sic est. HO. Cùm verò sit falsitas, deceptio sequitur. TH. Statim. HO. Orta deceptione, necesse est simulachris & imaginibus phantasiáque cuncta repleri. TH. Nihil repugnat. HO. Sophistam verò dicebamus hunc in locum confugisse, dum falsum nullo modo esse diceret, quia non ens nemo cogitet, vel pronunciet, cùm nõ ens nulla ex parte sit essentiæ particeps. TH. Sic est dictum. HO. Nunc autem hoc entis particeps nobis apparuit: quapropter haud vltrà hac quidem parte pugnabit. [b] Fortè verò dicet, quasdam è speciebus non ente participare, quasdam minimè: orationem, & opinionem ex illorum numero esse, quæ non participent: & idcirco facultatem illam phantasticam simulachrorum magistram, in qua illum locauimus, nusquam esse contendet, postquàm opinio oratióque cum non ente nullo modo participãt: falsúmque nihil esse dicet, cùm nulla communio talis reperiatur. Quamobrem quid oratio sit, opinióque & phantasia, primò inuestigandum, vt his declaratis, eorum cum non ente communionem conspiciamus: qua inspecta, falsum esse aliquid ostẽdamus cúmque hoc ostenderimus, in eo Sophistã si quidem reus est, vinciamus, aut etiã illum absoluentes, alio quodã in genere deinde quæramus. TH. Verum omnino videtur hospes, quod ab initio de Sophista prædiximus quòd vi-

[a] *Falsum cogitation: primũ deinde orationi accidit.*

[b] *An opinio & oratio nõ ente possint participare.*

delicet prænensu difficile genus hoc prorsus sit. Multis enim obicibus circũseptus videtur, neque ad eum peruenire quis possit, nisi prius obstaculum quod obiecit ille, submouerit. Et nunc quidem vix tandẽ obiectionem illam euasimus, qua non ens nullo modo esse intulerat: Cõtinuo siquidem aliud obiectum. Vnde oportet, & orationem, & opinionem falsas esse posse ostendere, ac forsitã post hoc aliud, aliúdque post illud, nullúsque terminus inuenietur. H O. Forti animo persequi Theætete, debet, quisquis progredi, vel parum vlterius potest. Quomodo enim qui in istis hæsitet, in aliis audeat vnquam? Nam qui in illis aut nihil efficit, aut retrò repellitur, núquam, vt* prouerbio fertur, expugnabit vrbẽ. Nunc verò postquàm quod dicebas transactũ nobis est, & ingens propugnaculum eaptum, reliqua posthac minora, leuioráque supersunt. T H. Præclarè loqueris. H O. Orationem itaque primò, sicuti dictum est, opinionémve capiamus, vt clarius ostendamus, vtrum non ens hæc attingat, an verò omnino sint ambo, falsúmque neutrum. T H. Optimè. H O. Age quemadmodum circa species, & literas diximus, similiter circa nomina rursus excogitemus. Videtur enim quod nunc quæritur ita sese habere. T H. Quid potissimum de nominibus vis intelligi? H O. Vtrum omnia inuicem congruant, an nullum, aut quædam consonent, alia dissonent. T H. Patet quòd, quædam congruunt. quædam minimè. H O. Forte tale quiddam ais, quòd quæ consequenter dicta aliquid exprimunt, inuicem congruunt: quæ verò continuata nihil significant, non conueniunt. T H. Quomodo? quídue dixisti? H O.

* Prouerbiũ.

Quod

Quod intelligere te, & fateri putaui. Duo nanque sunt genera declarationum earum, quæ circa essentiam vocè fiunt. TH. Quo pacto? HO. Vnum quidem nominum genus, verborum alterum. TH. Dic vtrunque. HO. a Declarationem qua actiones significantur, verbum dicimus. TH. Sanè. HO. b Signum autem vocis agentibus ipsis impositum, nomen. TH. Prorsus. HO. Ex solis nominib. ordine prolatis oratio nũquam efficitur, neque rursus ex verbis absque nominib. pronunciatis. TH. Hęc non didici. HO. Constat vtique quòd alio intendens animum paulò antè assentiebare, nam hoc ipsum est, quod dicere volebã, quòd ista si solùm ita continuata pronuntiantur, orationem non faciunt. TH. Quomodò? HO. Vt vadit, currit, dormit, & alia verba quæcunque actiones significant, quæ si quis subiungat omnia, nihilo magis orationem facit. TH. Sic est. HO. Rursúsque quum dicitur, leo, ceruus, equus, cæteráque nomina, quæ ipsos agentes significant, nondum hac continuatione oratio vlla conficitur. Nam quæ profecto runtur, haud antè actionem, vel actionis impedimentũ, aut essentiã, siue existentis rei, seu non existentis ostendunt, quàm verba nominibus misceantur. Tunc verò primùm conueniunt, statímque fit oratio, & prima horum cõplexio prima oratio est, etiam si sit breuissima. TH. Quî istuc inquis? HO. Quando quis dicit, c homo dicit. orationẽ hanc esse ais primam atque breuissimam? TH. Equidem. HO. Tũc sanè declarat aliquid de his, quæ sunt vel fiunt, aut fuerunt iam aut erunt. Neque nominat tantum, sed & definit aliquid verba nominibus copulans. Ideóque non modò nomi-

a *Verbum quid.*

b *Nomen quid.*

c *Oratio fit ex nominum cum verbo compositione.*

nare, verum etiam loqui ipsum dicimus, talque contextui nominum orationis nomẽ indidimus. TH. Rectè. HO. Enimuerò quẽadmodum res aliquæ consonant inuicẽ, vt supra diximus, aliquæ dissonant, ita & signa vocum, quædam nequaquam conueniunt, quędã congruentia orationem conficiunt. TH. Prorsus. HO. Accipe & hoc breue. TH. Quale istud? HO. Orationem necesse est quoties fit, alicuius esse orationem: nullius enim esse orationem impossibile est. TH. Ita videtur. HO. Nónne & qualẽ quandam esse ipsam oportet? TH. Oportet sanè. HO. Animaduertamus obsecro diligẽter. TH. Decet. HOS. Afferã orationem tibi, tem cum actione per nomen verbúmque coniungens: cuius autẽ oratio sit tu dicas. TH. Efficiam, vt potero. HO. Theætetus sedet, num oratio ista prolixa? TH. Non, sed mediocris. HO. Tuũ est nũc dicere, de quo & cuius oratio est. TH. De me videlicet, atque mea. HO. Hæc etiã? TH. Quænam? HO. Theætetus his quícum ego nũc disputo, volat. TH. Nemo de hac quoque aliter diceret, nisi quòd de me meáque est. HOS. a Diximus qualem quandã esse orationem quamlibet oportere. THE. Diximus. HO. Harũ autẽ qualem veramque esse dicemus. THE. Vnã veram, alteram falsam. HO. Vera oratio ea quæ sunt, vt sunt de te prædicat. THE. Certè. HO. Falsa autẽ, alia quàm quæ sunt. TH. Profectò. HO. Quæ nó sunt ergo, quasi sint asserit. TH. Sic ferme. HO. Quæ verò alia sunt ab his quæ sunt, de re dicit. Multa si quidẽ enria circa vnumquodque esse prædiximus, multa quoque non entia. TH. Omnino. HO. Primum quidem necesse est orationem illam, quam secundo loco de re

a *Quanam vera, quanã falsa sit oratio.*

protuli, secundū orationis definitionē, vnam quandā ex breuissimis esse. THE. Sic enim inter nos conuenit. HO. Deinde exprime, num alicuius sit. TH. Alicuius. HO. Si tua non est, alterius multo minus. TH. Patet. HOS. Si nullius est, neque oratio prorsus est. Nā ostensum est fieri nō posse, vt quæ oratio est, nullius oratio sit. TH. Scitè. HO. [a] Ergo quoties de tē altera ita prædicantur, ac si eadē essent, & quę non sunt, perinde ac si sint, huiusmodi quędā ex verbis ac nominibus compositio proculdubio fit oratio falsa. THE. Vera admodū loqueris. HO. Quid autē de cogitatione, opinione, & phantasia dicemus? nónne iā constat quòd hæc omnia genera, tum vera, tum falsa in animis nostris efficiuntur? TH. Quā ratione? HO. Si intelliges facilè, si prius quid vnūquodque istorum sit, quóve inter se singula differant, acceperis. THE. Exhibe modò. HO. [b] Nónne cogitatio & oratio idem, nisi quòd cogitatio dicitur illa ipsa sine strepitu vocis interior collocutio, qua sese animus noster alloquitur? TH. Penitus. HO. [c] Sed per os efflúxus prolationis ab illa, oratio nuncupatur. TH. Verum. HO. Quinetiam in oratione hoc animaduertimus. TH. Quid? HO. Affirmationem inquam, & negationem. TH. Nempe. HO. [d] Quando igitur hoc in anima per cogitationem fiētio fit, potéstne alio, quàm opinionis nomine nuncupari? TH. Nequaquam. HO. Quid verò? cùm non per ipsam, sed per sensum rursus talis passio accidit, potéstne aliter, quàm [e] phantasia cognominari? TH. Non aliter. HO. Postquā oratio partim vera, partim falsa esse apparuit, cogitatio verò interior ipsius animæ collocutio, opinio

[a] *Falsa oratio.*

[b] *Cogitatio & oratio, quomodo idem sunt & differunt.*

[c] *Oratio quid.*

[d] *Opinio quid.*

[e] *Phantasia.*

verò cogitationis conclusio, imaginatio autem opinionis sensúsque commixtio, necessarium esse videtur ipsorum aliqua etiam aliquando falsa esse, quippe cùm sint orationi cognata. T H. Nihil repugnat. H O. Aduertisse nos faciliùs, quàm putabamus, orationē & cogitationem falsas interdū esse inuenisse. Metuebamus sanè ne opus irritū & inexplicabile ista quærentes aggrederemur. T H. Aduerto. H O. Ergo ne in reliquis animum deiiciamus: verùm postquàm patefacta sunt ista, superiores illas secundum species diuisiones in memoriam reuocemus. T H. Quales? H O. Imaginariam artem in duas diuisimus, assimilatricem scilicet & phantasticā. T H. Sic egimus. H O. Vtra verò in arte sophistam collocaremus, ambigebamus. T H. Profectò. H O. Post hanc ambiguitatem repentè profundior emersit caligo, cùm sermo ille cunctis dubius inferretur, quòd neque imago, neque simulachrum, neque phantasma omnino est, quia nullo modo nusquam, nunquam falsum extet. T H. Vera narras. H O. Nunc autem postquàm apparuit quidem oratio, apparuit & opinio falsa, possibile est simulachra quædā rerū verarum æmula esse, & ab hac dispositione artē decipiendi manare. T H. Possibile certè. H O. Quinetiam quòd in his Sophista versatur, est ne à nobis in superioribus concessum? T H. Est. H O. [a] Admitamus iterum bifariam gerere propositum partientes semper ad dexteram progredi diuisi partem, & quæ cum Sophista quoquo modo communicant, circunspicere, vt communionibus omnibus amputatis propriam eius sedem atque effigiem & nos intueamur, & his qui ad huiusmodi disciplinæ

[a] *Recapitulatio diuisionis supra proposita & per varias artes quærêtis latentem Sophistæ definitionem.*

sciplinæ progressum natura accedunt, quàm proximè ostendamus. TH. Probè. HO. Nónne ab initio artem efficiendi vnam, acquirendi alterâ partientes induximus? TH. Certè. HO. Diuisa postmodũ acquirendi arte sub ea Sophistam imaginati sumus in venatione, certamine mercatura, & huiusce modi speciebus. TH. Sic prorsus est actum. HO. Nunc verò postquàm imitandi quoque ars Sophistam complexa est, constat in primis artem hanc efficiendi esse bifariam diuidendam. Imitatio quippe, effectio quædam est, simulachrorum scilicet, non verarum rerum, quemadmodum suprà diximus. Nónne? TH. Proculdubio. HO. Effectricis igitur facultatis duæ primùm sint partes. TH Quæ? HO. Diuina & humana. TH. Nondum intelligo. HO. Si modò quæ initio dicta sunt, recordamur, effectricem facultatem dicimus vim quandã quę causa est vt sint postoà, quæ antè nõ fuerant TH. Recordamur. HO. Animalia cuncta mortalia, plantásque, quæcunq; terra ex seminibus radicibúsve nascuntur, & quæcunq; inanimata in terra consistunt, siue liquefieri possint, siue non possint, nunquid alio quodam opifice fabricata, [a] quàm Deo, facta esse, cùm priùs non fuissent, dicimus? an multorum doctrinam sermonésque sectabimur? TH. Quorum? HO. Dicentium ista natura ipsa gigni à causa quadam fortuita, sine mente hæc agente: vel cum ratione potius scientiáque diuina, quæ ab ipso Deo sit orta. TH. Ego fortè propter ætatẽ plerũque tum hoc, tum illud opinor. In præsentia verò ad te respiciens, putánsque existimate te per Deum hæc omnia gigni, idem ipse quoq; existimo. HO. Rectè admodum Theæ-

[a] *Omnia à Deo condita & facta esse agnouit Plato exclusa ea fuisse fortuna à mundi fabrica.*

tetè. Ac si te putaremus in posterum aliter opinaturum, nunc ratione simul cum necessaria quadam persuasione, vt nobis crederes efficeremus. Quoniam verò eius ingenij esse te noui, vt etiam sine nostra demonstratione vltrò ad illa sis profecturus, ad quæ nunc trahi te dicis, dimittam. Nam superuacua disputatio talis esset. Ponam verò illa, quæ natura gignuntur, arte diuina fieri: quæ autem ex his ab hominibus componuntur, humana: atque hac ratione duo effectricis facultatis genera, humanum videlicet, & diuinum. TH. Præclare. HO. Cùm verò duæ sint artes, vtranque bifariam diuide. TH. Qui? HO. Quemadmodum ars effectrix vniuersa per latitudinem est diuisa, ita nunc per longitudinem diuidatur, atque ita quatuor illius partes efficientur, duæ quo ad nos humanæ, duæ iterum quò ad deos diuinæ. TH. Profectò. HO. Ex his quidem rursus aliter nunc diuisis, vtriusque partitionis pars vna est effectrix, reliquæ autem imaginariæ nominantur, vnde rursus efficiendi facultas in duo diuiditur. TH. Dicas iterum quemadmodum vtraque. HO. Nos vtique & animalia cætera, eáve ex quibus ista gignuntur, ignis & aqua, horúmque germana, à Deo omnia procreata scimus singula illa effecta atque opera, an non? TH. Nempe. HOS. Post hæc horum simulachra sequuntur, diuina quadam industria producta. TH. Quali? HO. [b] Phantasmata enim quæ dormientibus occurrunt, quæque in die per se absque arte videntur: vmbra quidem cùm tenebræ igni miscentur: duplex autem, quando lumen proprium & extraneum circa perspicua leuiáque in vnum concurrens, sensúmque contrarium solitæ visionis præbens, spe-

[a] *Naturalia omnia à Deo fiunt.*

[b] *Simulachra naturalia & à Deo opifice naturæ facta.*

speciem efficit. THE. Duo ergo sunt ista diuinæ effectionis opera, res videlicet singulæ, singulásque res sequentia simulachra. HOS. Ars autem humana, nónne per architecturam domum fabricat, aper picturam verò domus imaginem, veluti quoddam humanum insomniũ vigilantibus factum? THE. Nulli dubium. HO. In aliis quoque similiter per duo partiendo, gemina opera effectricis nostræ actionis inuenimus. Ipsam quippe té principali facultate, imaginem verò æmulatrice illa facientes. TH. Nunc melius intelligo, ac duas bifariam pono effectricis speciei facultatis? Primo siquidem in diuinam partior, & humanam secundum alteram diuisionem: secundum verò alteram in rerum ipsarum, & in imaginum effectricem. HOS. Reminiscamur obsecro duo dixisse nos imaginatiæ facultatis genera esse oportere, assimilatorium scilicet & phantasticum, si modo aliquid reuera falsum, & falsum vnum aliquid eorum quæ sunt, sit futurum. THE. Dictum certè. HOS. Nónne constitit? idcóque nunc ipsi duas sine controuersia species adnumerabimus? THE. Sanè. HOS. Phantasticum itaque rursus in duo secandum TH. Quomodo? HO. Vnum per instrumenta factum, alterum illius qui sese instrumentum phantasma efficientis exhibet. TH. Quî isthuc ais? HO. Quoties aliquis figuram tuam vsurpans, torpori suo aut vocem voci consimilem videri facit, imitatio ista phantasticæ nuncupatur. THE. Vtique. HO. Imitatorium hoc appellantes ita distribuamus, & reliquum omne quasi iam quietis cupidi prætermittamus, concedamúsque alteri, vt in vnum colligat, & conueniens ipsi

a *Simulachra artificialia quæ.*

tribuat cognomentum. TH. Distribuatur vt vis. & hoc dimittatur. HOS. Hoc præterea duplum, ô Theætete, existimandum. Quam verò ob causam, animaduerte. TH. Dic. HOS. Eorum qui imitantur, aliqui cognoscentes quod imitantur, hoc agunt, aliqui autem ignorantes. An maiorem aliquam discrepantiam diuisionémque, quàm ignorantiæ cognitionisque ponemus? TH. Nullam. HOS. Nónne ea quam modò dicebamus, cognoscentium imitatio erat? figuram quippe tuam imitatur ille, qui te cognoscit. TH. Ille ipse. HOS. Quid autem de iustitiæ virtutisque vniuersæ figura dicendum? an non multi dum ignorant, nosse autem hanc opinantur, quod illis videtur id ipsum imitantes, tam verbis, quàm operibus annituntur, vt inesse ipsis appareat? TH. Atque admodum multi. HOS. Nunquid ita illos spes fallit, vt sicut iusti non sunt, ita nec etiá videantur? an contrà? TH. Contrà. HOS. Imitatorem hunc diuersum ab illo superiori dicemus, ignorantem à cognoscente? TH. Dicemus planè. HOS. Vnde igitur nomen vtriusque proprium deducetur? an videlicet difficile est [quare vt videtur peruersta hac, nec satis considerata accusatione vsi sunt superiores aduersus generum in species diuisionem, ita vt nemo fere esset qui diuidere auderet, eò quòd eum qui velit diuidere non oporteat valde inopem esse vocabulorũ.] Et si dictu audacius videri potest, declarationis tamen discretionisque gratia, imitationem illam opinionis comitem opinabilem imitationem: illam vero quæ scientiæ, historicam quandam scientémque imitationem vocemus. TH. Esto. HOS. Harum quidem appellationum altera dun-

a *Diuisiones generum in species parũ vsitatæ antiquis, & quæ eius rei causa fuerit*

xat vtendum. Nam sophistam, etsi in genere imitantium, non tamen in genere scientium ponimus. TH. Sic est. HOS. Hunc itaque opinionum imitatorem tanquam ferrum examinemus, sitne solidus, simplexque, an contrà geminum, dupléxque in se quiddam habens? TH. Examinemus. HOS. Certè admodum multiplex. Nam sophista alius fatuus & ineptus est, quæ opinatur scire se putans [a] Alterius verò formæ, propter variam in sermonibus revolutionem, certè suspicionem plurimâ metúmque habet ne fortè ignoret illa, quæ corâ aliis scire se simulat. TH. Omnino ex vtro genere est, vt narrasti. HOS. Nónne igitur vnum quidem simplicem, alterum ironicum imitatorem ponemus? TH. Consentaneum est. HOS. [b] Huius iterum genus vnum an duo dicimus? TH. Tu videris. HOS. Cogito equidem ac duo cogitanti mihi se offerunt. Vnus quidem publicè prolixa oratione apud populum ironia vtens: alter priuatim minutis quibusdam captiunculis cogens eum, qui cum ipso disputat, sibimet in sermonibus contradicere. THE. Rectè admodum loqueris. HOS. Quomodo superiorem illum denominabimus? ciuilémne, an popularem? TH. Popularem. HOS. Alterum verò Sophon, id est sapientem, an Sophisticum? TH. Sapientem quidem vocare illum non licet, quandoquidem ignorantem ipsum posuimus. [c] Quoniam verò sapientem imitatur, cognomentum quoddam illius simile sortietur. Ac demum intelligo hunc ipsum prorsus, & reuera Sophistam appellari decere. HOS. An non vt suprà, ita nunc nomen eius colligabimus à fine iterum ad principium omnia complexi? TH. Omnino. HOS. [d] Is demum

[a] *Duplex genus opinatorum imitatorum.*

[b] *Ironici imitatoru duplex genus.*

[c] *Vnde dictus sophista*

[d] *Sophistæ definitio absoluta.*

Sophistam verè definiet, qui generationem eius & stirpem esse istam asseuerabit. Sophista inquam est, qui in sermonibus disputantem cogit contradicere sibiipsi, qui & ironici pars est, ab imitatore opinioso veniens, phantastici item generis, ab imaginaria facultate profluens, non diuinæ, sed humanæ effectionis determinata progenies, ex eorúmque numero qui verbis, quasi quibusdam præstigiis, mirum in modum decipiunt auditores. T H. Ita prorsus dicendum.

PLATONIS CIVILIS, VEL, DE REGNO.

Marsilij Ficini Argumentum.

CVm Deus atque natura hominem agendo producant, eum certè producunt, vt agat, agat inquam gratia diuinorum. quemadmodum verò alius finis est cuius gratia natura efficit pollicem, alius cuius gratia manum siue pedem, aliúsque rursum ad quem totum efficit hominem: sic alius finis est ad quem hominem dirigit singularem, alius quoque ad quem familiam, itémque alius ad quem ciuitatem atque regnum. Ac denique finis ille existimandus est optimus, cuius gratia Deus totum genus humanum procreauit. Nemo verò existimet, cùm proprij cuiusque cœtus certus sit finis, nullum esse vtilitatis: cùmque humanæ vitæ partibus insit ordo, in vniuerso tamen vitæ genere esse confusionem: denique cùm partes ob finis vnius intentionem inter se habeant vnionem, totum ipsum esse dispersum. Quamobrem necesse est certum esse humani generis finem, etiámque in actione quadam circa perfectiora consistere

fere, per quã & superiora pro viribus imitetur, & diligenter inferiora gubernet: scientia quidẽ naturalia perscrutetur, prudentia verò disponat humana, pietate autem diuina colat atque veneretur. Eiusmodi ergo finis vitam exigit geminam, & in actione, & in contemplatione similiter constitutã, eo tamẽ pacto vt actio contemplationis tanquã diuinioris gratia sit instituta. Cæterũ absoluta vtriusque vitæ perfectio, tot tamisque & tam variis adminiculis indiget, vt neque à paucis quibusdam, neque etiã à multis hominibus, sed ab vniuerso simul hominum genere duntaxat possit expleri. Fieri verò non potest, vt tã diuersæ gentes per media tam diuersa ad vnum omnium communémque finem perducantur, nisi ab vno per vnam quandam legem cunctos in vnum patriter conducente. Quemadmodum neque fabri ministríque genere simul atque ingenio longè inter sẽ discrepantes, materias admodum varias ad formam vnam ædificij conferentes vin vnum vnquam commodè congregabunt & constituent opportunè, nisi ab vna quadam architecti vnius lege regantur. Quapropter non iniuria Plato cum regem quæreret mũdi monarcham, principio architectum produxit in medium, scientiámque in tria tandem distinguit genera. Quorum primum in cognoscendo, secundum in agendo, tertium in faciendo versatur. In primo arithmetram geometrámque, in secundo architectum, in tertio fabrum ministrúmque collocauit, probans architecti facultatem inter speculationem solam solumq; ministerium mediam esse ponendam, magis tamen speculationis quàm ministerij esse participem, neque iudicare solum geometrarum more, verum etiam facientibus imperare, opificióque semper adesse. Qualem fermè vult regem esse debere, qui videlicet & contemplantium more vera diuidicet, & iura non aliena quidem, sed sua

mandet agenda. Proinde Plato exactissima visus diuisione, quæ definitioni scientiæq; admodum necessaria est, Regem Homerico more nominat generis humani pastorem atque curatorem. Quem totius humani generis vnius quasi ouilis vnum esse pastorem debere designat, vbi Deum inquit quondam humani generis fuisse pastorem, sub quo & regnum illud Saturni aureum extitisse. Gubernatorem quoque regem humanæ vitæ quasi nauis iudicat appellandum. Significat autem in vnum esse imperium omnium conferendum, vt humana gubernatio diuinæ quàm similis sit. siquidem & Deus vnus mundi totius est rector. Comparat præterea regem medico, monens vt medicorum more & opportunè, & si opus fuerit importunè, & volentibus, & quandoque nolentibus imponat leges, remediáut afferat salutaria. Eiusmodi verò gubernatorem atque curatorem populus ciuilem vocat virum, quam regem, significans adeò humanum, ac si fieri posset, mitem esse debere, vt inter ciues videatur esse conciuis prudentia, iustitia, cura potius quàm alio quouis excessu superetur. Quòd si quis longissimo quodam interuallo prudentia & iustitia manifestè cunctos exuperet, hunc etiam si priuatus vixerit, esse regem omnium à Deo creatũ absq; cõtrouersia iudicat. Sin autẽ inter aliquos quantum ad hæc spectat, parum admodum interfit, illis quodammodo redactis ad vnum auctoritatem regiam tribuẽdam, multis verò nequaquam. Proinde in hoc ipso libro eiusmodi regiam dignitatem gubernationum omnium optimam esse probat, vt diximus: pessimam verò tyrannidem, quæ neque lege, neque mente legitima imperat: sed impetu potius atque libidine. Secundo loco laudat optimates, paritérque vituperat potentiam paucorum. Tertio loco multorum laudat gubernationem scilicet populi tarem, si lege guberuent: similitérque vituperat, si non

um lege. Post hæc autem quid regium sit officium disputat, videlicet vt quotcunque hominum generi necessaria sint prouideat, præsertimque ad bene beateque viuendum: iudicetque prudenter quot artes & quales ad hoc ipsum conferant siue in pace, siue in bello, seu in dicendo, seu agendo, vel publicè, vel priuatim, habeátque vna cum senatu summum in omnes imperium. Præcipuè verò animos omnium decentissima quadam fortitudinis temperantiæq; mistione componat, musicos imitatus, qui acuta grauibus ritè miscentes, concentus suauissimos modulantur. Demonstrat enim & id quidem diuinè, non esse tutum animos, vel fortitudinem versus, quasi in acutum supra modum intendere, vel temperantiam versus, quasi in graue nimis remittere. Illinc enim efferatos, hinc effœminatos tandem euadere. Et illi quidem ciues, & patriam velut hostes inuadunt: hi verò neque se, neque patriam tuentur ab hostibus. Quamobrem optimum censet ex concinna virtutis virtusque copula ingeniorum consonantiam vbique conflari.

SOCRATES, THEODORVS, HOSPES, SOCRATES MINOR.

INGENTEM profectò tibi, ô Theodore, gratiam debeo, quòd Theætetum & hospitem hunc Eleatem notos mihi feceris. TH. Triplam fortè mihi debebis, ô Socrates, postquam ciuilem tibi hominem & philosophum confecerint. SOCR. Esto. Sed istáne illud, ô chare Theodore, ex te audiuisse dicemus homine & ratiocinandi & geometriæ peritissimo? TH. Quid isthuc, ô Socrates?

Quòd videlicet horum virorum vnumquemque eiusdem esse pretij posuerimus, qui tamè honore longiùs inter se distant, quàm vt explicari illa artis vestræ analogia possit. TH. Bene, ô Socrates, atque iustè per Deũ nostrum Ammonem loqueris, ac prompte admodum errorem in computando meum mihi nunc obiecisti [verum ego tecum pro his deinceps experiar.] Te verò, nunc Hospes, ne pigeat nobis gratificari, sed deinceps seu ciuilem hominem prius, siue philosophum mauis, describe. HOS. Sic agendum vt iubes, Theodore, postquam semel aggressi sumus, neque prius, quàm ad calcem peruenerimus, desistendum. Verùm de Theæteto hoc quid facere decet? TH. Quæ de re? HOS. Nunquid requiescere illum iam sinemus? eiúsque loco Socratem istum exercitationum, & studiorum socium accipiemus? Quid consulis? TH. Vt dixisti hunc illius loco assume. Nam cùm iuuenes vtrique sint, omnem laborem facilius per intermissionem ferent. SOCR. Atqui vtrique, Hospes, mihi cognati quodammodo esse videntur. Theætetum quidem vos figura vultus mihi consimilem iudicatis Socrati quoque huic, cùm idem & mihi nomen sit, cognationem quandam nobis mutuam appellatio præbet. [Decet autem nos cognatos nostros alloquio agnoscere, & nobis notos facere.] Cum Theæteto quidem heri disputãdo conueni, & hodie hospiti huic respondentem audiui. Cum Socrate vero neutrum adhuc actum est. Oportet autem & hùc examinare. Mihi sanè aliàs, tibi nunc respondeat. HOS. Sic agemus. ô Socrates. Audis Socratem? SOCR. MI. Audio. HO. Assentiris illi? SO. MI. Assentior. HOS. Quantum igitur ad te attinet,

tinet,

tinet, nihil prohibet quo minus edisseramus. Multóque minus impedimento disputationi huic esse me decet. Quinimo post ipsum sophistam necessarium esse videtur, vt ciuilem virtũ inuestigemus. Respondeo itaque, vtrum hunc in eorum qui scientes dicuntur, numerum referre debeamus, an quomodo? SOCR. MI. Decet. HO. Ergo scientias partiri debemus, quemadmodum in Sophista quæ ten to fecimus. SO. MI. Forte. HOS. Non tamen eadem mihi, ô Socrates, videtur partiendi ratio. SOCR. MIN. Quid tum? HOS. Sed alia. SOCR. MI. Alia. HO. Viam itaque ciuilis scientiæ vbinam reperiemus? Inuenire quippe oportet, & ab aliis omnibus segregatæ ideam ei vnam imprimere. & cæteras item deflexiones, alia quadam specie vna insignire: & scientias omnes duabus speciebus contentas animis nostris repræsentemus. SOCR. MIN. Tua iam interest Hospes, ita agere: mea verò nequaquam. HOS. Imò etiam tua, quando declaratum id fuerit. SOCR. MI. Scite loqueris. HOS. Arithmetica porrò, & alio nonnullæ huius persimiles ab actione liberæ sunt, cognitionem verò tantũ exhibẽt. SOCR. MI. Ita certè dicendum. HO. Quæ verò ad architecturam, & manuum ministerium pertinent, scientiam innatam actionibus possident: corporáque ab illis effecta, quę antè nõ erant, perficiunt, SOCR. MI. Patet HO. Ita cunctas scientias diuide. a Agentem vnam, alteram cognoscentem solummodo nomina. SO. MI. Sin ergo scientiæ species duæ, cum vna sit scientia tota. HOS. Vtrum ciuilem, regem, dominum, patremfamiliàs, eundem esse volumus? An totidem artes in his quot & nomina ponimus? Imò hàc sequere me. SOCR. MI. Quæ

a *Scientia dividitur in agentem & cognoscentẽ.*

HOS. Hàc inquam, Si quis priuatus publico medico [idoneum consilium dare potest] nónne necesse est eiusdem artis hunc nomine nũcupari, quo & ille cui consilium dat? SOCR. MI. Certè. HO. Quid porrò? Si quis priuatus regem ciuitatis admonere & instruere potest, nónne scientiam illam habere dicetur, qua pollere qui regit, debebat? SOC. MI. Dicetur. HO. Atqui veri regis scientia, regia disciplina est. SOCR. MI. Est. HO. Quisquis ea præditus est, seu publico fungatur munere, siue priuatus viuat, omnino secũdum hanc peritiam regius meritò nuncupabitur SOCR. MI. Meritò. HO. Enimuerò paterfamilias, & dominus idem, SOCR. MI. Idem sanè. HO. Nunquid refert ampláne, an angusta sit vrbs ad imperium? SO. MI. Nihil. HOS. Igitur vna, quod paulò antè inquirebamus, horum omnium scientia est: hanc seu regiam quis, siue ciuilem, seu familiarem nominet disciplinam, nihil interesse putemus. SOCR. Nihil. HOS. Hoc vtique nemini dubium, quin omnis rex parum quid ad nobis ac reliquis membris ad regni salutem possit, intelligentia verò, & animi robore plurimùm. SOCR. Constat. HO. Vis ergo regem dicamus speculatrici scientiæ propinquiorem, quam actiuæ, aut manuum ministerio? SOC. Volo equidem. HO. Ciuilem ergo scientiam, & ciuilem hominem, regiam atque regium, vt vnum idémque singula componemus. SOCR. Planè. HO. Atqui ordine ad sequentia pergemus, maximè si speculatricem scientiam distinguemus. SOC. Prorsus. HO. Attende obsecro, num effugium aliquod in hac prospiciamus? SOC. Dicas quale? HO. Tale inquam. Extat aliqua computandi facultas? SO. Extat. HO. Eam vt arbi-

a *Vna politici, Regis & Paterfamilias scientia.*

vt arbitror, ex illarum numero est, quæ in speculando versantur. SOC. Ex illarum numero certè. HO. Cognoscet profectò cõputandi facultas differentiam numerorum. Num aliud huic opus attribuimus, quã discernere iudicaréque cognita? SO. Quidni? HO. [a] Etenim architectus nullus manuũ ministerio vtitur, sed vtentibus præsidet. SOC. Ita est. HO. Dum iudicium adhibet, non ministerium. SOCR. Id quoque verum. HO. Iure igitur speculandi scientiæ particeps est dicendus. SOC. Et maxime quidem. HO. Hoc vt arbitror, ad [architectũ iudicandi de aliqua arte, munere prędituꝫ pertinet, non statim desinere,] & mox discedere, quemadmodũ computator ille, sed incumbere, operariisque singulis operam accommodã mandare, quousque quod est imperatum, absoluerint. SOC. Probè. HO. Nónne speculatrices omnes hæ sunt, & quotcunque scientiã computandi sequuntur? iudicio autem & imperio genera hæc inter se duo differunt? SO. Apparent. HO. Quocirca si vniuersam contemplationẽ in duo distribuamus, partémque vnã iudicio imperio alteram assignemus, recte forsitan distribuisse putabimus. SOC. Rectè nimirum, vt mea fert opinio. HO. Qui cõmuniter tractant aliquid, satisfactum sibi inuicem arbitrantur, si quando consenserint. SO. Quidni? HO. Quousque igitur in hoc concordes simus, aliorum opiniones prætermittendæ. SO. Penitus. HO. Dic age, qua in arte harũ regium hominẽ ponere decet. Nunquid in iudiciaria, tanquam spectatorem quendã? An in imperatoria potius, dominum? SO. In hac ipsa potius. HO. Videndum præterea si quam imperatoria di-

[a] *Architectus non operatur, sed operantibus præest.*

ſtinctionem admittit. Mihíque ita videtur. Quo differt caupo ab illo qui proprias merces & à ſe paratas vendit, eo rex à præcone. so. Quo pacto? Ho. Caupones aliorum opera prius vendita ſuſcipientes ipſi rurſus vendunt. so. Verum. Ho. Haud ſecus præconum genus ſententiam alterius mandatam ſibi, aliis mandat. so. Sic eſt. Ho. An miſcebimus facultatē regiā interpretatoriæ, præceptoriæ, vaticinandi, &c. præconum arti, aliíſque permultis eiuſdem generis artibus, quæ omnes imperitant? An vis potiùs [vt de tota re, ex ſimilitudine aliqua quam habet cum aliis artibus coniicimus, ita etiam nomen ipſum fingamus & adumbremus ad ſimilitudinem nominis eius artis quæ eum iſta conuenit] quandoquidem genus eorum qui ſua ipſi præcipiunt, fermè nomine caret: atque ita hæc partiamur, vt regium genus in eorū numero, qui ſua mandant, ponamus, omiſſis aliis omnibus, quibus alius quiuis nomen vt lubet, imponat? Principis quippe gratia non ſubditi fermo nobis eſt inſtitutus. so. Nempe. Ho. Poſtquam igitur ſatis hoc ab illis eſt diſtinctum, & ab [aliena & peregrina ad propriam peculiarémque ſedem reuocatum] rurſus eſt diuidendum, ſi quam modò partitionem quæ oſtendat ſe, in ipſo comperimus. so. Valde. Ho. Atque inueniri poſſe videtur. Me igitur ſequere diuidendo. soc. Quò ſequar? Ho. Quicunque præſident imperando, idcirco vt aliquid fiat, imperant. soc. Proculdubio. Ho. Etenim genita omnia biſariā partiri, haud multū difficile. so. Qua ratione? Ho. Partim animata ſunt, partim inanimata. so. Cōſtat. Ho. Si in mēbra hęc ſecare ſpeculatricis facultatis

partem

partē imperatoriā volumus, fecemus. SOC. In quæ? Ho. Pars eius in generatione inanimatorum ponatur, pars in generatione animatorum. Atque ita totum in duo secabitur. SOC. Recta. Hos. Partem vnam mittamus, alteram resumentes, eáque vniuersam in duo iterum diuidamus. SOC. Vtram illarum resumendam censes? Ho. Eam quæ circa animalia imperat. Neque enim regia maiestas non animatis instar architecturæ præsidet, sed generosius animantibus, eiúsque potestas circa ista versatur. SOC. Optime. Ho. Circa generationem nutritionémque animalium cura duplex inuenitur. Animalis cuiusdā vnius hæc. Gregis totius illa. SOC. Recte. Ho. Ciuilis autem non priuatim vnicíque curam gerit, quemadmodum qui bonē agitat, vel minister qui sternit equum, sed illius vicē gerit, qui equos, aut boues pascit. SOC. Verum esse videtur, quod nunc est dictum. Ho. Vtrum ex animalium nutritione illam, quæ gregatim ea nutrit gregis nutritionem, an cōmunem nutritionem vocamus? SO. Vtrumque vsurpari loquendo contingit. Ho. Egregie, Socrates, respondisti: a ac ii vocabulorum curiositatem vitabis, eua des in senectute admodum sapientior. Itaque in præsentia, vt iubes, agēdū. Sed nunquid vides quo pacto quis gregis nutritionē geminā ostē dens, efficiat vt quod in vtraque ad id quod nūc propositū est, inuestigabitur, in altera deinde perquiratur? SO. Annitar equidē & iam mihi videtur, vnā cōmunē hominū, alterā brutorū esse custodiā. Ho. Prōpte omnino ac fortiter discreuisti. Cauendū pro viribus tamē ne posthac nobis id accidat. SO. Quid cauendum monēs? Ho. b Ne vnam exiguam particulam

a *Vitanda est curiositas vocabulorū.*

b *Diuisio per partes & quales & species faciendæ.*

aduersus amplas plurimásque secernamus, neque illam absque specie capiamus, sed pars illa simul speciem habeat. Pulcherrimum namque est, quod quæritur ab aliis statim discernere, si modò rectè id fiat, quemadmodum ipse paulò antè [rem optimè succedere ratus] diuidere properasti, sermonem videns altero membro ad homines declinantem. Cæterum haud satis amice, tutum est, ad extremum, minúsque tenuiter omnia prosequi. Præstat autē per media progredi partiendo, sic enim facilius meliúsque [species] inuenimus. Hoc autē ad illa quæ perquiruntur, totum refert.

SOC. Qua ratione id ais Hospes? HO. Comandū ob ingenii tui beneuolentiam, vt clariùs explicetur. In præsentia quidē hoc quod propositū est, declarare ita, vt nihil desit, impossibile est. sed repetendū altius paulò perspicuitatis gratia fuerit. SO. Quid igitur in hac nostra partitione culpas? HO. a Tale quiddā: si quis humanum genus in duo secare contendens, perinde partiatur, ac multi nostrū partiuntur, hi sanè Græcorum genus tanquam vnū à cæteris omnibus separant. Cunctos enim alios homines innumerabiles & nulla inter se vitæ sermonisque cōmunione deuinctos, barbarico nomine signant, & ob hanc vnā appellationē genus quoque vnum vniuersum hoc arbitrantur. Simile esset præterea, si quis numerū in duo diuidere volens, decē millia seorsum ab aliis caperet, vt speciem vnā: reliquos insuper vno quodā impositō illis nomine, vt vnū genus poneret. Rectius autē & per species magis ac per duo membra diuisio haberet, si quis numerum quidē per par, & impar, hominúmue genus per marē fœminā que di-

a *Humani generis diuisio in Græcos & barbaros, vitiosa.*

uide-

uideret: Lydos autem & Phrygas, aut alios quosdã, tunc à cunctis aliis segregaret, cùm & spes, & facultas ipsi deesset genus inueniendi simul ac partẽ, vtrumque eorũ, quæ sint dissecta. SOC. Scitè loqueris Hospes. At illud qua ratione planius intelligi posset, ostende, non idem, sed aliud esse partem atque genus. HO. O vtrorum optime Socrates, haud leue quid postulas. Longiùs modò, quàm decet ab instituto digressi sumus. Tu verò vlterius etiã peruagari iubes. Nunc porrò, vt decens est, illuc vnde discessit, reflectatur oratio. Ad hæc aliàs otiũ nacti, quasi per quædã vestigia diuertemus. Veruntamẽ diligenter hoc cauebis, ô Socrates, ne putes certũ quiddã de hoc ex me audiuisse. SO. Quo de? HO. Inter se partẽ specimque differre. SO. Cúrnam? HO. Quicquid est alicuius species, eiusdem pars quoque sit necesse est, cuius species esse dicitur. Partem verò esse speciẽ, vel speciei partẽ, non est necessarium, hoc modo me potius, quã illo dicere semper, ô Socrates, asserere. SOC. Fiet vt iubes. HOS. Posthæc autẽ mihi dicas. SO. Quid? HO. Hoc inquã, vnde huc digressi sumus. Reor equidẽ cã ob causam hucusque nos aberrasse, quòd tu interrogatus, quæ in mẽbra gregis nutritio diuideretur, admodum prompte respondisti, duo quædã esse animantium genera, alterum quidem hominum, alterum verò brutorum simul omnium vnum. SO. Verum est. HO. Tunc sanè mihi visus es parte quadam ablata, residuum omne genus vnum animalium ob id putauisse ponendum, quòd vno quodã cõmuni nomine appellare poteras omnia, dum bruta vocabas. SO. Sic est actum. HO. Hoc, ô omnium fortissime

a Quæ differentia inter partem & speciem.

Socrates, perinde videtur esse ac si quod aliud animal vt grus, aut aliud tale prudentiæ particeps, eodem quo tu pacto grues rationales vocet, [se & suũ genus magnificè extollens,] atque hoc quidem genus vnum aliis animantibus oppositum ponat, cætera verò cuncta simul cum hominibus complectens, genus alterum bruta vocet. Conemur itaque nos ab omnibus huiusce modi erroribus decliuare. SO. Qua via? HOS. Non animalium genus vniuersum diuidentes, quo minus in his delinquamus. SOC. Neque enim oportet. HO. Atqui ita suprà deliquimus. SOC. Qui? HO. Partẽ illam contemplatricis scientiæ, quæ ad imperandum spectat, eius generis esse constitit, quod animalia curat, animalia videlicet gregabilia. Nónne? SO. Ita certè. HO. Quare tunc quoque omne animalium genus in ferã, & mansuetũ est distinctũ. Quæ enim sic natura instituta sunt, vt mansuescere possint, cicuria appellata sunt, cætera verò syluestria. SO. Egregiè. HO. Scientia verò illa quam quærimus, in domesticis est, & erat, & circa genus animaliũ sociabile quærenda videtur. SOC. Sanè. HO. Ergo ne ad cuncta simul respiciendo, vti tunc, diuidamus, neque in partiendo nimiũ properemus, vt repentè ciuilẽ scientiã comprehendamus. Nã nimia festinatio fecit, vt illud quod prouerbio fertur, nunc nobis contingeret. SOC. Quidnã? HOS. Vt cũ nimis in diuisione properauerimus, tardiùs absoluamus. SOC. Er meritò quidem Hospes id egit. HO. De his quidẽ ita. Rursus autẽ ab initio cõmunẽ nutritionẽ animaliũ dinidere conemur, fortè nanque quod tu vehementer affectas, sermo ipse gradatim ad finẽ suũ deductus, clariùs

Prouerbiũ.

rius demonstrabit. Respondeat hoc. SO. Ad quid respondeā? HOS. Hoc forsitan è multis audiuisti, neque enim arbitror interfuisse tehis, qui a circa Nilū pisces ipsos manſuefaciūt, aut circa regios lacus. Sed quod circa fontes fit, fortassis ipse vidisti. SOC. Et hæc ipse vidi, & illa ex multis audiui. HO. Quinetiam quòd quidam greges anterum, & gruum pascant etsi nunquā in agris Thessalicis es versatus, audisti tamen & credis. SOC. Proculdubio. HO. Hæc abs te ideò scisitatus sum, quia animaliū illa quæ gregatim fit custodia, partim aquaticorum partim terrenorū esse videtur. SO. Est profectò. HO Consentis gregis custodiam sic esse bifariā distinguendam, vt partim humida, partim sicca animalia nutriat? SO. Consentio equidem. HO. Vtrā verò istarum regia respiciat diligentia, nullus quæret: nā nemini dubiū. SO. Nemini. HO Vnusquisque enim præcipuè siccorum nutritionem distinguet. SO. Quæ in membra? HO In volantium gradientiúmue custodiam. SO. Sic veritas habet. HO. Quòd ciuilis facultas circa illa quæ gradiuntur, duntaxat versetur, vel stolidissimus quisque, vt ita dixerim, animadueteret. SO. Absque controuersia. HOS. Gressibilis præterea generis alimoniā, paris instar numeri in duo quædā partiri debemus, SO. Patet. HO. Illuc porrò quò sermo noster tendit, gemini calles ducere nos posse videntur. b Alter quidē breui quodā tramite, dum angustam particulā ab ampla secernit. Alter verò longiori ambitu, dū præceptū illud seruat anteà dictū, vt per medià diuisio fiat: licet vtrum volumus, ingredi. SOCR. An per vtrunque proficisci non licet? HO. Non simul, ô mirifice adolescens,

a *Circa Nilum pisces mānsuefieri.*

b *Diuisionis vitiū supra notatum, exiguam particulam ab ampla secernere.*

sed seorsim licet. SOC. Vtrunque ergo seorsim eligo. HO. Facile id quidem, cùm exiguum sit quod restat. Sanè in principio mediòve itinere durum hoc nobis præceptum fuisset. Nunc autem postquam ita videtur, longioré prius viam ingrediamur. Nam cùm non ita pridem aggressi rem simus, iter longum leuiùs peragemus. Distinctionem itaque hanc vide. SOC. Dic modò. HO. Quà gradientium, manſuetorúmque & gregalium genus in partes duas secundum naturam diuisum est. SOCR. Quomodo? HO. In cornibus munitum, & cornibus carens. SOC. Apparet. HO. Curam gradientium diuidens, vtriusque partis conditionem sermone describe. Nam si nominare ipsa volueris, rem nimis inuolues. SOCRA. Quemadmodum ergo dicendum censes? HO. Ita cùm gradientium cura bifariam distincta sit, hoc in cornifera gregis parte est, illud in non cornifera. SOC. Sic ista sint dicta, nam satis ostensa sunt. HO. Constat itaque regem, gregis cuiusdã cornibus carentis pastorẽ esse. SOC. Constat sanè. HO. Hoc itaque grege diuiso, quod cõpetit regi ei exhibere conemur. SOCR. Omnino. HO. Vtrum placet ipsam solidipedum differentia fissiliúmque diuidere? an potius generatione propria & communi? Intelligis enim? SOC. Quid? HO. Quod equorum, & asinorum genus inter se promiscuè generat. SOC. Nempe. HO. Reliqua verò domestica, & socialis generis animalia, sine aliena commixtione, propria tantùm ex specie procreant. SOCR. Perspicuum cuique. HO. Ciuilis itaque disciplina nunquid promiscuæ generationis animalia, an simplicis curat? SOC. Immixtæ, ac simplicis procul-

dubio.

dubio. HO. Hanc vtique animantium naturam quemadmodũ in ſuperioribus hucuſque ſeruauimus, gemina per membra ſecare debemus. SOC. Decet. HO. Enimuerò totũ hoc animalis genus domeſtici gregaliſque, quod ciçur vocant, generibus duobus exceptis, iã diſcreuimus. Genus porrò canũ inter gregalia pecora numerare non decet. SOCR. Non certè, ſed quo pacto hæc duo diuidemus? HO. Hoc inquam, quo te ac Theætetum diſtribuere decet, quandoquidé in geometria verſati eſtis: Diametro ſcilicet, & diametri rurſus diametro. SOCR. Quî iſthuc ais? HO. Nunquid aliter generis humani conditio ad progreſſum natura inſtituta eſt, quàm diametrus potentia bipes? SOC. Haud aliter. HO. Reliqui ſanè conditio generis rurſus ſecundum potentiã noſtræ potentiæ eſt diametrus, quippe cùm bis duobus ſit pedibus conſtituta. SOCR. Nihil obſtat quo minus ſit huiuſmodi. Ac penè iã quod oſtendere vis, intelligo. HO. Cernimus quid inſuper riſu dignũ, ô Socrates, nobis in ſuperioti diuiſione contigerit. SOC. Quídnã? HO. Genus hominũ commixtũ, vnáque cũ genere generoſiſſimo omniũ atque facillimo currens. SO. Cerno, & quidé clarè, quàm ſit abſurdũ. HO. An non conueniens eſt, quæ tardiſſima ſunt, nouiſſima peruenire? SO. Conſentaneũ. HO. Iſtud autẽ nequaquã aduertimus, quòd magis ridiculus rex apparet, vnà cũ grege currens, [curſúmque peragens, cũ omniũ hominũ optimè ad vitæ facilitatẽ exercitato?] SOCR. Omnino quidem. HO. Nunc illud liquidò patet, ô Socrates, quòd in ſophiſtæ inquiſitione eſt diçũ. SO. Quid iſtud? HO. Quòd huiuſmodi diſputandi ratio methodica non magis venuſtũ,

quàm inuenustum curat, nec pluris breuiorem quàm lõgiorem viam facit, solùm autem quod est verissimum transigit. SOC. Videtur. HO. Post hoc ne mihi succenseas, de via ad regis definitionem constituendam breuiori percontans, ipse tibi vltrò progredior. SO. Omnino. HO. Dico igitur oportuisse suprà gressibile animal in bipes, & quadrupes distribuere: cúmque homo tunc solo cum volatili superesset, rursus genus ipsum bipes in nudum impluméque & pẽnigerum diuidere, hac distinctione peracta, artéque hominum nutrice, & conseruatrice monstrata, ciuilem iam & regiũ virum ipsi instar aurigæ præficere, eíque ciuitatis habenas gubernaculáque tribuere, quasi scientia hæc illius sit propria. SOC. Optime tu quidem, & tanquam debitum mihi hanc orationem persoluisti, digressione ipsa fœnoris loco adiecta, ac penitus adimpleta. HO. Age itaque à principio ad finem sermonem de ciuilis artis nomine colligamus. SOC. Prorsus. HO. Scientiæ igitur illius quæ in contẽplando versatur, pars vna, imperandi scientia est, [ex hac expressa altera pars, vocata est, scientia ex sese & suapte authoritate imperandi:] huic mẽbrum haud sanè exiguũ animaliũ nutricatio: huic item, gregis alimonia, huic animaliũ denique gradientiũ alimonia: huic rursus species illa, quæ animalia cornibus carẽtia pascit. Eius partem, vt minimũ [tribus vocabulis] cõplecti necesse est, si quis vna appellatione cõprehendere velit, nẽpe immixti generis pascendi sciẽtiam vocans. Cuius portio ex bipedũ grege homines duntaxat pascens, illa ipsa quã quærimus, imperatoria facultas est, quã regiã & ciuilẽ pariter nominamus. SO. Prorsus. HO. Pro-

bè igi-

bè igitur putas, ô Socrates, à nobis quãdo-
dam iam dixisti, actũ est? SOC. Quã de re? HO.
Quod proposuimus, sufficienter ne absolutum
sit? An in quæstione hoc maximè prætermis-
sum quod desertissimus quodãmodo, nondum
tamen penitus definiuimus. SOC. Quomodo
istud ais? HOS. Conabor quod sentio planius
explicare. SOC. Dic iam. HOS. Cùm multas pa-
storũ facultates esse constiterit, vna quædam
illarum vniuersique custodia gregis, ciuilis ipsa
disciplina visa est. SOC. Profectò. HOS. Hãc ne-
que equorũ, neque aliorum etiam brutorum,
sed hominum tantum in cõmune esse nutri-
tionem ostendimus. SOCR. Id quoque. HOSP.
Pastorum itaque omnium & regũ differentiã
propriam videamus. SOC. Quam? HOS. Si quis
forte alterius artis nomen habens, gregis hu-
mani in cõmune nutritionem sibi vendicet,
quid dicendum? SO. Qua ratione inquis? HO Si
mercatores inquã, agricultores, & coqui, gy-
nnastici insuper ac medici, aduersus pastores
quos politicos appellauimus, surgerent, asse-
rérentque se esse pastores illos hominũ: quip-
ge qui victum non plebi solũ, verumetiam re-
gibus magistratibusque suppeditent. SOC. An
non vera dicerent? HOS. Fortè, & hoc vtique
consideremus, scimus enim quòd cũ bubulco
de his nemo certat: ipse enim sine cõtrouersia
armenti pastor est, qui boues curat, ipse medi-
cus, ipse pronubus, & solus peritus artis obste-
triciæ quæ ad nascentiũ partus fœtusq; pertinet. Præterea nemo melius iocis & musica ar-
mentum, quantũ natura horũ capax est, oble-
ctat, trahit & mulcet, siue organis, siue ore so-
lo gregis sui musicã tractans. Eadémque est de
cæteris pastoribus ratio. Nónne? SO Maximè.

HOS. Quo pacto igitur sermo ille de rege rectus integérque videtur, quando pastorē illū, & nutritorē humani gregis ponimus, solum ipsum ab aliis secernentes, cùm alij multi de hoc ipso contendant? SOC. Nullo modo. HO. An non meritò paulò antè dubitauimus, quando suspicati sumus, ne figuram quandam regis duntaxat induceremus, nondum tamen ciuilem ipsum perfectè definiremus, nisi prius illos, qui cum eo sese implicant, & pastores esse non minus, quàm ille profitentur, cōprehendamus: & ab illis regem secernentes, purum illum seorsim ostendamus? SOCR. Rectè nimirum. HOS. Hoc igitur nobis, ô Socrates, agendum est, nisi velimus in fine sermonis infamiam reportare. SOCRA. Atqui istud nequaquam expedit.

HOS. Rursus ab alio principio, alia quadam via incedendū. SOC. Qua? HOS. Iocum quendā interserere his oportet, magnáque parte prolixæ fabulæ vti, & quod restat, vt suprà fecimus, exequi, partē semper partis subdiuidendo, atque ita ad summū quod est quæsitū, deducere, nónne oportet? SOCRA. Oportet sanè. HOS. Sed iam fabellā, quod pueri solent, accipe arrectis auribus, neque enim à puerilibus annis procul abis. SOC. Dic, amabo. HO. Erat igitur, & adhuc erit multa vetustarū rerū memoria, & inter cætera memorabile prodigiū, quod circa Atrei Thyestísque contentionē tefertur. Audisti nanque ac meministi quod tunc accidisse tradunt. SOC. Núquid aureæ agnæ ostentum dicis? HO. Nequaquá, a sed de ortus solis occasúsque, & aliarū stellarū mutatione. Vnde enim nunc exoriuntur, tunc occidebāt, & contrà exoriebantur. Tunc verò Deus testimoniū præ-

a *Fabula de ortu solis in occasum mutato.*

præbens Atreo, in hanc cælum figurã muta-
uit. SOCR. Fertur & hoc. HOS. [a] Quinetiã è
multis de Saturni regno audiuimus. SOCRA.
Ex multis certè. HO. Quid verò? nónne & pri-
scos illos è terra procreatos, haud verò ex se
inuicé? SOCR. Hoc quoque in antiquis rebus
cõmemoratur. HO. Cuncta hæc ab eadẽ causa
proficiscuntur, & alia præter hæc permulta
his longè mirabiliora: verũ magnitudine tem-
poris partim desierunt, partim absque ordine
sparsim feruntur: quod verò horũ omnium
causa est, nemo vtique dixit. Nunc autem
dicendum est, nam ad regem ostendendum
conferet. SOCRAT. Præclarè loqueris.
Referas ergo, neque aliquid prætermittas. HO.
Audi iam. [b] Vniuersum hoc aliàs Deus ipse re-
git, agitat atque rotat: aliàs verò dimittit, cùm
mundi circuitus cõpetentia sibi curricula tẽ-
poris expleuerunt. Mundus verò vltrò ac li-
bero tũ motu contrà reflectitur. [c] Nã & viuit,
& sapientiã ab eo, qui ab initio constituit il-
lum, est sortitus. [In contrariam autem par-
tem motus] necessariò ipsi hanc ob causam in-
natus est. SOCR. Quã ob causam inquis? HOS.
Idẽ esse semper & secundũ eadẽ, & eodẽ se mo
do habere, solis omniũ diuinissimis conuenit:
corporis autẽ natura huius ordinis non est eõ
pos. Cæterùm id omne quod cælũ mundũque
vocamus, multa quidẽ, & felicia munera à ge-
nitore susceptt, corporis tamen particeps, ex-
pers omnino mutationis cuiuslibet esse non
potest: attamen quoad potest, in eodẽ, & secun
dum eadem, & vno motu mouetur: quapro-
pter circuitum est adeptũ, in quo minima agi-
tationis suæ fit permutatio. Seipsum autẽ con-
uertere semper, fermè nihil potest, præter eum

[a] *Fabula de hominib. ter ra genitis.*

[b] *Vniuersũ Deus non semper agi- tat atque ro tat.*

[c] *Mundus animal sa- piens.*

qui cursum agitatis omnibus præstat. Ipsum autem mouere aliàs aliter, rursúsque contrario modo, nefas est. a Ex his omnibus dicendũ est, mundum neque seipsum conuertere semper, neque totũ semper gemino contrarióque circuitu ab ipso Deo reflecti, neque rursus duos deos contrarias semétijs ipsum vertere. Solum verò quod nuper diximus, restat, aliàs ab alia quadã diuina vi duci, vtique rursus extrinsecus venientẽ, & immortalitatẽ ab opifice suo [asciritiã precariò] suscipere: aliàs autẽ quando dimissus recurrit, per seipsum curtere: quo tẽpore potestate facta, retrogradũ multa reuolutionũ millia peragere, quia & maximus est, & vndiq; penitus æquilibris, & minimo quodã pede reuolutus progrediatur. So. Verisimilia valdè ista omnia quæ cõmemorasti videntur. HO. Ex his quæ dicta sunt, affectionẽ iam illam coniicientes consideremus, quã omnium esse diximus mirabiliũ causam. Est autẽ huiusmodi quædã. SO. Quali? HO. Quòd totius mundi motus modò ita vt nunc, modò contrà reuoluitur. SO. Quo pacto? HO. Mutationẽ hanc existimare oportet omniũ cœlestiũ alternationum maximã extremáque esse. SOC. Videtur. HOS. Quamobrẽ consentaneum est tunc maximas circa nos intra mundum habitantes mutationes fieri. SOC. R. Verisimile id quoque. HOSP. Neque verò nos latet, quàm ægrè, & difficilè toleret animantium natura magnas, multas, & omnigenas mutationes. So. Constat. HO Ergo animalia multa necessariò tũc intereunt, hominésque supersunt perpauci, hi vero multis nouísque & mirabilibus passionib. tũc afficiuntur. Id autẽ cõtingit omniũ maximũ, sequitúrque continuò reuolutionem illam, quã

a *Causa contrarij motus qui est in cælo.*

qua cœlũ contrà quàm nunc, reflectitur. s o c. Quídnã? H O. [a] Principio in quacunque ætate quoduis animal est constitutũ, in eadẽ progredi cessat, neque fit senius mortaliũ quicquã, sed in figurã transit contrariã, iuniorémque & molliorẽ habitũ induit, seniorúmque cani capilli nigrescunt: & quibus genæ barbatæ prius erant, iã barba deposita in priorẽ speciẽ restituuntur. Pubescentiũ quoque corpora pilis positis mollescunt, sensímque singulis diebus & noctibus decrescentia in puelli naturã redeunt, atque in his tã animæ, quàm corpora habitũ subeunt puerorũ, demũ tabescentia deficiunt, & intereunt. Cadauera præterea illorũ, qui cœlestis mutatione vertiginis subito corruerunt, idẽ patiuntur, & simili ratione clàm ac breui putrescunt. s o c. Quæ tunc erat hospes, animaliũ generatio? quóve modo ex se inuicẽ generabantur? H O. Constat, ô Socrates, quod illis tẽporibus nihil genus hoc ex sese propagabat. Quod autẽ dicitur, quandoque genus ortũ ex terra fuisse, hoc ea tẽpestate fuit ex terra rursus reuersum. Tradiderũt hæc nobis primi illi progenitores nostri, qui statim post primam reuolutionem orti sunt, hi sanè horũ testes sermonum præconésque fuerunt, quibus minimè vulgo nunc habetur fides, cùm tamen admodũ conueniat habere. Quod verò hinc sequitur, animaduertendum arbitror. Huic enim quod dicitur, senes in naturã regredi puerorum, hoc consonum est, quòd ex mortuis, sed terra conditis, illi iterũ tum restituti, reuiuiscentésque quidã sequũtur rotationẽ illã cæli, siue seculi, generatione in cõtrariũ reuoluta, ac terrigenas hac ratione necessario editos, sic nomine & sermo-

a *Mutata conuersione cæli, in cõtrariũ regressa est hominum natura ita vt senes ad pueros redirent, & mortui ad vitã reuerterentur.*

ne vocari, quotcunq; Deus ipsorum in aliam sortem non transtulit exornauitq; SOC. Hoc profecto è superioribus sequitur. Verùm vita, quam sub Saturni regno esse dicis, vtrum sub illis cœli conuersionibus, an sub his extitit? Mutationem quippe Solis, reliquarúmque stellarum in vtrisque volutionibus contingere certum est. HO. Optimè sermonem assequutus es. Quod autè quærebas sponte omnia hominibus nasci, præsenti conuersioni minimè competit, sed superiori potius competebat. Tunc sanè totius circuitus princeps cursorque primum Deus extitit, vt nunc per varias mundi plagas singulæ ipsius partes, à diis principibus distributæ sunt.[a] Animalium quoque genera gregatim distincta, dæmones quidã tanquam diuini pastores sortiti sunt, quorũ quisque ad munus suum obeundũ sufficiens cùm esset, singuli singulis, sic vt ille vóluit, præficiebãtur, quibus præerat ipse. Quamobrem nihil erat agreste, omnísque rapacitas, & vorago procul aberat, aberat bellum penitus atque seditio: cętera insuper, quę conditionem illorum temporum sequebantur, innumerabilia sunt. Quod verò de victus facilitate, & libertate vitæ fertur, ob id est dictum, quòd Deus eos pascebat, ipse illorũ pastor & custos: quèadmodũ homines nunc, quorũ natura diuinior, brutorũ pastores sunt. Deo itaque custodiente politiæ nullæ erant, neq; mariũ fœminarúmque ad filios procreãdos coniugia. Omnes enim ex terra reuiuiscebant, rerum præteritarũ immemores. Aberant autem eiuscemodi omnia. Fructus verò illis & poma, & fruges abundè arbores, & fertile solũ sponte sua absque agricultura opera suggerebant.

a *Hominum vita sub Saturno.*

Nudi

Nudi quinetiam, & expediti, sub dio, vt plurimùm pascebantur. Nã tẽperies illis innoxia, mollia quoque passim parata cubilia, quãplurimis ex terra herbis repullulantibus. Vitam, ô Socrates, hominum sub Saturno viuentium audis: hanc verò quàm Iouis esse tradunt, præsens ipse sensisti: vtra verò sit felicior, iudicaréne vis, ac potes? s o c. Minimè omnium. H O. Vísne igitur ego quodãmodo tibi diiudicẽ? s o c. Et maximè quidem. H O Si Saturni quondã alumni in tanto ótio, & libertate vitæ potentiáque, non solum inter se, sed etiam cum bestiis colloquendi, hisce omnibus ad philosophiam vtebantur inter se, & cum bestiis viuentes, sciscitantésque ab omni natura [si quępiã propria aliqua & peculiari facultate prædita, sentiret quid diuersũ ab aliis quod faceret ad colligendã prudentiã,] facilè iudicari potest illos lõgo quodam interuallo nos ad beatè viuendũ exuperasse. Sin autẽ epulis affatim, & poculis saturati inter se, & cum bestiis tales fabulas cõferebãt, quales de illis nũc referuntur, hoc quoq; ita, vt mea fert opinio, facilè admodũ iudicaretur. Sed hæc omittamus, donec aliquis horũ idoneus appareat nũcius, qui nobis referat, vtrũ homines illi scientiis, & confabulationib. operã dederint: cuius autem gratia fabulam hanc ingressi sumus, id iam dicendum, vt sequentia cum antecedentibus coniungamus. Cùm omnium illorum tẽpus esset expletum, mutationémque circuitus fore iam oporteret, terreno genere omni consumpto: quippe cùm quælibet anima generationes omnes implesset, quótque mandata erant cuique, totidem vnaquæque in terrã semina proiecisset: tunc vniuersi guberna-

tor Deus, quasi gubernaculorum dimissis habenis in suipsius rediit speculâ. Mundū verò deinceps fatum reuoluit iterū, & cupiditas innata. Omnes quinetiam dij sumam demonis collegæ singulis præpositi regionibus quod contigerat adhærentes, mundi partes deftituerunt. Mundus deinde contraria principij finisque sese agitatione, reflectens, tertiæmetu ingenti interiora concutiens, animalia rursus cuiusque generis vt plurimū perdidit. At verò certis tēporū exactis curriculis, concussio perturbatióque cessauit, & mundus à turbulento fragore desistens, solita suipsius progressione cucurrit, & in ordine debito constitutus autoritatē administrationēq; & suipsius, & eorū, quæ in se sunt, suscepit, autoris patrisque sui gubernationē pro viribus memor imitatus. Principiò igitur perfectius executus est, sed ab ea demū imitatione longiū degenerauit. Cuius quidē defectus causa est natura corporea prisca naturæ fomes. Nam quondā volde deformis erat, & ordinis expers, antequàm præsenti ornatu decoraretur. Ab eo sane, qui ipsum cōstruxit, bona omnia possidente, priori autem deformitate incommoda, & iniusta omnia, quæ intra cœlū nascuntur, & mundus ipse sustinet, & animantibus inserit. Dū igitur animalia sua, vnà cum gubernatore nutrit, mala quidem parua, bona verò ingentia parit: cùm autem seiungitur, in proximo discessus tēpore perpulchrè omnia ducit: verum procedente tempore obliuione eam occupante, quapropter prioris deformitatis vitiū vehementiùs dominatur. Demum longo exacto tempore defloruit, ac bona exigua procreans, malorum verò naturam his plurimam mi-

a *Mala quæ in mundo, vnde secundum Platonem.*

scens periculum subit, ne & ipse, & quæ in se sunt omnia, dissoluantur. Quamobrem Deus ille quondam huius ordinis autor, cernens mundũ tanto in discrimine positum, misertus ne tumultu adeò turbulento fluctuet dissoluatúrque, & in locum dissimilitudinis infinitum mergatur, iterũ adstat, & præsidet, resumptisque protinus gubernaculis, ægrotãtia omnia dissolutáque antiqua sui agitatione conuertit, ornat, & corrigit, mortísque efficit illũ & senectutis expertem. Hic ergo cunctorũ dictus est finis. Sufficit autem hoc ad regis ipsius ostensionẽ, si modò suprà dicta teneantur. Conuersio enim iterũ mundo ad præsentis genituræ progressum, ætas tursus vltrà progredi destitit, & noua his contraria, quæ erant tunc, reddidit. Animalia porrò morti ob ipsam tenuitatẽ proxima aucta sunt: quæ verò nuper ex terra cana surrexerant, iterũ in terrã morientia reciderunt. Cætera item omnia transmutata sunt, mundi totius sequentia passionem. Generationis quippe, & conceptionis, & alimenti imitatio vniuersum ipsum necessariò sequebatur. Neque enim dabatur amplius in terra, per causas mutuò opitulantes, animal fieri. Nam quemadmodum institutum fuit, vt mũdus motionis suæ dominus esset, ita simili quodam ductu factum, vt partes mundi per seipsas, quoad fieri potest, generent & nascatur, & nutriãt. Iam verò ad id peruenimus, ad quod omnis nostra respexit oratio. De reliquis enim animantibus multa & magna referri possent, ex quibus quæque, & quas ob causas transmutata fuerunt. Quæ verò circa homines contigerunt, breuiora sunt, & magis ad rem attinent. Cùm homines pastoris præ-

disque ipsorum dæmonis essent prouidentia destituti,& animalia multa, quæ suapte natura immania fuerãt, efferata iterũ essent, inermes ipsi imbecillésque, & custodia derelicti, ab illis passim dilaniabãtur.a Accedebat inertia,& imperitia superiorũ temporũ, laborum enim curarúmque nescij vixerãt. Tellus haud vltra victum sponte suppeditabat, parandi vero industria nondum inuenta, quia nulla necessitas illos ante coëgerat. His de causis in summũ discrimẽ atque penuriam illorum redactæ res sunt. Quapropter munera illa, quæ olim à diis tributa hominibus memorantur, necessaria quadam disciplina eruditionéque tributa fuerunt. A Prometheo quidem ignis: artes autem à Vulcano illiúsque consorte: semina quoque, & plantæ ab aliis:omnia summatim vitæ hominũ adminicula, tunc deorũ opera sunt comparata, cùm homines deorum prouidentia deseruissẽt, oporterétque ipsos iam propagationis, & alimoniæ suæ cũrã habere, mundi totius instar, quem imitantes omne per tempus sequentésque, aliter alitérque nascimur atque degimus. Sed fabula iam finem habeat. Ea verò conducet nobis ad dignoscendum, quantum suprà in regis ciuilísque definitione errauerimus.s o c. Qua in re & quantum errasse nos dicis? H O. Partim minus,partim generosius,magísque & plus quàm tunc erratum. s o c. Quo pacto ? H O. bQuòd enim dum quæreretur rex, ciuilísque vir ex præsenti circuitu generationéque, pastorem ex contraria conuersione adduximus, & pro mortali gregis humani pastore Deum commemorauimus,longius trãsgressi sumus:quòd verò ciuitatis vniuersæ principem illum o-

a *Artes vnde & qua de causa in genus humanũ inuectæ.*

b *Deus summus hominũ rex,pastor et gubernator.*

stendimus, quo autem modo princeps esset, non declarauimus, vetum quidem diximus, non tamen ad integrum perspicuéque descripsimus. Quocirca minus in hoc, quàm in illo deliquisse videmur. SOC. Vera loqueris. HO. Existimare ergo debemus, tunc demum nos ciuilem virum satis expoſuisse, quum gubernandæ ciuitatis modũ abundè discreuerimus. SOC. Præclarè. HOS. Ob hanc vtique causam eam fabulam inceptauimus, vt non solùm ostenderentur quicunque aduersus regem gregis humani illam in commune nutritionem ubi vendicant, verùm, vt illum clarius intueremur, quem solum sic appellare decet, cùm sicut pastor boum ouiúmque, humani generis pascendi curam gerat. SOC. Rectè. HO. Reor equidem, ô Socrates, pastoris illius diuini figuram maiorem esse, quàm vt regi competat. Ciuiles autem hos viros subiectis similes esse magis, siue naturam, siue educationem, siue disciplinas intueamur. SOC. Omnino quidem. HOS. Neque verò perscrutandũ est, vtrum magis minúsve fuerint, vel vtrum ita sint, an aliter nati. SOC. Quidni enim? HOS. Sic porrò itetũ resumamus[a] Artem suopte imperio præcipientem, & circa animalia non priuatim, sed publicè prouidentem, supràstatim gregis nutritionem vocauimus. Recordaris? SOC. Recordor. HO. In hoc verò est errãtũ. Nã ciuilem virum neque comprehendimus adhuc, neque denominauimus, sed eius nos adhuc nomen fugit. SOC. Quo pacto? HO. Greges singulos pascere aliis omnibus pastoribus conuenit. Ciuili autem viro competens nomen non dedimus, cum deceret commune cunctis aliquid adhiberi. SOC. Vera

[a] *Ars ciuilis hominũ non est nutritio, sed curatio gregũ.*

partas, si modò licebat. HOSP. Imò verò licebat curationem communiter attribuere absque nutritionis, aut alterius negotij distinctione: & aliam quandam appellationem inferre communem, siue gregis ductionem, siue curationem, siue aliam procurationem appellantes, atque ita ciuilem vnà cum aliis complecti, postquam sic oportere ratio dictauerat. SO. Optimè. Verùm quónam pacto posteà distinguendum erat? HO. Quemadmodum gregis nutritionem diuisimus secundum gressibilium, & volatilium speciem, immixtorúmque, & cornibus carentium, ita gregis & ductionem secundum eadem illa partiri licebat, atque ita & Saturni regnum ac præsens fuisset sermone compraehensum. SOCR. Videtur. Sed quid tum? HO. Si ita impositum facultati illi nomen fuisset, vt gregis ductionem vocauissemus eam quam gregis nutritionem vocauimus, constat quod nemo aduersum nos contendisset, quasi curatio omnino non esset, quemadmodum & hoc non absurdè contendatur, quod ars in nobis nulla sit nutritiua appellatione digna: & si qua sit, multis aliis prius magisque, quàm regiæ id nomen competere. SO. Rectè. HO. Nulla vero ars alia de hoc contendit, quasi sit totius humanæ communionis curatio magis amica mitiórque, quàm regia. SO. Rectè loqueris. HO. Post hæc nunquid aduertimus Socrates, quàm grauiter circa finem deliquimus? SO. Vbi delictum dicis? HO. In hoc inquam, quod etsi artem quampiam bipedis gregis nutricem esse putauimus, non tamen illicè regiam illam atque ciuilem tanquam absolutam appellare debuimus. SO. Cur non? HO. Primo quidem oportebat quod dicebamus nomen ad eam ma-

magis, quàm ad nutritionem accommodare: postea curam diuidere. Nam diuisiones insuper non paruas suscipit. SO. Quas? HO. In diuinum pastorem, & humanum curatorem SOC. Scire HO. Curationem item humanam in duo partiri necesse est. SO Quæ. HO. in eam quæ inuitis, & eam quæ volentibus imperat. SOC. Quid ergo? HO. In hoc sanè peccantes ineptius, quã decebat regem tyrannúmque in idem cõduximus, cũ & ipsi inter se dissimillimi sint, & gubernandi modus longè diuersus. SO. Vera refers. HO. Nunc igitur iterum emendantes, vt suprà dicebam, humanam curationem bifariam partiamur, in violentam, & voluntariam. SOCR. Absque dubio. HO. Violentam quidem tyrannicam: voluntariam autem volentiúmque bipedum gregis ductionem ciuilem attem denominemus: atque eũ, qui facultate hac est præditus, virũ reuera ciuilem regémque dicamus. SOCR. Videntur iam hospes, ciuiliũ demonstrationes nobis ita demũ penitus absolutæ. HOS. Bene nobiscum esset, ó Socrates, actũ. Oportebat autem non tibi solum id, sed mihi quoque tecum vnà videri. Et nunc quidẽ rex mihi nondum perfectam videtur habere formam: sed quemadmodum statuarij interdum non satis tempestiuè festinantes, quũ plura & maiora, quã oporteat emblemata adhibent, serius perficiunt opus: sic & nos, vt quã primũ atque insuper magnificè prioris explicationis circa regem errata ostenderemus, putantes magna illius exempla ponenda, ingentem fabulæ molem exaggerauimus, maiorique, quàm oportebat illius parte vti coacti sumus: quapropter prolixiorem demonstrationem induximus, & fabulæ finem haud penitus imposuimus.

a Curatio humana bifariã diuidenda in volutariã & violentam.

Ac sermo nobis reuera tanquam animal exteriorem quidem circunscriptionem absolutam habere videtur, sed pigmentorum colorúmque mixtione perspicua nondum decora. Decet autem verbis orationéque magis, quàm pictura, aut opificio manuario vnumquodque animal describere, exhiberéque his, qui assequi ratione possint: cæteris manus opera & penicillo exhibeantur. SOCR. De hoc quidem satis.

a Explorũ usus & necessitas ad res præsertim magnas & difficiles docendas.

Quam verò ob causam nondum sufficienter dictum esse ais, ostende. SOCR. [a] Arduum est, ô beate, absque exemplis res magnas lucidè ostendere. Videtur enim vnusquisque nostrũm tanquam per somnium nosse omnia, reuera autem rursus omnia ignorare. SOCR. Quo pacto? HOS. Absurdum admodum, ô Socrates, affectum animæ circa scientiam nunc mouimus. SOCR. Quorsum hæc? HOS. Exemplo rursus exemplum, ô felix, indiget. SOCR. Qua tatione? Dicas. nihil mei causa veritus. HO. Dicendum, postquam ipse es audire paratus. Nouimus quid agant pueri, quum primùm literas discunt? SOCR. Quidnam? HO. Quod vnamquamque literarum in breuissimis facilimisque syllabis sufficienter persentiscunt, verãque de illis eloqui possunt. SOCR. Quidni? HOS. Eadem hæc in aliis ambigentes opinione sermonéque falluntur. SOCR. Prorsus. HOS. An non itaque facillimè atque optimè ad ignota sic perduci possunt? SOCR. Quo pacto? HO. Reducere illos primum ad ea oportet, in quibus hæc eadem rectè opinati fuerãt, eisque offerre quæ nondum noscunt, & ea inuicem comparando, ostendere eandem similitudinem atque naturam in vtriusque com-

ple-

plexionibus esse, donec cum ignotis omnibus quæ vera opinione concepta sunt, comparata monstrentur: demonstrata verò, & illorum exempla facta demum efficiant, vt ex omnibus cuiusuis syllabæ elementis, id quod diuersum est, ab aliis diuersum nuncupent: quod verò idem est, idem semper secundum eadem cum scipio. SOCR. Sic omnino. HO. Proinde satis hoc comprehendimus, quòd videlicet tũc exempli generatio est, a cùm quod idem est, in altero seiuncto recta opinione conceptum, & ad aliud collatum, vnam amborum communiter opinionem parit. SOCR. Videtur. HOS. Quid mirum, si idem natura patiens anima nostra circa rerum omnium elementa, nunc à veritate ipsa circa vnumquodque in quibusdã constituitur, nunc autem circa omnia rursus in aliis fluctuat: cúmque in quibusdam copulationibus rectè quodãmodo opinatur, translata in magnas ac difficiles rerum syllabas, hęc eadem rursus ignorat. SOCR. Nihil vtique mirum videri debet. HOS. Nam qua ratione quis, ô amice, posset ab opinione falsa incipiẽs ad aliquam veritatis, vel minimam partem peruenièndo sapientiam adipisci? SOCR. Nulla fermè. HO. Si hæc ita natura se habent, nequaquam ego ac tu aberraremus, b si primò totius exempli naturam introspicere conemur in paruo quodam alio seorsim exemplo: deinde maximum illud aggressi regis exemplum, illud ipsum alicunde à minoribus traducentes, per exemplum rursus conaremur rerum ciuilium curationem arte dignoscere, & ipsam pro somnio veritatem consequi. SOCR. Rectè admodum. HO. Rursus superior oratio repetenda, qua inferebatur, postquam permulti cũ

a *Generatio exempli.*

b *In rebus paruis spectanda sunt exempla vt deinde reb. maiorib. & difficiliorib. accommodẽtur.*

regio genere de ciuitatis gubernatione contendunt, sibíque illam vsurpant, oportere eos omnes ab illo seiungere, ipsúmque solũ relinquere atque ad hoc exemplo quodã opus esse diximus. SOCR. Valdè. HO. Quódnam potissimũ exemplum exiguum quidẽ, & eandem ciuilem continens facultatem, adducẽs aliquis sufficienter quod inuestigatur, inueniet? Vsine per Ioue, ô Socrates, nisi quid aliud in prõptu habemus texendi artem eligamus? non vniuersam quidẽ: sufficiet enim, vt arbitror, lanificiũ. Fortè nanque pars hæc electa quod cupimus indicabit. SOCR. Quídni? HO. Cur non, vt superius vnumquodque in partiũ partes diuidebamus, ita modò circa texendi artẽ fecimus, & quã breuissimè licet omnia transigente, quod ad propositũ conducit, elegimus? SOCR. Quomodo inquis? HO. Ipsam enarrationẽ responsi loco dabo. SOCR. Præclarè loqueris. HOS. Eorũ quæ facimus, quæque possidemus, alia, gratia aliquid agendi, alia, ne quid incommodi patiamur, velut propugnacula parantur.[a] Propugnaculorũ autẽ alia remedia sunt, tam diuina quã humana: alia verò obstacula. Obstaculorum alia militaris armatura, alia circunuallatio. Circunuallationũ verò alia velamina, alia aduersus æstũ frigúsque munitiones. Munitionum alia tegmenta & retinacula, alia operimenta. Operimentorũ quædã suffulciunt, quædã amiciunt. Eorũ quæ amiciunt, alia simplicia, alia verò duplicia, atque cõposita. Cõpositorũ alia perforata, alia sine perforatione cõnexa. Horũ verò quædã neruea sunt ex his quæ terra nascuntur, quædam pilea. Pilea verò partim aqua & terra conglutinata, partim sibimet inuicẽ sunt connexa. His profectò

[a] *Eorũ quæ facimus vel possidemus, diuisio in faciendi aliquid, & incõmoda ꝓpulsandi instrumenta.*

ctò propugnaculis fulcimentísque quæ ex eisdem colligatis confecta sunt, nomen vestes imposuimus. Artem verò quæ maximè circa vestes versatur, ab ipsa vestium effectione vestificam appellemus, quemadmodum disciplinà ciuitatis procuratricem ab ipsa ciuitate ciuilẽ denominauimus: dicamúsque textoriam facultatem, quatenus maxima ex parte vestes contexit, nulla alia re nisi nomine differre ab ista quam vestificam nominauimus, quemadmodum suprà regiam diximus à ciuili. SOCRAT. Rectè admodũ. HOS. Post hæc ita cogitemus, quòd vtique vestium textricẽ artem forsitan sufficienter dictam aliquis existimet: animaduertere verò non possit, quòd cũ ab illis quæ propius [ipsi conferunt suam operam] nondum distincta esset à multis aliis sibi cognatis discreta fuit. SOCRAT. Quibus cognatis? HOSP. Videris non assecutus suprà dicta, Qua re itedum, vt videtur, à fine ad principium reeundum. Si enim propinquitatem intelliges, hanc vtique ab ipsa discreuimus, dum stragulorum cõpositionem ab amictu & fulcimento separaremus. SOCRAT. Intelligo. HOSP. Quinetiã artificiũ omne quod lino & chordis virgultísque vtitur, ac fumminatim his quæ terra nascũtur, quæ paulò antè neruea vocauimus, iã seiunximus. Imò & pileorũ cõpositionẽ, eámue quæ perforando & suendo operatur, quę vt plurimũ ad coriariã pertinet facultatẽ, s o. Omnino quidẽ. HO. Seiunximus præterea operimentorũ simpliciũ opificium, quod pellibus vtitur. Itẽ tegmentorũ reuinaçq lorũque machinamẽta quotcũque in ædificando fiũt: & in aliis artibus quibuscunque ad a-

quarum retentionem repulsionémque, quæcunque circa plicationes & violentas actiones opera, quibus aliquid cohibetur, efficiunt, sepésque & maceriam opponunt, & cumulos quosdam obiiciunt, quæque operiunt aliquid. Item valuarum cancellorúmque affixiones, quæ ad clauorum artificium attinent. Quinetiam armaturam segregauimus, quæ portio est amplæ facultatis illius, quæ propugnacula & obstacula obiicit. Præterea coquinariam, quæ remedia præbere se vitæ hominum profitetur, ab initio separauimus. Reliquimus autem artem quandam, quæ visa est illa esse quam quærimus, effectricem scilicet fulcimentorum aduersus frigora laneorum, textoriámque cognominatam. SOCR. Videtur. HO. Cæterum nondum, ô puer, perfectè his dictis rem expediuimus. Nam is qui primus vestium artificiú tractat, contrà quàm textor agere videtur. SOCR. Quamobrem? HO. Textor nanque quodammodo complicat & connectit. SOCRAT. Certè. HO. Ille verò quæ simul inserta & implicata sunt, dissoluit. SOCR. Quid istud? HO. Opus eius qui carminat & discernit. Nunquid enim carminatoriam & discretoriam operam eandem cum textoria vocemus? carminatorémque & discretorem eundem cum textore dicemus? SOCR. Nullo modo. HO. Si quis autem [artem] quæ staminа & subtegmina præparat, textoriam vocet, procul & ab opinione hominum, & à veritate ista appellatione discedet. SOCR. Planè. HO. Fullonum præterea sutorúmque operam vtrum nihil conducere ad vestimentorum cõfectionem dicimus? An has omnes textorias appellamus? SOCR. Neutrum dicendum videtur. HO. Veruntamen omnes

mnes hæ de veſtium curatione cum textoris arte contendent : ac plurimum quidem illi huius operis dabunt, multum quoque ſibi eiuſdē operis vendicabunt. SOCRA. Sic eſt omnino. HO. Præterea has exiſtimare inſuper oportet artes inſtrumentorum quibus textor vtitur, effectrices, partem ſibi in efficienda tela vſurpaturas SOCR. Probè. HO. Vtrum textoriæ facultatis ratio, quam vt partem elegimus, ſufficienter diſtincta erit, ſi ipſam aliarum omnium facultatum quæ circa laneam veſtem verſantur, maximam pulcherrimámque dixerimus? Aut ita verum quidem dicetur, perfectè autem & manifeſtè nequaquam, priuſquam ab iſta reliquas ſecreuerimus? SOCR. Ita certè. HO. An non ita deinceps agendum eſt, vt conſequenti ordine nobis ſermo procedat? SOC. Nihil prohibet. HO. In primis igitur artes geminas circa omnia quæ fiunt, conſideremus. SOCR. Quas? HO. Vnam quidem generationis, cauſam adiuuantem, alteram verò cauſam ipſam. SOCR. Quomodo? HO. Quæcunque tem ipſam non fabricant, ſed fabricantib. organa ſubminiſtrant, quibus abſentibus inſtitutum opus nequaquam perficeretur, eas cauſas adiuuantes, nominamus : eas autem ipſas quæ principaliter faciunt, cauſas appellamus. SOCR. Conſentaneum id quidem. HO. Poſt hæc artes quæ colum, fuſúmque, radium, pectinémque efficiunt, & alia circa veſtium operam inſtrumenta præparant, omnes cauſas adiuuantes nuncupemus: illas autem quæ vestimenta curant & efficiunt, cauſas. SOCR. Rectè HO. Ex cauſis verò partem eam quę lanificium, atque quæ medetur, & alias huius generis, quæ curam adhibent, cùm multa ornandi

a Artes alia effectrices & cauſæ, alia quaſi cō cauſæ & adiuuantes.

diligentia sit, generatim colligere decet, & subiunctum artem cognominare. SOCR. Probe. HO. Eam autem partem quæ carminat, discernit & nect, & omnes circa vestium effectionem, artes vna comprehendit, quæ communiter lanificium nominatur. SOCR. Quidni? HO. Lanificij porrò partitiones duæ, & vtraque duarum artium simul partes sunt. SOCR. Quo pacto? HO. Facultas illa quæ carminat, & quæ pectine quodam vtitur, ac omnino quæcunque sunt coniuncta, diiungit, hoc omne, vt vno verbo complectar, pars lanificij dicitur, cuius maximæ partes duæ sunt, discretoria vna, altera concretoria. SOCR. Sic est omnino. HO. In eis quæ discernit, carminatoria, & aliæ quas modò diximus, facultates insunt. Nam quæ lanas & stamina diuidit, vel pectine quodam vel manibus, aliter atque aliter nomina cuncta quæ modò diximus est sortita. SOCR. Itaque prorsus. HO. Kursus concretoriæ partem simul & lanificij in ipsa contentam sumamus, quæcunque autem ibidem discretoriæ inerant, tranieamus lanificium omne bifariam partientes, in concretoriam partem & discretoriam. SOCR. Partiamur. HO. Partem itaque concretoriam simul & lanificium, ô Socrates, diuidere decet, si modò propositam nobis texendi artem sufficienter comprehendere volumus. SOCR. Oportet sanè. HO. Oportet absque dubio. Ideóque dicamus partem eius vnam involuendo flectendóque, alteram in complicando versari. SOCR. Nunquid hæc tenco? Videris enim mihi stamini operam in torquendo ponere. HO. Non huius tantum, sed & subtegminis. An sine retortione generationem horum aliquam reperiemus? SOCR. Nequaquam. HO. De-

Describe horum vtrunque: fortè nanque descriptio talis opportuna videbitur. SOCRAT. Qualis? HO. Ecce opus carminatoris cùm in longum latúmque protrahitur, deductionem vocamus. SOCR. Certè. HO. Cùm hoc factis pésis fuso retortum est, solidúmque effectum filum, stamen appellant: artem autem ipsam quæ hoc dirigit & protrahit, staminariam. SOCR. Rectè. HO. Quæcunque verò contortionem mollem accipiunt & staminis implicatione ad reflexionis attractum moderatā mollitiem nanciscuntur, ea vtique fila deducta subtegmina, artem autem ipsam subtegminariam. SOCR. Probè. HO. Atqui pars illa textoriæ quam proposuimus, iam cuiuis patet. Nam pars concretoriæ facultatis in lanificio, quando recta protractione subtegminis atque staminis implicationem contextúmque efficit, totum quidem ipsum implicitum & contextum vestem laneam, artem verò huiusmodi textoriam nuncupamus. SOCR. Rectè admodum. HO. At cur non statim respondimus textoriam artem esse, quæ subtegmen & stamen implicat, sed per longas ambages frustra vagati sumus? SOCR. Nihil mihi quidem, ô Hospes, eorum quæ dicta sunt frustra dictum videtur. HO. Nihil mirum, sed forsitan videbitur, ô beate, si frequenter in hunc morbum in posterum incidas. Nam quid mirum? Audi sermonem qui de huiuscemodi omnibus semper est in medium afferendus. SOCR. Dic modò. HO. Excessus in primis, defectúsque naturam inspiciamus, vt secundum rationem moderata laudemus, vituperemúsque in singulis, quæcunque modum sermonis non seruant, dum in talibus quibusdam disputationibus aut

prolixius, quàm decet, aut breuius loquimur. SOCR. Oportet sanè. HO. De his vtique iuxta benda ratio est. SOCR. De quibus? HO. De prolixitate inquam & breuitate, déque omni excessu atque defectu. Nam dimetiendi facultas ad hæc omnia pertinet. SOCR. Profectò. HO. Eam itaque bifariam distinguamus. Conducit enim ad id quod intendimus. SOCR. Dicas quo modo distinguendum. HO. Sic. Pars vna secundum mutuam magnitudinis, paruitatisque communionem, altera secundum necessariam generationis essentiam. SOCR. Qui istuc ais? HO. An non secundum naturam tibi videtur, quod maius est, nullo alio quàm minori maius esse dicendum, quóque minus, loco maiori minus? SOCR. Mihi verò. HO. Quid verò? Quod excedit mediocritatem, & quod exceditur seu dicendo, siue agendo, nónne esse dicemus id quo boni homines à malis differunt? SOCR. Apparet. HOS. Ergo essentias geminas iudiciáque magni & parui ponere decet: nec vt paulò ante dicebamus, inuicem istum ista referri debent, imò vt nunc dictum est, potius inuicem partim, partim ad mediocritatem comparanda videntur. Huius autem rationem nunquid intelligere volumus? SOC. Quídni velimus? HO. Si quis enim maioris naturam ad minus duntaxat referat, ad mediocre non referetur: quid ais? SOCR. Idipsum. HO. An non artes ipsas earúmque opera omnia hac ratione secernimus? eámue quâ quærimus ciuilem, & textoriam facultatem è medio tollemus? hæ siquidem omnes quod mediocri maius est, aut minus, non quasi non sit, sed vt difficile quiddam in actionibus vitant, atque ita mediocritatem seruantes bona omnia

a *Maius duplicitèr dicitur respectu minoris, & respectu mediocris.*

nia pulchráque efficiunt. SOCRA. Absque dubio. HOS. Nónne si ciuilem peritiam sustulerimus, manca nobis, & dubia erit regiæ scientiæ vestigatio? SOC. Valde. HOS. Vtrum quemadmodum in disputatione de sophista, non ens esse euicimus, postquã in eo nos destituebat oratio: ita nunc plus ipsum, & minus euincere debemus commensurabilia esse non inuicem solùm, sed ad mediocris quoque generationem? Neque enim ciuilis disciplinæ quispiã, neque alterius humanæ facultatis, nisi hoc admittit, potest esse peritus. SO. Hoc igitur summopere nunc est agendum. HO. Maius hoc opus, ô Socrates, est quàm illud, est quã prolixum illud quoque fuerit, recordamur. Verùm tale quiddã meritò de ipsis supponendum. SOCR. Quale? HO. Quòd eo quod nunc est dictum opus sit, siquidem docere velimus absolutum & syncerum natura quid sit. Insuper autem ad hoc vt præsentia, egregiè sufficientérque monstrentur, conferre mihi videtur sermo hic magnopere, quòd videlicet existimandum est, omnes similiter artes secundum maius simul & minus commensurari non inuicem tantùm, sed etiam ad mediocris ipsius generationem. Cùm enim hoc est, illa sunt: & cum sunt illa, hæc sunt, alterutróque horum sublato, vtrunque tollitur. SOC. Hoc quidem rectè. verùm quid deinceps? HO. Distinguere decet artem dimetiendi bifariam, quemadmodum suprà diximus. vnámque illius partẽ ponere artes omnes quæcunque numerum, longitudinem, latitudinem, profunditatem, & velocitatem ad contrarium metiuntur: alteram verò, artes illas quæ ad mediocre moderatúmque respiciunt, decénsq; & oppor-

[a] *Ars dimetiendi duplicitèr dividitur: vel enim cõparat excessũ cum defectu vtrũq; vel vtrũq; cum mediocritate.*

unum atque debitum, & summatim ad omnia, quæ, vitatis extremis, in medium congerunt. SOC. Ampla quidem vtraque portio est, & altera longè ab altera discrepat. HO. Quod sæpenumero ferunt, ô Socrates, ornati viri illi, qui magnũ aliquid ac sapiens loqui se putant, dum prædicant dimetiendi facultatẽ, circa omnia quæ fiunt, versari, id ipsum nunc dictũ est. Quicquid enim attisiosum est, mensuræ quodã modo particeps esse apparuit. quoniam verò quidam considerare nequaquã per singula genera diuisione eundo solent, hæc tam longè inter se differentia, statim conferunt in vnum, similia iudicantes. Sed & contrarium huius faciunt, quæ diuersa sunt, per partes minimè distinguunt: a cùm oporteat, vbi quis primò multorum percipit cõmunionem, non prius desistere quàm differentias omnes in ea quæ speciebus clauduntur, inspexerit: atque iterum quoties dissimilitudines plurimas in multitudine sentit, & ægrè sentit, non prius ab hac aspectus molestia desistere posse. quàm euncta quæ cognata sunt, intra cognationem vnã proprietatémque concludens vnius generis et sentia vestiat. De his igitur, déque excessibus atque defectibus hæc dicta sufficiant: id autẽ duntaxat seruandũ, duo hîc videlicet mensuræ genera adinuenta fuisse, & quæ ea sint, mente tenendũ. SO. Tenebimus. HOS. Post hunc sermonem, aliũ assumamus, de hiis quæ modò quærebantur, déque omni huiuscemodi sermonum tractatione. SOC. Quid istud? HOS. Si quis fortè nos percontetur de puerorum discentium circa literas exercitatione, quando interrogantur quibus ex literis nomen

a *Quomodo diuidẽdo vnum in multa secari debeat, & ex multis vnũ colligi.*

men aliquod constet, vtrũ putemus tunc eos interrogari vnius duntaxat nominis illius declarandi gratia, an potius vt in omni grãmatica eruditiores euadãt, quid respondebimus? SO. Vt in omni grãmatica. HO. Quid porrò? ciuilis viri indagatio ipsiũsne gratia magis proposita nobis est, quã vt in omni disputatione acutiores efficiamur? SO. Patet id quoq; quòd omniũ gratia. HO. Nemo vtiq; mentis cõpos textotiæ facultatis rationẽ ipsius dũtaxat gratia venari cõtẽderet. a Verũ plurimos latet, vt arbitror, rerũ quarundã cognitu faciliũ sensibiles nonnullas imagines esse, quas declarare nequaquã arduũ est, quoties ipsorum aliquis vult alicui rationẽ de aliquo perquirenti, non cũ ipsis rebus, sed absque ratione expeditè demonstrare. Rerũ aũt maximarũ pretiosissimarũq; nulla est imago quæ manifestè ad hominũ sensum captũque efficta sit: qua ostensa qui animũ scisciatis explere velit, sensui cuidã accõmodans penitus expleat. Quapropter cogitandũ est, vt rei cuiusliber rationẽ reddere & recipere valeamus. Incorporea nãque cùm maxima & pulcherrima sint, ratione sola, alio verò nullo perspicuè declarantur. Horum porrò gratia modò nobis dicta sunt omnia. Cuiuslibet autem rei consideratio in minoribus facilior quàm in maioribus extat. SOC. Præclarè loqueris. HO. Quorum itaque causa dicta nobis omnia hæc sunt, recordemur. SO. Quorũ? HO. Eius præcipuè molestiæ causa, qua circa textoriæ facultatis prolixã orationem affecti sumus, necnõ circa totius mundi reuolutionẽ: atque sophistæ sermonem de non entis essẽtia: putauimus sanè prolixiorem fuisse, quàm deceret disputationem. Atque in his omnibus

a *Res paruæ & corporeæ quibusdam sensibilibus imaginibus comprahẽdi possunt: incorporeæ verò minimè.*

nosmetipsos increpuimus, metuentes ne fortè in superuacuis diutiùs versaremur. Ergo ne deinceps iterũ tale nobis aliquid accidat, hotũ gratia hæc omnia à nobis dicta puta. SO. C.

a Non breuissima quæq; sed optima & commodissima doctrinæ etiã si sit prolixa via sequenda est.

a Fiet, dic tantùm quæ restant. HO. Dico igitur oportere, & me & te eorum quæ diximus semper memores, laudem & vituperationẽ facere breuitatis simúlque prolixitatis eorũ de quibus semper dicimus, non vt ipsas inter se prolixitates cõferamus, sed ad facultatis dimetiendi partem quæ ad decorum mensurat, quã suprà diximus memoria tenendam. SO. Scitè. HO. Sed nec ad hanc omnia referenda videntur. neque enim prolixitate quæ nulli congruit, ad voluptatẽ egebimus, nisi obiter. Nec quod quæritur, vt facillimè celerriméque inueniamus secundum, & non primũ ratio amplecti nos iubet: sed maximè omniũ, primũq; illũ honorare progressum, quo secundũ species distinguere valeamus, disputationémque longã haud molestè ferre, sed affectare potius, si quo modo ad inuentionem nobis conferat, similiter & breuem. Decet item eum qui longiores sermones vituperat, circuitúsque disputationũ huiusmodi nõ admittit, haud ita [stãtim iudicio suo indulgere debere vt temerè quãuis prolixitatem damnet: sed existimare, illud sibi probandum incumbere, nos] disputatione breuiore, & promptiores ad differendũ, & ad inueniendum sagaciores, si ipsam sequamur, reddi: alias autẽ & aliò tendentes, increpationes, laudésue, nec curare penitus, nec audire.

b Diuisio generis per species optima methodus visa Platoni ad inuestigãdas definitiones.

Ac de his satis, si tibi quoq; videtur: ad ciuilẽ facultatẽ iterũ redeamus, textotis exemplũ quod suprà posuimus, conferentes. SO. Egre-

gie

gie locutus es, atque ita vt iubes, efficiamus. HO. Nónne iam rex à multis pastorum officiis, imò ab omnibus armentorũ custodib. est distinctus? Restant vrbanæ facultates causarũ adiuuantiũ patitet & causarũ, quas primũ à se inuicẽ separare debemus. SO. Rectè. HO Has partiri bifariam difficile est. Cuius difficultatis causa sequenti sermone patebit. SOCR. Sic prorsus agendum. HO. [a] Per mẽbra itaq; ipsas instar victimæ discerpamus, postquã in gemina secare non valemus. Oportet enim in proximũ semper numerũ distribuere. SO. Quo pacto nũc id faceremus? HO. Quẽadmodũ in superiorib. omnes quæ instrumenta textura parabãt, veluti causas adiuuantes posuimus. SO. Nẽpe. HO. Idẽ quoque in præsentia & multò magis quod tũc nobis agendũ. quæcũq; enim magnũ aliquod aut paruũ in vrbe fabricãt instrumentũ, tanquã adiuuantes causæ ponendę sunt. nã sine his ciuitas constare non potest, neque ciuilis disciplina cõsistere. Nullũ tamẽ horũ regiæ artis opus esse ponemus. SO. Nullum prorsus. HO. Atqui difficile quiddam aggredimur, genus hoc ab aliis distinguentes. Qui enim dicit vnius cuiusdã eorũ quæ sunt instrumentum esse, vt verisimile quiddã loqui videtur, diuersum tamen eorum quæ possidẽtur in ciuitate, hoc est dicendũ. SO. Quidnã? HO. [b] Quod hanc vim non habet neque enim causæ sic conglutinantur generationi, vt instrumentum, sed ad eius quod confectũ est salutẽ. SO. Quale istud? HO. Quod siccis, & humidis, igne calefactis, & frigidis varium genus effectũ, quod vna appellatione [c] vas nominamus, quamuis species plurima sit. Hoc autem scientiæ illius quam perquirimus nõ est opus,

[a] *Tunc diuidere in mẽbra licet, quum διχοτμία vtì nõ possumus.*

[b] *Causæ & instrumenta plurimũ differunt.*

[c] *Vas quid.*

so. Quídni? HO. Tertia possessionum species multiformis apparet, terrestris atque aquatica, multiuaga & non errans, pretiosa, & vilis, vno significata nomine: quia vniuersum hoc semper alicui sedes efficitur, sessionis gratia. SOC. Quid hoc? HO. a Vehiculũ nuncupamus haud sanè multum peritiæ ciuilis opus est, imò architecturæ figulariæque, & æratiæ facultatis magis. SO. Intelligo equidem. HO. Nunquid quartum præter ista dicendum, in quo plurima ex iis quæ suprà retulimus, continentur? Vestimenta omnia, arma multa, muri, terrenique & lapidei ambitus, aliáque permulta. Cũque hæc omnia muniendi obiiciendíque gratia fiat, rectè munimenta obstaculáque cõmuniter appellari possunt, multóque magis architectorum textorúmq; quàm ciuilis sunt opera. SO. Sic est omnino. HO. Num quinto loco ornandi, pingendi, canendi artes locabimus? & quæcunque his vtuntur, & ab his fiunt imitationes quædam oblectationis gratia duntaxat excogitatæ, quæ meritò vno quodam nomine comprænhenduntur. SO. Quo? HO. Vniuersum hoc iocosum quiddam denominatur. SO. Absque dubio. HO. Vnum hoc nomen omnibus his conueniet, neque enim illorũ quicquã studii, sed ludi gratia semper efficitur. SOC. Hoc quoque ferme intelligo. HO. Facultatem verò illam quæ his omnibus præparat corpora, ex quibus & in quibus conficiuntur artium, quas modò narrauimus, opera, nónne sextam ponemus speciem variã, & ex multis artibus dependentem? SO CR. Quam dicis? HOS. Eam quæ aurũ & argentũ, cæteráque metalla terræ eruta viscetibus præparat. Item quæ syluas incidit, quæ tõdet, quæ ex his cõstruit aliquid, quæ

a *Vehiculũ quid.*

plicat

plicat atque contexit, seu quæ cortices arborum, siue quæ animalium pelles circuncidit, & polit, & quæcunque artes circa huiusmodi quædam versantur: rursus illæ à quibus suber, liber, codex, vinculáque parantur, vt fiant cõpositæ species ex generibus non compositis: vniuersum hoc appellamus primigeniam hominum possessionẽ, & simplicẽ, quæ regiæ artis nequaquam est opus. SOC. Optimè. HO. Septimum tenet locum nutrimenti possessio, & quæcunque cõmixta corpori, partibus suis partes corporis alere possint atq; curare: quod totum alimentum dici debet, nisi quod fortè pulchrius reperiamus. agriculturæ autem, venationi gymnasticæ, medicinæ, coquinariæ vniuersum hoc rectius quã ciuili tribuitur. SO. Rectius sanè. HO. [a] Fermè oĩa quæ possidẽtur præter domesticorũ animaliũ species, in his septem, arbitror, sunt numerata. Sic autem cogita. Par erat primigeniam illam, quam vocamus speciem primùm inducere, instrumentũ deinde, vas, vehiculum, munimentũ, oblectamentũ, nutrimentum: prætermittimus autẽ, si quid non magnum latuit, quod alicui istorũ accómodari possit, qualis est nũmorũ forma, sigillorũq;, & omnis characteris. Genᵃ enim hęc in illis nõ admodũ cognatũ habent, sed partim in ornatum, partim in instrumenta, violentius forsan, attamẽ si penitus trahantur quodãmodo congruunt. possessionem verò animalium domesticorum, seruis exceptis, gregis nutritio primò distincta, compræhendisse videtur. SOCRA. Et maximè quidem. HO. Restat seruorum ministrorúmque omnium genus, vbi præsentio eos palã reclamaturos esse,

[a] *Instrumẽta ciuitatis inseruientia operi viri politici.*

qui de hac parte, sic cum rege cõtendunt, quẽ admodum cum textore qui carminant, filántque, quíque alia de quibus diximus, faciunt. Cæteri verò omnes tanquam adiuuantes causa dicti vnà cum nunc memoratis operibus à regia ciuilíque actione seiuncti sunt atque discreti. SOC. Apparuit. HO Consideremus reliquos quàm proximè accedentes, vt certiùs ipsos cognoscamus. SOC. Oportet omnino. HO. Maximos porrò ministros quantũ hinc inuenri licet, contrariã eius quã suspicati sumus excitationem passionémque habere reperiemus. SO. Quos? HOS. Empta mancipia & simili quodam modo in seruitutem coactos homines. Quos sine controuersia seruos cognominare possumus, longissimè à regia dignitate distantes. SOCR. Quidni? HOS. Quid dicemus de liberis, quicunque sponte quæ suprà diximus ministeria obeunt, agriculturæ, & aliarum artium opera transportant, mutuísque commutant commerciis, siue de foro in forum in vrbe eadem, seu de vrbe terra maríque transferentes in vrbem, partim cum rebus aliis nummos, partim simile quiddã simili cõmutantes, quos nummularios, mercatores, nauicularios, caupones denominauimus? Nunquid isti ciuilem sibi peritiã vendicabunt? SOCRA. Fortè mercatorum artẽ. HOSP. Non tamen illi quos vtpote mercenarios cernimus passim omnibus ad seruiendũ expositos, regiã vsurpare dignitatẽ reperientur. SO. Est vt dicis. HO. Quid verò de his qui talia quædã nobis vbique ministrant? SOC. Quos dicis, & quarũ rerũ ministros? HOS. [a]Genus præconum inquã, & eorũ qui sapienter circa publicas literas subministrant, nonnullósque alios solertes rerum ad prin-

a *Ministri publici Reipub. qui.*

principum ministerium pertinentiũ elaboratores. Quid de his dicendum Socrates? SOC. Quod & ipse dicebas, ministros esse, non principes ciuitatũ. HO. Non vanũ est igitur [neque insomniũ,] vt arbitror, quod in superiorib. dixi, inuenturos nos hac ratione plerosque de ciuili curatione vehemẽter concertantes, quãis admodũ absurdũ alicui videri possit, eos in ministrorũ numero quærere. SOCR. Valdè quidẽ. HOS. Accedamus præterea propius ad eos qui nondũ examinati sũt: hi verò sunt qui circa vaticinandi artẽ habent scientiæ alicuius ministrę particulã. Interpretes enim [deorũ ergа homines] hi cẽsentur. SO. Certè. HO. [a]Quintiã sacerdotũ genus, vt lege habetur, intelligit quo pacto donaria diis, cæsis victimis, scitè sint offerenda. Item qua ratione vouendum sit, quidve boni sit à diis petendum. Hæc autem ambo ministratoriæ artis partes sunt. SO. Videtur. HOS. Iam igitur vestigium quoddam eius quod inquirimus attingere videmur. nam illa sacerdotum & vatum ratio, magnanimitate, intelligentiáque & claritate abundat, propter eorum quæ tractant magnificentiam. [b]Quapropter apud Ægyptios non licet regem absque sacerdotio imperare. Quinimo si ex alio genere quispiam vi regnum vsurpet, cogitur post regni assumptionem sacris initiari, vt rex denique sit, & sacerdos. Præterea in plurimis Græcorum ciuitatibus, repeties [mandari magistratibus maxima diuini cultus sacrificia peragenda: quin & apud vos id potissimum animaduertere licet.] nam [Regi sortitione creato aiunt isthic veterum sacrificiorum ea quæ maximè augusta sunt & patria facienda mandari.] SOCR. Et maximè

[a] *Quo iure habendi sint vates, aruspices & sacerdotes, inter ministeria publica ciuitatis.*

[b] *Apud Ægyptios Rex non est sacerdotij expers.*

quidem. HO. Hos itaque sorte creatos reges, sacerdotésque, & eorum ministros, necnon aliã quandam frequentem turbam considerare debemus, quæ paulò antè semotis superioribus in lucem venit. SOC. Quos inquis? HO. Miros quosdam inquam. SOC. Quamobrem? HOSP. Iam enim cogitanti mihi multiforme horum genus apparet. Multi nanque virorum leonum similes fiunt, centaurorúmque, aliorúmque huiusmodi, plurimi etiam satyrorum, imbecilliúmque, & multiformium bestiarum citóque transmutant alternántque inuicem formas & vim. Enimuerò nunc primùm eiusmodi viros, ô Socrates, animaduertisse mihi videor. SOC. Dic obsecro. videris enim mirum quiddam nunc videre HOS. Profectò. Nam vt mirum semper aliquid nobis contingat ignoratio efficit. Ac mihi modò idem contingit. Repentè nanque vt ambigerem accidit, cùm chorũ negotiorũ ciuilium intuerer. SOC. Quẽ? HO.* Maximum sophistarũ omniũ præstigiatorem, huiúsque artis præ cæteris peritissimũ, quem discernere decet à veris reuera regiis atque ciuilib. quãuis arduũ id sit, si modò quod quærimus perspicuè cognoscere volumus. SO. Nullo modo hoc intermittendum. HO. Non certè vt arbitror. Ac mihi dicas. SO. Quid? HO. [a] An non monarchia, id est principatus vnius, vna quædam est gubernationũ ciuilium? SO. Est. HO. Post hanc paucorum potentiã ponere possumus. SO. Sanè. HO. Tertiã verò multitudinis gubernationem quã popularem vocant. SOCR. Prorsus. HOS. Nónne tres hæ quodãmodo quinque fiunt, cùm duo alia nomina ex se insuper pariant? SO. Quænã? HO. Qui considerant & inuitis & volentibus itẽ & lege & arbitrio,

* vide infrà.

a. *Rerũ pub. quinque formæ recensentur.*

bitrio imperari posse. tū & pauperes esse posse qui præsunt, vel diuitiis ad imperiū euehi, duas in species tam vnius quàm paucorum diuidunt principatum. Et vnius quidem principatum sic appellant, quasi duas continentem species, duobus nominibus: Tyrannidē & regiā. SOC. Vtique. HO. Gubernationē verò quæ penes paucos est, in paucorum potentiā, & potentiam optimatū. SOCR. Omnino. HOSP. Populariis verò gubernationis nomen nullus vtique mutare aliquando consueuit, siue sponte, seu vi populus diuitibus quibusdā præuideat, siue lege, seu arbitrio regat. SOC. Vera narras. HOS. Nunquid existimamus aliquā harū gubernationum ciuiliū rectā esse finibus his distinctionibúsque determinatā? videlicet vno, paucis, multis, paupertate, diuitiis, violentia, voluntate, legibus, & arbitrio? SOCRA. Quid prohibet? HO. Considera diligētius, & hāc me sequere. SOC. Quā? HO. Stabimúsne in eo quod in principio dictum, an non? SOC. In quonam? Ho. Regiā dignitatē vnā quandā scientiarum esse diximus. SOCR. Diximus. HOS. Neque in quouis scientiæ genere illā locauimus. E multis quippe aliis facultatē illam quæ iudicat simul præcipítque, selegimus. SOC. Sanè. HO. Eā deinde quæ præcipit, partim rebus inanimatis, partim animatis & eodem ordine diuidentes, huc sumus progressi, vt scientiæ nomen seruaremus: quæ verò potissimū scientia sit, nondū declarate potuimus. SOC. Rectè loqueris HO. [a] Nunquid igitur videmus descriptionē eorū neque secundum violentiā & voluntatem, neque secundum paucos ac multos, neque per inopiam & opulentiam fieri oportere, sed per scientiam quandam, si superiora sequamur?

[a] *Accidentia à definitionibus remouenda vide infra.*

SOC. Necesse est vt id fiat. HO. Necessariò igitur hoc nunc ita considerare debemus, cuiná horum maximè imperatoriæ facultatis scientia insit, quæ fermè paratu maxima omnium atque difficilima est. Inspicere nanque illam oportet, vt videamus quinam à sapiente regendi sint, qui sibi ciuilè peritiá vendicant, idque plurimis persuadent, cùm ab ipsa procul admodũ absint. SOC. Sic prorsus agendũ, vt ratio superior monuit. HOSP. Nunquid igitur multitudo tibi in ciuitate huius scientiæ cõpos videtur? SOC. Quónã pacto? HOSP. An in mille hominum ciuitate fieri potest, vt centũ, vel quinquaginta viri sufficienter eam adipiscantur? SOCR. Facilima omniũ artiũ hæc esset scimus enim in mille hominum numero totidè viros qui talorũ ludo cæteros Græcos exuperent, nequaquã reperiri, nedũ reges. At qui virũ illũ quicunque regia peritia instructus est, regè vocare, siue dominetur, siue priuatus degat, iuxta rationem illã superiorem oportet. HOS. Pulchrè monuisti. arbitror autè iuxta hũc sermonẽ rectã gubernationé, siquãdo recta sit, circa vnũ, vel duos, vel paucos esse quærendam. SOCR. Quídni? HOS. Existimare verò eos ciuiles ac regios homines oportet, qui arte quadam imperant volentibus, an nolentibus secundum scripta, an absque scriptis, institutísque & legibus, pauperes an diuites ipsi imperitent, nihil refert. Nam & medicos nihilominus sic appellamus, siue inuitis, siue volentibus secando, aut vrendo, vel aliũ dolorem afferendo, scriptis aut ex vsu curent, pauperes ipsi aut diuites medeantur, modò arte quadam curandorum corporum, vel purgando, vel extenuando, vel replendo augen-

dóque

dóque vtantur. Æquè enim medicos nominamus,dummodò qui curant ad bonũ corporis respicientes,ex deteriori habitudine in meliorẽ restituant atque seruent.hoc modo duntaxat,vt arbitror,rectã esse dicemus medicinę, vel cuiusuis alterius principatus definitionẽ, alio verò nequaquã. SO. Ita prorsus existimãdum. HOS. Necesse est igitur eam maximè, ac solam rectã existimare rempublicã, in qua qui magistratibus funguntur,reuera gubernare sciunt,& non videtur tantùm: siue legibus, seu absque legibus dominentur, siue volentibus,siue inuitis, vel etiam si pauperes sint, vel diuites. Nihil enim ex his quicquam ad rectam gubernandi rationem refert. SOC. Præclarè. HO. Neque insuper refert, siue capitalibus pœnis & exilijs quibusdam cõmunis boni gratia ciuitatem purgent, seu colonias tanquam apum examina emittant, populúmque comminuant,siue aliunde homines futuros ciues aduocent,ciuitatémque amplificent. Quatenus enim scientia & iustitia freti ex deteriori meliorem pro viribus ciuitatem efficiunt, atque seruant, eatenus rectã appellari rempublicã volumus, & in eo ipso duntaxat definitionẽ rectæ gubernationis consistere. Cæteras verò omnes neque legitimè, neque verè dici putandũ.Sed eas quæ hanc imitantur,libenter laudamus,velut rectè ad meliora tendentes:alias cõtrà vituperamus,tanquã imitatione malorũ ad deteriora procliues. SO. Cætera quidẽ hosce probè dicta videtur:bisthuc verò quod inquis, gubernationẽ sine legibus rectam esse posse,haud facilè admitti potest. HO. Paulùlũ me interrogando, ô Socrates, præuenisti. Erã enim percontaturus, vtrum hæc admittas

a *Vera & essentialis nota viri politici, hæc est, Scire gubernare.*

b *An gubernatio sine legibus recta esse possit.*

omnia, an quicquam eorum quæ dicta sunt tibi molestum est. nunc autē constat nos velle de iis qui rectè sine legibus præsunt, disserere. SO. Proculdubio. HO. Patet autem quodāmodo, legum lationem ad potestatē regiam pertinere. Sed est optimū, non leges quidem valere, sed hominem prudentem regiúmque. Nunquid huius rationē intelligis? SO. Declara. HO. Quoniam lex nequit quod optimum omnibus est & iustissimum syncerè cōpræhendendo, semper ita, vt operæpretium est præcipere, quando hominū actionúmque dissimilitudo instabilísque rerum humanarum conditio facit vt ars nulla simplex quicquam, & in vniuersum de omnibus pérque omne tēpus valēs constituere possit. Concedimus ista? SOC. Planè. HOS. Legē verò cernimus ad hoc ipsum niti, quasi hominē quendā pertinacē & impetitum, qui nihil quàm quod ipse constituisset, fieri permittat, sed nec rogare quenquā, si quid noui præter id quod constituit potius meliúsque alicui videatur. SOCR. Vera loqueris. Ita enim vt dicebas lex homines cogit. HO. At fieri non potest, vt certus quidam & vnius modi simpléxque ordo valeat in his quæ varia semper sunt, vnius modi verò nunquam. SOC. Apparet. HO. Inueniēda igitur causa est, quā propter leges ferre necesse est, lex ipsa licet optimū atque rectissimū nō sit. SO. Cui dubiū? HO. Nónne & apud vos, & apud alios quosuis mortales sunt quædā frequentiū hominū exercitationes cōmunes, siue cursu, siue alio quocunq; genere decertare velis? SO. Permultæ. HO. [a] Age nunc repetamus memoria præcepta illorū qui arte quadā exercitationib. præsunt. SO. Quænā? HO. Arbitrantur illi quidē fieri non posse, vt

[a] *Causa declaratur cur non sit optimum penes leges summam esse Reip. potestatem.*

vt quod sigillatim & vnicuique seorsum conuenit præcipiatur. Itaq; quod communius est, quódq; & plurimis & plurimùm conducere putãt instituendum censet. s o. Præclarè. H o. Quamobrem dũ æqualib. laboribus hodie cunctos astringũt, paribúsq; exercitationib agitãt, fit vt vel nimis incitẽt, vel enerueut, & inepta ad cursum palæstrámq;, & alia certamina corpora reddant. s o. Sic accidit. H o. Legum quoque conditorem putemus suis gregib. præsidentem, déque iustis operibus mutuísue commerciis iura dantem, nõ posse dum cunctis in vnum consulit, accuratè ad singulorum commoditatem iúsve prospicere. s o. Consentaneũ est. H o. Cæterum, vt arbitror, quod & plurimis & plurimum cõducit, communiter instituet, ac huiusmodi leges & scriptis, & nõ scriptis, sed patriis morib. inducet. s o. Rectè. H o. Rectè admodum. Etenim quo pacto quis possit per omnẽ vitam ad singulos circunspicere, sedulúsq; assidere cuiq;, & cuiusque commoditati consulere? Nam si quis disciplina regia præditus hoc efficere posset, vix vnquam impedimenta ista quæ leges appellãtur, sibi præscriberet. s o. Ita prorsus ex his quæ dicta sunt videtur. H o s. Imò magis, ô optime, ex his quę dicẽtur. s o. Quibus? H o. Hisce inquam: si medicus quidã aut gymnasticus imminente longa peregrinatione, procul ab iis quos curat abfuturũ diu se putet, putétq; aut qui exercẽtur, aut qui ægrotãt suas præceptiones nõ recordaturos, num agendorum monumẽta quędam illis conscribere cogitabit, nécne? s o. Cogitabit vtique. H o s. Quid si præter opinionem ocyus quàm putauerat reuertatur, vetabitúrne alia illis præcipere præterea quæ

quondam scripserat: si qua potiora ægrotantibus adhiberi possint, ob ventos, aut quid aliud præter spē Dei voluntate contingere solitū? perseuerabítne inquā in prioti proposito, neq; primas institutiones trāsgredi quenquam patietur, nec ipse mandare alia, nec ab ægrotante alia præter solita obseruari, quasi ea & medicinæ artis propria sint, & saluberrima: quæ verò aliter fiant, præter artē sint, & noxia? An potius quicquid ciusmodi in scientia artéq; vera accidit circa omnia, risū plurimū de prescriptis illis cōcitabit? SOC. Et maximè quidē. HO. Ei verò qui iusta & iniusta, honesta & turpia, bona & mala, siue scriptis legib. siue non scriptis hominum gregibus, quicunque in ciuitate ad legum scriptarum normam viuunt, tulit inducitque, non licebit alia quædam præter ea quæ scripta sunt agere, neque si ipse idem qui antè conscripsit, redeat, neque si quis alius eius similis veniat? an potius dubitatio talis nō minus, quàm illa superior reuera ridicula videretur? SOC. Nihil prohibet. HO. Nosti ergo quod hac de re vulgò dicatur. SOC. In præsentia non memini. HO. Atqui pulchra dicunt, aiunt enim si quis leges quasdam prioribus meliores inuenerit, & eas ciuibus persuaserit, eum oportet leges ferre: si non persuaserit, non oportere. SOC. Nunquid rectè HO. Forsitan. Sinautē quispiā non persuasione, sed vi quod rectius est, induxerit, quod erit potissimū ei violentiæ nomen? respondē, imò nondum ad ista, sed ad superiora prius. SOC. Quæ tus non persuadeat, sed cogat eum quem curat puerum, vel virum, vel mulierem præter scripta, quod melius agere, quódnam erit ei violen-

violentiæ nomen ? Nónne aliud quiduis potius eſt quàm [peccatum aduerſus attẽ commiſſum quod morbum inferat] & quiduis aliud potius [hoc modo coactum hominem paſſum eſſe à medico qui illũ coegit quã quippiam præter attẽ præſcriptum , & valetudini noxium dicendum eſt?] SOC. Vera loqueris. HOS. Quid autem contra ciuilem artem delinquitur ? Nónne quod turpe dicitur, quod malum,& quod iniuſtum? SOC. Iſthuc ipſum. HOS. Age, quum aliqui coguntur præter patrias leges moréſque facere quæ iuſtiora,meliora,honeſtioráque ſunt , nónne ridiculoſiſſimus omnium erit quiſquis vim eam vituperabit,dicétque illos à curatoribus qui coegerunt,tutpia,mala,iniuſta fuiſſe perpeſſos? SO. Vera penitus loqueris. HO. Nũquid ſi diues eſt qui cogit, iuſtæ coactiones ſunt:ſi pauper autem,iniuſtæ?An potius ſiue perſuaſerit,ſiue nõ perſuaſerit,ſiue pauper ſit , ſeu diues,& ſecundum ſcripta , vel præter ſcripta , modò vtilia inducat,dicẽdum eſt eam veram eſſe rectè gubernationis ciuilis normam & regulam,ſecundùm quam vir ſapiens bonúſque gubernabit ſemper ita ad ſubditorum ſalutem reſpiciens, vt ad nautarum nauiſque ſalutem reſpicit gubernator. Nam vt ille non ſcriptis , ſed arte quaſi lege quadam nautas ſeruat , ita & vir ille verè ciuilis , & ab iis qui ita dominari poſſunt, recta naſcitur rerum ciuilium adminiſtratio , vim artis legibus potiorem adhibens. Ac ſummatim quicquid prudentes principes agant nunquam delinquunt,quandiu vnum hoc potiſſimum ſeruant vt mente & arte quod iuſtiſſimum eſt ciuilibus inducentes , tueri eos valeant , melioréſque ea

deterioribus quoad fieri poteſt, efficere. SOC. His quæ modò dicta ſunt, repugnare non licet. HO. Neque illis inſuper. SO. Quibus dicebas? HOSPES. Quòd nulla vnquam multitudo [etiam ciuſmodi ſcientia prædita, poſſit prudenter & cum ratione ciuitatem regere]a Sed vna illa recta ciuitatis adminiſtratio vel apud vnũ, vel apud paucißimos cerrè eſt quærenda. Cæterę verò tãquam imitationes quædam ponendæ videntur, vt paulò ſuprà dictũ eſt, hanc nunc quidem in meliorem partem, nunc in deteriorem imitantes. SOC. Quomodo iſtud dicebas? neque enim quod de imitando paulò antè dixiſti, ſatis tum intellexi. HO. Haud malè fecerit, ſi quis hoc illato ſermone deſiſtet prius, quàm errorem, qui circa hoc nunc eſt commiſſus oſtenderit SO. Quem errorem inquis? HO. Tale quod iam quærere neceſſe eſt, quod quamquam neque cõſuetum, neque cognitu facile eſt, ipſum tamen comprehendere annitamur. Cùm ſola hæc quam memoratuimus, recta ciuilis gubernatio ſit, nónne cæteras huius inſtitutis vtentes, ſeruari neceſſe eſt, dum agunt quod modò laudabamus, quamuis rectißimum id nõ ſit? SO. Quid illud? HO. Quòd nemo quicquam præter leges cõmittere audeat, & quiſquis audet, morte mulctetur, extremiſque omnibus ſupplicijs affligatur, id autem eſt ſecũdo loco rectißimum atque honeſtißimum: [quando primum illud quod modò dictum eſt, quis loco ſuo moueret & ſuſtulerit.] Quo autem modo euenire quòd modò ſecundum eſſe diximus, declaremus. Viſne? SOC. Et maximè quidem. HOS. Veniamus iterum ad imagines, quibus regios viros ſemper comparare neceſſe eſt. SOCR.

a *Perfecta adminiſtratio apud vnũ vel paucos.*

Quas

Quas imagines inquis? HOS. Generosum in- Iliad. 2.
quam, nauis gubernatorem, multísque, vt ille dicebat, aliis æquiparandum medicum consideremus iam imaginem eius rei aliquam fingentes. SOC. Qualem? H O. Talem quandam, vt si omnes grauia nos quædã ab illis pati nobis persuadeamus: vtputa quos nostrũm seruare vtrique velint seruent: quos contrà perdere, perdant, dum secant, vrunt, & [interea iubent eos sibi tanquã tributa sumptus pendere] cúmque multa cogant expendere ægrotantem ipsi pro ægrotante exponunt aut parum aut nihil, reliquis autem rebus & ipsi & ipsorum ministri vtuntur: demum acceptis pecuniis, vel à cognatis, vel ab amicis ægrotantis, mori eum cogunt. Gubernatores quoque alia quædam huius generis permulta patrare dicuntur, vtputa qui homines sæpe ex composito in recessibus solos destituant, vel quum aliquo impegerunt in pelago in mare illos eiiciant, ínque multis aliis dãnis eos afficiãt. Persuadeamus itaque nobis nos his cauſis lacessitos consiliũ capere quo pacto auctoritatẽ artibus illis auferamus, ne absoluta potestate vlteriùs, aut seruis aut liberis hominib. dominentur: & ob hoc cœtu facto nos concurrere, & vel omnẽ populũ, vel diuites tantũ conuocare, vbi etiam rudium hominum, & aliorum artificum de nauigio morbísque consilium audiatur: quónã pacto medelis instrumentísque medicis nos apud ægrotos vti oporteat: item nauibus & earum instrumentis nauigando, periculáque procellarũ, & fluctuũ euitando, & piratarum insidias euadendo, ac etiam si mari longis nauibus aduersus similes sit pugnandum, qua ratione vti his deceat.

a Quãtopere absurdũ sit magistratus ex legũ præscripto, & nõ propria prudentia sapere & regere elegãti imagine docetur.

aFingamus inquã, quæ hisce de rebus, vel medi-
corũ gubernatorúmq;, vel rudiũ hominũ tur-
bæ cõsultandi videntur, in publicis quibusdã ta-
bulis colũnísq; inscribi. & mores quosdã re-
túsque non scriptos, sed patrios hisce de rebus
constitui, sic vt reliquũ tẽpus omne ad horum
normã nauigandũ sit atque medendũ. SOCR.
Vehementer absurda finxisti. HOS. Præterea
quotannis populi principes constitui, siue ex
diuitibus, siue ex omni populo sorte delectos,
qui iuxta scriptas illas institutiones & naues
gubernent, & ægrotantibus medeantur. SOC.
Hæc superioribus quoque duriora videntur.
HO. Videamus præterea quod hinc sequitur.
Cùm annui magistratus cuiusq; tempus exa-
ctum fuerit, necesse erit iudicio: aut ex dele-
ctis diuitibus, aut ex vniuerso populo sorte
constituto, istic sistere viros illos magistratib.
functos, ab iisque ratione reposcere: ita vt li-
ceat volenti cuilibet litem eis intendere, quòd
aliter quàm leges iubeant, & patria consuetu-
do doceat, aut naues gubernauerint: aut ægros
curauerint: & qui aliter fecisse deprehenden-
tur, lata sententia, vel supplicio, vel mulcta a-
liqua à iudicibus afficiantur. SOC. Nónne qui-
cunque magistratum inter huiusmodi homi-
nes sponte susc ipit, meritò quoduis suppliciũ
damnúmve patietur? HO. Ferre insuper legem
oportebit, si quis præter scriptas cõstitutiones
nauigandi rationem aliquam nouam inferat,
aut sanitatis tuendæ rationem, secundum ven-
tos, & calores, & frigora perscrutetur præter
scripta & circa hæc ex ingenio suo philoso-
phetur, doceátque: primò quidem hunc ne-
que gubernatorem esse, neque medicum no-
minandum, sed curiosum quendã delirúmq;

sophi-

sophistam, deinde à quolibet in iudicium trahi posse, vtputa qui iuniores alios corrumpat, suadeátque vt gubernatoriam & medicinam [non secundũ leges inuadant & capessant, & pro arbitrio imperent nauigiis & ægrotis:] ac si præter leges & scripta iuuenibus, aut senibus persuadere quicquam reperiatur, extremis supplicijs affici, neque enim oportere quicquam legibus sapiẽtius esse: neque enim quenquam aut medicinæ sanitatisque naturam, aut gubernandi nauigandíque optimam rationem ignorare, scripta moréq; patrios perdiscere volentẽ. Si hæc ita cõtingant circa scientias quas narrauimus, aliásque permultas, vt secundum præscripta potius quàm secundum artem agatur, quid dicemus, ô Socrates? Viputa si idem circa rem militarem, omnémque venationem, circa picturam quoque, & vniuersam imitationem, circa architecturam, & omnem instrumentorũ suppellectiliúmque effectionem, circa agriculturam & omnem plantandi curam, equorúmque & armentorum omnium custodiam, tum circa vaticinandi artem [& alias omnes ministerij publici partes,] aut circa talorum ludum, arithmeticã nudã, vel eam quæ circa planũ, aut profundũ, aut velocitatẽ tarditatémq; est, constituatur. s o. Certũ est, si ita se res habeant, artes omnes funditus subuerti, neque deinceps vnquam renasci ob hanc ipsam legem quæ rerũ nouarũ indagationem vetat. Vnde vita quæ nunc difficilis est, tunc prorsus etiam intoleranda fieret. H o. Quid ad hoc? Si secundum præscriptas leges fieri singula cogeremus, legibúsque ipsis præficeremus virum quendam, vel consensu populi designatum, vel sorte creatum,

qui spretis legibus, aut lucri causa aut propriæ libidinis gratia alia quædam præter hæc quæ sunt instituta, imperitus rerum agere tentet, nónne hoc priori malo deterius? SOCR. Maximè. HO. [Nã sic cogitò, si quis præter leges quæ ex experientia multa positæ sunt, positquã consiliarij aliqui gratia valentes illas suaserũt, & persuaserunt populo, vt illas poneret] committere aliquid audet, scelus committit superiori peccato longè deterius: ac multò magis quàm si ipsæ leges, officia vitæ confundit atque peruertit. SOCR. Magnopere. HO. Quapropter legibus constitutis, altera iam (quemadmodũ dicitur) nauigatio est, vt nemo quicquam vnquam præter illas facere permittatur, siue singuli, siue populus hoc conetur. SOCR. Scitè. HO. Nónne imitamenta quædam veritatis singulis hæc erunt, quæ ab intelligentibus pro virili constituta fuerunt? SOCR. Nihil obstat. HO. Atqui si recordamur ciuilem teuera hominem atque peritum suprà diximus multa sæpe ex arte facturum præter instituta quæ antea scripserat, quoties potiora quædam iis quæ absentibus transmisit, inuenisse putauerit. SOCR. Diximus procul dubio. HO. Nónne si vel singuli, vel populus ipse, cui leges prescriptæ sunt, præterquàm quòd illis legibus traditum aliud quiddã tanquã melius aggrediuntur, idem pro viribus quod verus ille ciuilis virgit. SOCR. Summopere. HO. Si qui igitur imperiti id agerẽt, imitati quidem verum ipsum annitérentur, peruerse tamen imitarentur. Si qui autem periti, idem contendant, haud amplius imitatio iam hoc, sed illud ipsum veriſſimum erit. SOCR. Omnino. HO. Enimuerò id iã antè inter nos conuenit, artem nullã à multitudi-

Legib. positis ex illarũ præscripto regenda est ciuitas à magistratibus.

tudine aliqua posse percipi. SOCR. Conuenit certè. HO. Ergo si ars quædã regia facultas est, turba diuitum, & populus omnis scientiã hãc ciuilem nunquam nanciscitur. SOC. Nunquã. HO. [a] Oportet itaque respublicas eiusmodi, si quando veram illam gubernationem vnius viri arte imperantis pro virib. imitaturę sunt, nunquam quicquam prȩter scriptas leges moresque patrios facere. SOC. Egregiè locutus es. HO. Eandem illã cùm diuites imitantur, eam remp. optimatum gubernationem vocamus: quando verò leges pro nihilo habent paucorum potentiam. SOC. Fortasse. HO. Quinetiam quoties vnus secundum leges dominatur, sciẽtem illum imitatur, [b] regem vocamus, non distinguentes nomine illum, qui scientia solus imperat, ab eo qui opinione secundum leges solus etiam dominatur. SOC. Ita videtur. HO. Nónne igitur si vnus vera illa scientia prædĩtus imperat, idem nomen. hoc est regium, habet, nec alio cognomento appellatur? Nam ex quinque nominibus gubernationum ciuilium quas narrauimus, vnum solum hoc erat. SOC. Videtur. HO. Quid porrò? quoties neque ex lege, neque ex more quispiam dominatur, simulatque scire se prȩter leges rectius hac ita fieri oportere, ineſt autem libido & ignorantia quædã, quæ imitationẽ eiusmodi inducit, [c] an nõ vir talis tyrannus est appellãdus? SO. Et maximè quidẽ. HO. [c] Hac ratione rex extitit, vt diximus, & tyrãnus, paucorũ potẽtia, optimatũ gubernatio, nec non popularis administratio, cũ ęgrè ferrẽt homines vnius imperiũ, differẽtérq; virum talẽ reperiri aliquando posse tanto impetio dignum, qui & possit, & velit virtute & scientia imperãs, sanctè & iustè suum

[a] *Paucorum & populi dominatus tũc laudabilis est, quũ scrẽptis legib. & moribus patrũ nititur.*

[b] *Rex quis: duæ Regum species.*

[c] *Tyrannus.*

[d] *Cur prȩter Regnũ quod est optimum genus gubernationis, inuentæ sint aliæ Reip. formæ.*

cuique ius tribuere, timeréntque præterea ne fortè vir vnus licentiã nactus, quemlibet pro libidine læderet, & opprimeret, atque necaret, quoniã si talis quidam qualẽ figurauimus, nobis occurreret, amaretur profectò eius administratio, quæ sola omniũ rectissima est, conducíque ad bene beatéque viuendũ. SOCRA. Sanè. HOSP. Nunc autẽ postquã non nascitur rex talis in ciuitatibus quali inter apũ examina statim à principio tã corporis quã animi habitu vnus cæteros antecellens necesse est, vt videtur cœtu consultantiũ facto institutа conscribere [verissimæ & perfectissimæ administrationis vestigia retexendo, & aliquãtulũ ab ipsis declinãdo.] SOCRAT. Sic apparet. HO. Et miramur, ô Socrates, quòd in gubernationibus huiuscemodi mala quæ fieri videmus, eueniant, venturáque sint, eo iacto fundamento, quod non scientia, sed scriptis quibusdã institutionibus moribúsque vtitur tantũ in rebus agendis, quo si alia quædã gubernatio vel ciuitas vtatur, certũ est omnia funditus euersurã. Aut illud fortasse mirũ magis videri debet, quòd robusta res natura ciuitas sit: nã cũ ciuitates nonnullæ sic iãdiu affectæ sint, permanent nihilominus, neque corruũt: mulræ tamen nauiũ instar submersæ perierũt, pereunt, atque peribunt, ob gubernatorũ nautarũque improbitatẽ, qui in rebus maximis extrema quadã ignorãtia detinentur: quoniã cũ rerũ ciuiliũ prorsus ignari sint, in iis tamen plurimũ sibi sapere videntur. SOCRAT. Vera loqueris. HOS. Cũ igitur omnes hæ non rectæ resp. sint ad [cõmunem vitã difficiles, videndũ quę cõmodissima, quęue omniũ grauissima sit] quæ res etsi minus ad id, de quo nunc agimus, perti-

pertinere videtur, tamē in vniuersum fortasse omnes omnia huius gratia facimus. SOCRAT. Ita prorsus agendū. HO. E tribus vnā atque eādē facilimā simul, & difficilimā ferunt. SOCR. Qui isthuc ais? HOS. Non aliter quā suprà recēsuimus ab initio huius sermonis confusi, tres scilicet esse ciuiles gubernationes vnius, paucorū atque multorū. SOCRAT. Erāt & suprà. HOSP. Singulis autē in duas diuisis, sex efficiamus, rectāque ipsam velut septimā ab aliis secernamus. SOCRAT. Quo pacto. HOS. Vnius principatū in regnū, & tyrānidē distribuimus. Dominationē verò quę non multis cōpetit, in speciē vnā quæ laudanda est, optimatum scilicet gubernationē: alterā quæ vituperāda, paucorū potentiā. At multorū administrationem tūc simplicē posuimus, populare gubernationē denominātes: nūc verò & hāc duplicē esse dicamus. SOCRAT. Qua igitur ratione diuidemus? HO. Non alia quā reliqua, etiā si nomē huius sit geminū. Verū tā huic quā aliis cōmune hoc est, vt leges vel seruent, vel trāsgrediātur. SOCRAT. Est vtique. HOS. Tunc sane rectam gubernationē quærentibus, partitio hæc nihil conducebat, vt suprà mōstrabamus. Postquā verò illā segregauimus, cæteras verò necessarias duximus, in his iam legum vel custodia vel transgressio singulas bifariā partiuntur. SOCR. Ex eo qui nunc est dictus, sermone, ita videtur. HOS. [a] Vnius igitur dominatio bonis coniuncta constitutionibus, quas leges vocauimus, sex illarum omniū optima est: legum expers dura est, & subiectis omnium one rosissima. SOCR. Apparet. HOS. Gubernationē verò in qua non multi imperitant, mediā censere debemus, quē admodum quod paucū est,

[a] *Ex sex Reip. formis, ex suppositio ne necessariū optima est Monarchia legibus administrata, ex iisdē ex legib. omniū minimè intolerabilis est populi dominatus.*

inter vnum multáue medium obtinet: cæterũ multorum administrationẽ per omnia debilẽ, vtpote quę ad alias cõparata, nihil magnificũ, siue bonum, siue malum efficere possit, propterea quòd magistratus [per minutas partes in multos sunt distributi. Quapropter legitimarum omnium Rerump. hæc deterrima est, iniquarum omnium, optima. Ac si omnes intemperatæ sint, in populari præstat viuere: si temperatę omnes, minimè omnium in ista viuendum. In prima verò vitam agere potissimũ est atque optimũ, excepta septima. Illã namq; ab aliis omnibus gubernationibus, non aliter quàm ab hominibus Deum secernere decet. SOC. Videntur hæc ita fieri atque contingere, & vt inquis, agendum est. HO. Nónne igitur omnes harum Rerump. ea sola quę cum scientia est, excepta, participes segregare decet, vtpote qui nõ reuera ciuiles, sed seditiosi viri sint, laruarúmque ingentium pręsides, imò laruæ ipsæ, simiæ maximæ, maximíque præstigiatores, sophistarúmque sophistæ? SOCR. Cognomentum hoc iis qui ciuiles dicuntur, competere iure videtur. HO. Iam tandem ab arte ciuili Centaurorum illam Satyrorúmque choream vix tandem separauimus, quam suprà cernere nos dicebamus, & à ciuili separandã arbitramur. SOC. Videtur. HO. Difficilius præterea quiddam his restat, quod eò difficilius à rege discernitur, quò illi est natura coniunctius, ideóque idem nobis quod aurum purgãtibus contigisse videtur. SOC. Quemadmodũ. HO. Terram & lapides, aliáque permulta ab illo primùm artifices separant: supersunt autem post hęc cognatiora quędã auro pretiosiorá-que cõmixta igni solo ab auro secernenda: æs,

ar-

argentum, quandoque etiam adamas: quæ vix tandem facto ad ignem examine explorantur, aurúmque putum putum videre nos sinunt. SOC. Ita de iis fertur. HO. Eadem ratione & nos videmur à ciuili nunc scientia vehementer aliena & longinqua admodum separasse, proxima verò & honoranda reliquisse. [a]Quorum numero est, pręfectura exercitus, iudicialis prętura, oratoria dignitas cum regia autoritate cõmunicãs, dum quod iustum est, persuadet, & cum illa publicas res gubernat: quæ si quis modo quodã facilè segreget, nudum iã ac solum illum quem quęrimus, ciuilem nobis ostendet. SO. Haud dubium est quin sit hoc omni studio conandum. HO Experientię quidẽ causa ipse patefiet, per musicã verò patefacere conandum. Ac dic mihi. SO. Quid vis dicam? HO. An est disciplina nobis aliqua musicæ, & omnino artium quę manuum ministerio peraguntur? SO. Est. HO. Quid igitur, num & hîc scientiã aliquam esse dicemus, quę doceat, quę artium discenda sit quę minus? SO. Esse planè dicemus. HO. Nónne hanc ab aliis esse diuersam fatebimur? SOC. Et hoc. HO. Deinde nullámne earum, aut alterã alteri dominari, aut huic illas, aut illis hanc omnibus velut antistitem pręesse dicemus? SO. Eã quę de singulis artibus quęnam discendę sunt, & quę minus diiudicat. HO. Et docenti igitur, & discenti imperare illam asseris? SOC. Prorsus. HO. Et eã quę iudicat, persuadendúmne sit, an non, illi quæ persuadere potest? SOC. Quídni? HOS. [b]Persuasionem illam quæ ad turbam fit per sermocinationem, exhortationémque potius quàm doctrinam, cui potissimum scientię tribuemus? SOC. Constat oratoriæ tribuen-

[a] *Quænã artes ciuili scientiæ sint maximè cõiunctæ.*

[a] *Quomodo oratoria à ciuili distinguatur*

dam esse. HOS. Cuius artis officium dicimus, iudicare vtrum vi an persuasione vti, & in quibus, & contra quos vti deceat? SOCR. Eius quæ persuadendi dicendíque peritiæ dominatur. HO. Est autem, vt arbitror, ea nulla prætereà ciuilis hominis facultas. SOCR. Præclarè. HO. Sic igitur protinus oratoria à ciuili facultate distincta videtur, vt species quædam alia, ciuili isti subiecta. SOCR. Certè. HO. Quid insuper de hac facultate cogitandum? SOCR. Quæ. HO. a Quæ pugnamus aduersus eos quibus bellum indiximus. Num artificiosam hãc, an artis expertem esse dicemus? SOCR. Quis verò arte carere dicat, ea omnia quæ imperatoriæ, & quæ militaris disciplinæ sunt? HO. Facultatem verò illam, quæ consultando prudenter deliberare potest quibus cũ bellum gerendum sit, vel pax ineunda, nunquid ab ea diuersam, an eandem cũ illa putabimus? SOCR. Diuersam, si quidem superioribus stamus. HO. Nónne si superiorum rationem sequimur, hãc quæ de bello consultat, illi quæ bellum gerit, dominari dicemus? SOCR. Idipsum. HO. Quam verò facultatem verè præter regiam illam ciuilium rerum disciplinã potentissimæ totius rei militaris arti præesse dicemus? SOCRAT. Nullam prorsus aliam. HO. Scientiã igitur eorum qui exercitus ducunt, quia obedit & seruit alteri, haudquaquã ipsam ciuilem facultatem ponemus esse. SOCRAT. Haud sanè decet. HO. Age b iam iudicum qui iustè singula iudicant, munus cogitemus. SOCRA. Cogitemus. HO. Nunquid longiùs patet, quàm vt citra contractus omnigenos quid iustum, quid non, consideret & ad normã legum quas rex ipse condidit, respiciens, de singulis indicet,

a *Scientia rei militaris subiecta est ciuili.*

b *Iudicũ munus subiectũ est ciuili.*

cet, propria virtute semper adhibita, per quam neque muneribus, nec minis, nec misericordia, nec odio, nec amore legibus transgressis, mutuas accusationes dissoluat? SOCR. Non aliud certè quàm nunc abs te dictum, iudicis est officium. HO. Constat itaque vim iudicum non esse regiam illam maiestatem, sed legum custodem, regisque ministrã. SOCRAT. Apparet. HO. Quisquis artes quas memorauimus, cunctas consideraverit, cogitare debet earum nullã esse ciuilem quam quærimus disciplinam, quippe cùm regiæ maiestatis officium sit, non vt ipsa quidé agat, sed vt agere valentibus imperet, cognoscátque imperium & vim eorum quæ in ciuitate sunt maxima, tũ quid decorum, quid opportunum sit, quid contrà: cæteras verò facultates iussa capessere, & mandata transigere. SOCR. Optimè. HOS. Quãobrem artes illæ quas modò narrauimus, cùm neque suiipsarum, neque innicem dominæ sint, sed singulæ propriis quibusdã incumbãt operibus meritò muniis proprtiis propria sortitæ sunt nomina quoque. SOCRAT. Apparet. HO. a Eam verò quæ cunctis his præsidet, legúmque & omnium quæ in ciuitate sunt, cura habet, omniáque contexit, meritò communi appellatione ipsius facultatem comprehendentes, ciuilem scientiã nuncupamus. SO. Omnino. HO. b Nunquid in præsentia secundum textoriæ facultatis exemplum percurre, te hanc decet, postquàm omnia quæ in ciuitate sunt genera, patefecimus? SOCRAT. Maximè. HOS. Declarandum deinceps, vt videtur, quæ sit concinnatio regia, & qua ratione cõplicet texátque, qualémque texturã nobis efficiat. SOCRAT. Sic est. HOS. Res quidem de-

a *Quid sit ciuilis scientia.*

b *Quomodo Rex ciuilis scientia præditus textoru munere fungatur.*

monstratu difficilis : sed quoniam necessaria visa est, pro viribus declaranda videtur. SOC. Omnino declarandum. HOS. Quòd enim virtutis *pars à tpecie virtutis differat, facilè potest [à disputatoribus contentiosis aduersus multorum opinionē oppugnari.] SOCRAT. Haud intelligo. HOS. Sic fortè intelliges. a Fortitudinem arbitrari te puto partem aliquam virtutis esse. SOCRAT. Penitus. HOS [Moderationē] autem à fortitudine esse diuersam, esse tamen eiusdem partem cuius est fortitudo. SOCRAT. Ita. HOSP. Mirum quiddam de his statuere audendum est. SOCRAT. Quidnam. HOS. Quòd duo hæc quodāmodo multis in rebus sibi inuicē plurimum aduersantur. SOC. Qua ratione id ais? HOS. Inauditum hoc, siquidem partes virtutis omnes mutua inuicem amicitia vinciri dicuntur. SOC. Vtique. HOSP. Consideremus itaque diligenter, vtrum hoc ita simplex sit, an differentia horum maximā in cognatis quodammodo habeat. SOCRAT. Nēpe. sed dicas vbi considerandum. HOSP. In omnibus quæcunque pulchra vocamus, & ad duas inter se contrarias species ea referimus. SOCRAT. Dic apertius. HOS. Velocitatem vel corporum, vel animorum, vel vocum, siue horum ipsorum, seu etiam simulachrorum, quæcunque vel musica vel pictura exprimit imitando : horum tu quicquam vnquam vel ipse laudasti, vel laudantem alium audiuisti? SOCRAT. Quid igitur? HOSP. Recordaris quomodo illa in vnoquoque istorum laudantur? SOCRAT. Minimè. HOSP. Vtinā igitur possem hæc ita, vt mihi videtur explicare verbis. SOC. Quid prohibet.? HOSP. Facilè hoc. vt video, tibi videtur. quare ipsum in generibus contra-

riis

* i. species.

a *Ostenditur fortitudinē & moderationē virtutis species, inter se pugnare nonnunquam.*

riis consideremus. Hæc fiunt, quoties miramur rerum multarum velocitatē, vehementiā, acumen siue cogitatione, siue corpore, siue etiam voce, vna quadā fortitudinis appellatione solemus vti laudando. SOCRAT. Quo pacto? HOSP. Acutum dicimus & forte, velox & forte, vehemens & forte, hásque naturas cōmuni fortitudinis nomine laudare solemus. SOCRAT. Profectò. HOSP. Nónne enim quum quid sensim leuitérque fit, eā rem in multis actionibus sæpe laudamus? SOCRAT. Valdè. HOSP. Nónne contrà hîc, quā illic laudibus vtentes dicimus? SOCRAT. Quomodo? HOSP. Quieta hæc, sæpe dicimus, & tēperata, & hæc circa cogitationē amamus, circa actiones tarda & mollia, circa voces leuia atque grauia, & omnē rhythmicū numerosúmque motū, omnémque musam opportuna tarditate vtentē: hísque omnibus moderationis nomen, non fortitudinis adhibemus. SOCRA. Vera loqueris. HOSP. At quoties opportunitatē ista non seruant, contrà mutatis nominibus vituperamus SOCRAT. Quî? HOS. Cùm acutiora fiunt velocioráque, & asperiora siue duriora quàm opportunitas exigit, dicimus contumeliosa, petulantia, furiosa: cū verò grauia, tardioráque, & molliora fiunt, timida ineptáque dicimus, & ignaua: ac propemodū & hæc & tēperantiæ fortitudinísque naturam contrarias esse, velut hostiles formas, & inter se seditionem agitantes inueniemus, nec vnquā in actionibus circa quas hæ versantur, cōmisceri, neque eos insuper quorū in animis hæc insunt, inter se consentire, sed discrepare potius, si modò diligenter inuestigemus. SOC. Vbínā inquis? HO. In iis inquā omnibus quæ

tulimus, quin & in aliis consentaneum est permultis: nã cùm vtique pro naturæ suæ affinitate partim res vt proprias suásque laudet, partim vt alienas & extraneas reprobent, in multis eos sibi vehementer aduersari contingit. SOCRAT. Videntur. HOS Altercatio hæc speciérũ talium quibusdã ludus quidã est, in maximis autẽ rebus morbus fit omniũ ciuitati grauissimus. SOCRAT. Qualibus in rebus inquis? HOS. In omni, vt consentaneũ est, cõstitutione viuendi. Nã qui cæteris modestia præstãt, vitæ trãquillitati student, sua semper priuatim agentes, pacis auidi, concordiæque tã erga exteros quã erga conciues. Atque huius amoris excessu fit, vt dũ suis priuatim incũbunt operibus, clã & ipsi imbelles eneruatiq; reddãtur, & iuniores suo exẽplo emolliãt & effœminent. Vnde inuadentibus quibuslibet exposĩti sunt, ac breui ipsi natíque, & patria omnis paulatim amissa libertate succumbunt. SOCRAT. Durum quid & admodum graue narrasti. HOS. Qui verò ad fortitudinẽ magis declinãtes bellicosam vitã nimis affectant, hi sæpe patriã suã ad bellum incitãt & hortãtur, vnde gentes plurimas, & potentes vibi suæ ínfensas reddunt. Quapropter vel funditus ciuitates suas euertunt, vel imprudenter in hostium redigunt seruitutem. SOCRAT. Sic quoque accidit. HOSPES. Ergo quis neget in his quæ vtraque sibi inuicem plurimùm aduersari? SOCRAT. Nemo vtique. HOSP. An non quod ab initio quærebamus, nunc inuenimus? quòd videlicet partes virtutis quædam non paruæ natura, & ipsæ secum pugnant, & eos qui habent, discrepare inter se plurimum faciunt?

SOC.

so. Apparet. HOS. a Hoc itidem videamus. soc. Quidnam? HO. Nũ scientia aliqua sit ex his quarum actio in componendo versatur, quæ opus aliquod suum vel viliſſimum etiam, sponte ex malis simul & bonis constructuat? An potius omnis scientia praua semper pro viribus vitat, apta verò & vtilia captat? ex his autem partim similibus, partim dissimilibus omnibus in vnum collatis, vnã quandam vim ideámque conflat? soc. Istud potius. HOS. Nunquã igitur vera secundum naturam ciuilium rerũ peritia ex malis bonísue hominib. ciuitatẽ vllã sponte cõstituet, sed disciplina & pericilitatione aliqua vnumquenque explorabit, factóque examine [probatos eos illis qui ipsos instituere, & ad illud ministerium operam suam vtiliter præbere possunt instituendos dabit, præsidens ipſa & præcipiens] vt textoria ars carminatoribus cæreisque lanificii præparatoribus præsidet, talia præcipiens singulis, qualia ad texturam suam conducere arbitratur. so. Ita prorsus. HO. [Eadẽ ratione regia scientia mihi videtur omnibus secundũ leges aliorum institutoribus & educatoribus, cum imperãdi authoritate prædita sit, nequaquã permissura vt quispiã aliquẽ exerceat & doceat, cuius mores suo instituto & mixtioni quam molitur accommodatos, non possit efficere: & eos solos quorũ mores in hunc modũ poterunt fingi & formari iussura eruditri] eos autem qui fortitudinis, temperantiæue, aut cæterarũ virtutũ vim assequi nõ possunt, sed prauitate naturæ ad impietatem, petulãtiã, iniustitiãque trahuntur, è cœtu ciuiũ ejectura, exilióque, morte & extremo opprobrio damnatura. so. Ita quodammodo traditur. HO.

a *Vir ciuilis regendæ peritus non miscet bonos cum malis, sed externi natis malis bonas naturas dissimiles inuicem miscet & vtres cum moderatis.*

Ignaros autem pusillanimésque homunculos seruili ministerio subiugat. So. Scitè admodũ, Ho. Cæteros autem quorum ingenia ad generosum habitum per disciplinã euehi possunt, artéque inter se contemperari patiuntur, seruat atq; tuetur. Ex his verò quæ ad fortitudinẽ magis vergũt, staminis vice propter solidos mores esse censet: quæ autem ad modestiam, molli teneræque materiæ similes, imaginem habere subtegminis tramæ. Ea denique quæ in contrarium diuersúmque natura tendunt, hoc modo vincire inuicem, & contexere nititur. So. Quo? Ho. Primò quidẽ iuxta cognationis rationem partem animæ sempiternam diuino vinculo nectit: post diuinam autem, illam quæ animalis naturæ est, humanis vinculis coaptat. So. Quomodo istud? Ho. Quoties in animis vera stabilísque de pulchro, iusto, bono, horúmue contrariis rebus opinio fit, diuinã illã in genere dæmonico, id est, diuino proximi genere esse censeo. So. Decet sanè. Ho. Scimúsue oportere ciuilem virum ac bonũ latorum legũ, solũ regia musa posse hoc illis inserere, qui rectè disciplinæ vt decet participes sunt, quósne modò commemorauimus? So. Consentaneum id quoque. Ho. Quid verò id facere ô Socrates, nequit, nominibus quæ iã quærebamus appellari non debet. So. Non certè. Ho. An non fortis animus, si veritatis huiusmodi sit particeps, mansuescit, atq; ita maximè iustè inter alios viuere & agere cupit? sin autem omnino sit expers ad ferinã naturam delabitur? So. Proculdubio. Ho. At qui & modestus natura animus opinionibus illis imbutus, reuera temperans moderatúsque adeò vt reipublicæ vtilis sit, efficitur. Vacuus autem

a. Pars immortalis animæ, quib. vinculis diuinis vincienda.

autem turpem ſtoliditatis ignauiæque optimo iure reportat infamiam. SO. Valdè. HO. Nõ ne dicendum eſt complicationem vinculúmq; huiuſmodi,& malis ipſis inter ſe,& bonis erga malos,ſtabilem nunquam eſſe? neque ſcientiã vllam hoc ad eiuſmodi homines vinciendos ſeriò vti? SOC. Prorſus. HO. Illis autem quos generoſis moribus natura donauit,& ad naturæ normam educauit conſuetudo,ſolis id vinculum per leges inditur: eſtque in his ars illa ciuilis velut remedium, & hac ratione illa ipſa, quam ſuprà diximus, partium virtutis naturã contrariarum pugnantiúmque conciliatio diuina quædam fit. SOCR. Vera hæc ſunt. HO. Vbi diuinum hoc vinculum conſtat,facilè eſt & inuenire, & inuenta perficere vincula humana. SO. Qua ratione? & quæ potiſſimũ? HO. Affinitatum liberorũmque neceſſitudines illas,quæque in elocationibus nuptiiſq; fiunt:plurimi enim circa hæc nõ rectè ad procreãdũ liberos copulãtur. SO. Quãobrẽ? HO. Diuitias enim potentiãque in his rebus,quàm cupidè perſequantur, quid attinet diligentius oratione perconſere? SOC. Nihil. HO. De illis aũt quib. genus curæ eſt,loqui præſtat, ſi quid forte præter modũ agant. SO. Æquũ eſt. HO. Agunt autem nulla quidem ratione recta,præſentem voluptatem ſecuti & ex eo quòd ſimilibus tantùm delectantur, diſſimilibus verò minimè, difficultatis plurimum excitant. SO. Quo pacto? HO. Modeſti ſiquidem homines ſimiles ſui mores quærunt, & quoad poſſunt ab huiuſmodi & ipſi vxores ducunt, &[quas ipſi elocant, matrimonio iungunt cũ talibus.] Eodem pacto forte illud genus, ſimiles ſibi adſciſcit, cũ oporteret contrà omnino

ab vtroque genere fieri. SOC. Quomodo, & quam ob causam? HO. Quoniã fortis naturæ hæc est conditio, vt si per multas successiones expers temperantiæ permaneat, principiò fiat robustior, tandẽ verò in furorem versa deficiat. SO. Conuenit. Ho. Rursus anima pudore abundans, audacia verò fortitudinis vndique carens, si per multas similiter generationes trãseat, segnior fit quàm decet, ac demùm extremo quodã torpore mergitur. SO. Id quoq; ita contingere constat. HOS. His, vt diximus, ligamentis vincire vtraque hominum genera facilè possumus, si, vt diximus, opinionem de bonis & pulchris vtraque habeant eandẽ. Hoc autem vnum & integrum regiæ texturæ opus est, vt nunquam moderatos mores seorsim à fortibus esse permittat, sed vtraque ingenia in uicem per opinionis eiusdem consensionem, per honores vituperationésque, per alterna cõiugia contexens, telam ex his leuem opiméque cohærentẽ efficiat, hísq; communiter semper ciuiles magistratus muneráque committat. SO. Quo pacto? HOS. Vbi vnius sufficiet gubernatio, hominem præditum moribus vtrisque perficiet. Vbi pluribus opus erit, vtriusq; generis partes aliquas cõmiscebit. Temperatorũ enim magistratuũ mores cauti admodũ & iusti, & salutares, acri prõptitudine, & vehementia quadam ad agendũ idonea indigent. SO. Ita de his quoque videtur. Ho. Fortitudo autem in cautione, & iustitia illis cedit: in rebus autem agendis plurimùm antecellit. Neq; verò possunt in ciuitate omnia benè agi priuatim & publicè, nisi hæc ambo adsint. SOCR. Non certè. HO. Finem igitur ciuilis actionis rectæ cõplicatione contextũ tunc extare dica-

mus

mus, quando fortium, & temperantiũ ingenia concordia amicitiáque concilians, cõmunem illorum efficit vitã: qui sanè contextus præclarissimus omnium est & optimus, aliósque insuper oẽs in ciuitate tã seruos quàm liberos protegens, & cõplectens, hac textura seriéque cõprehendit: atque ita dominatur, & præsidet ciuitati, vt nihil prætermittat eorũ, quę quoad fieri potest, beatã efficiunt ciuitatem. So. Profectò nobis hospes regium ciuilémque virum egregiè rursus definisti.

PLATONIS PROTAGORAS, VEL, Sophistæ.

Marsilii Ficini Argumentum.

EXTAT apud Græcos verissimum de Platone dictum, Phœbum videlicet duos præcipuè filios genuisse, Æsculapium & Platonem. Æsculapiũ quidem qui corporibus, Platonem verò qui animis mederetur. Socratem quoque Socratici omnes purgandorum gratia animorum à deo missum fuisse testantur. Morbus autem animi in falsis opinionibus malísque moribus videtur consistere. Tantùm verò malum ingenuis animis haud tam facilè ab aliis, quã à sophistis solet inferri. Plato igitur animorum misertus tam pronè, tam grauiter periclitantium, frequentissimè sub Socratis sui persona maleficos venefícosque sophistas pro viribus detestatur, quò videlicet homines discendi cupidi cauè fallaces deuitẽt Sirenum cantus, & noxia pocula Circes. Neque tamẽ inuectiuis eos manifestis effulminat, ne vel à se perturbatione vlla odióque in illos videatur ad-

ductus, vel ipsi ipsorúmque sectatores, venenosa in eũ impudentissimæ linguæ tela retorqueant. Ergo partim ironia, partim risu, sæpe ioco, & ludo, sapius honesta quadam redargutione immeritã sophistæ auctoritatem conatur adimere. Id quidem in Sophista acutissimè perficit. Idẽ in Gorgia elegãtissimè. Facetè admodũ & vrbanè in Hippia. Scitè & argutè in Euthydemo. Artificiosè etiã in Protagora, sæpeque similiter. Vbique verò Sophistas omnia profitentes inducit iactabundos, & gloriosos, temerarios insuper, & auaros. In principio quidẽ disputationis satis aptos, paulatim verò ineptiores, postremò omniũ ineptissimos qui nulla de re præcipuè grauiori, vel quid sit, vel quãta, vel qualis intelligãt: cũque profiteantur oĩa, nihil eos omnino scire cõuincit. Hactenus in oĩs Plat. dialogis, in quibus Sophistarũ commemoratio fit præfatos esse sufficiat. Pergamus iã ad Protagoræ. Socrates dum Hippocr. adolescentem disciplinarum auidissimum artificiosissimè monet ne temerè cuiuslibet se disciplinæ committat, non solùm illum sed & nos commonefacit, vt curã animi longè magis quam corporis habeamus: caueamúsque diligenter ne disciplinis ipsum noxiis imbuamus. Eas enim magis obesse animo, quàm corpori nostro venenum. Mox quasi pictor Sophistarum fastum, vanitatémque aque oculos ponit. Demonstrat quoque quantum iuuentus credula eorum tum pompam admiretur, tum lenociniis capiatur. Deinde ad ea descendit quæ maximi ad vitam morienti sunt, & quibus sophistæ plurimùm gloriantur, quærens de virtute quidem omni, præcipuè verò de præcipua ci. ciuili, per quam & propriæ cuiusque & familiaris, & publicæ res ad summum bonum rectã ratione disponitur: quam vellet præ cæteris necessariam Plato in omnibus perè quærit dialogis: intereáque ostendit hanc nullo modo à Sophistis esse petendam, sed quadãmodo à philoso-

phis

phi: qui cùm verum intelligant, colántque bonum, nimirum recto ad ipsum tramite deo duce perducere possunt. Sed redeamus nunc ad Sophistam, quem nõ posse virtutem eiusmodi, vel exemplo tradere, vèl disputatione docere ex hoc planè perspicitur, quòd & ipse virtutis est expers, & rectum disputandi ordinẽ non observat. Cùm enim interrogetur Protagoras hic à Socrate utrum virtus doceri possit nécne, utpote qui veræ disserendi artis sit ignarus, recipit statim se ostensurum virtutem posse doceri, antequam quid ipsa sit, quótue in partes dividatur, aperiat: Socrates verò tentandi Sophistæ gratia argumentatur eam doceri nõ posse, hu penè verbis. Quãdo publicè de aliquo eius artis opificio cõsultatur, quæ à certis præceptoribus doceri potest, nullus admittitur ad cõsilium prater illos, qui artẽ eiusmodi ab ipsis præceptoribus didicerũt, ipsique exercueruut. Quando verò de publicis reb. quæ ad virtutem ciuilem spectant deliberatur, omnes fermè similiter admittuntur, neque ab vllo quæritur utrum, & à quo, & quando peritiã ciuilẽ acceperit, quasi omnes intelligant eã certa in scholis disci non posse. Præterea si ab altero alteri traderetur præcipuè viri in ea clarissimi rem hanc tã pretiosam sapè suis hæreditario quodã iure relinquerẽt. Ad hæc Protagoras longũ probat ambagibus doceri posse virtutem. In quibus notanda quædã priscorũ refert mysteria: Decet enim quãuis Sophistã sit nonulla etiam legisse bona: & cùm prolixè loquatur apud Plat. vtilia quædam adducere. Traduut theologi veteres, sub terra quõdam animalia latuisse, id est in prima mundi materia rerũ semina præfuisse. Præterea louem, id est deum mundi opificẽ per sequentes deos, hoc est per stellas, animalia ex elementis cõposuisse. Deos aũt ministerio dæmonũ animalia instrumẽtis adminiculisse, ad vitã necessariũ arbitrauisse, ea videlicet ratione, vt Prometheus, qui dæmonũ

sublimium ordinem significat, amaret homines: Epimetheus autem, qui inferiorē dæmonum refert exercitum, bruta fulciret, neque id quidem iniuria: siquidem altiores dæmones, naturæ incorporeæ atque rationales, humiliores autē corporeæ irrationalisque patius fluent. Quantum verò Epimetheus inferiorque natura in his quæ ad corpus pertinent fauit brutis, tantum Prometheus prouidentiāque superior in iis quæ ad animū spectant hominibus consuluisse videtur. Cùm enim artis tribuit rationē, artificiosum omnium quæ natura bestiis dederat, exhibuit fabrū. Accepit autem artē ipsam vnā cum igne ab officina Mineruæ atque Vulcani quidē in arte ingenium, Vulcanus autē efficaciā continet: ignis denique instrumentū. Gemina verò hæc numina, Minerua Vulcanūsque, primò quidē in ipsis artiū ideis excogitantur. Deinde in Mercurij Martisque virtutibus. Postremò in dæmonibus gubernatorib. artiū. Ab his igitur omnib. Prometheus rationalis anima gubernator in hominē traiecit artis industriū. Quoniam verò diuinū id extitit donū, statim ob ipsam cū superis cognationē homo veneratus est deū antequā vel loqueretur, vel artes aliquas exerceret: quippe cùm diuinū munus ob mirificā eius potentiā primū erigat in diuina quàm porrigat per humana: Prometheū verò ob id munus dolore affectū, significat dæmonicū ipsum curatorē nostrū, in quo & affectus esse possunt, misericordia quadā erga nos affici, considerantem nos ob ipsum rationis munus ab eo vel datū, vel potius excitatum, tanto miserabiliorē vitā in terris quàm hestiā agere, quanto magis solicitā atque inexplicabilem. Quod quidem Pythagoras animaduertens, Epimethū quantū ad hoc ipsum spectat, Prometheo antepsuit. Id autē illi quadā modo simile videtur esse, Pœnitet me fecisse hominē. Prometheo memento hominē his quē admodū & apud Mo-

seo

sen ex terra & postremo creatum. Item more quasi Mosaico mundi initia habuisse. Sed de his aliàs. Per eundem Prometheum in Philebo dicitur datum esse nobis à diis differendi artem una cum igne. Ars enim differendi, vbi vniuersalia in particularia diuidit, processum rerum à superioribus repraesentat: vbi particularia vicissim in vniuersalia rite resoluit, conuersionem rerum ad superiora designat: vbi definit & vbi demonstrat, existentiam rerum ostendit, ibi quidem in se ipsis, hic autem ab aliis dependentium. Ideo differendi facultas diuinus est donum, cum diuinum vniuersi ordinem referat. Cui igne verò data dicitur, quia ignis similiter diuidit, resoluit, definit, atque demonstrat. Item quia rationalis facultas igni instar illuminat intellectum, accendit voluntatem, & vtrunque extenat ad sublimia. Quod autem traditur, Prometheus ciuilem virtutem saluti hominum penitus necessariam largiri non potuisse, propterea quòd virtus eiusmodi penes Iouem sit, quo Prometheo non licet ascendere, ea ratione intelligendum est, quia ciuilis virtutis officium est non solùm reb. humanis, sed etiam artib. imperare, singulásque cum singulis ordinare, cunctas denique in communem omnium formam dirigere. Idem verò officium Iouis ipsius est in vniuerso, quod in hominum genere apparet scientiae ciuilis officium. Quamobrem non iniuria ad Iouem ipsum spectat hanc nobis ex alto largiri. Vniuersalis enim virtus ad vniuersalem Iouis pertinet prouidentiam. Prouidentia verò damonum particularis est, & angusta, ideóque in Iouis arcem nequit ascendere: cùm angustior humiliórque prouidentia, amplissimam eminentissimámque aquare non valeat. Iupiter igitur per Mercurium, id est per angelum diuinae voluntatis interpretem, ciuilis scientiae leges, id est voluntatis suae decreta ad humanae societatis generisque salutem spectantia mentibus nostris inscribit: inscribit, inquam, & ab initio, quod

Timæus aperte docet, & quotidie per angelos diuinam nobis voluntatem interpretantes. Vnde intimus in nobis præsidet iudex inextinguibile rationis lumen rectum veri falsique & boni mali que examen inuitabilis conscientiæ stimulus. Per hanc deus ipsissimum omnibus legem omnes ita fermè ad commune dirigit bonum, vt omnes flammas leuitate erigit alsperna. Ab hac vtique ingenita lege lex deinde scripta ducit originem. Quod quidem in ipso libri legum exordio Plato aperuit dicens, non ab homine, sed ab ipso deo leges initium habuisse. Sed vt ad præsentem dialogi redeamus, subiungit Iouē per Mercurium cunctis esse legē, qua iubeantur omnes ciuilitatis esse participes: quippe cùm hæc sola sit vinculum ciuitatum ipsámque ciuitatē iustitia & pudore constantem aut ad omnes cœlitus demisisse, eo videlicet pacto, vt quicunque posthac virtutis huius omnino expers deprehensus fuerit, tanquam ciuitatis pestis vltimo afficiatur supplicio. Quem verò primò appellauit pudorem, deinde temperantiā nominauit. Est enim pudor ingenitus temperantiæ fundamentum. Temperantiæ quidem in ciuib. proprios cuiusque moderatur affectus, gestúsq; componi. Iustitia verò actus cuiusque conducentes ad alios dirigit. Memento verò ciuilitatem in persona priuata his ferè duob. esse contentā: sed in publica ex Platonis mēte his adhibendā esse prudentiam. Atque id quidē penè satis in parte fuerit: in bello autem fortitudinē adhibere, atque ita ciuilitatis erit absoluta descriptio. Post hæc autē confirmat Protagoras à cōmuni hominum sententia virtutis huius participes omnes esse debere, propterea quòd si quis iniustitiam suam palam fateatur, vulgò insanus habebitur: quasi omnes existimet tā necessariam cōmunem ciuitati iustitiam, vt etiā si quis non habeat, saltem habere eā debeat simulare. Cum verò vltenderit hactenus ciuilē virtutem esse omnibus

bus maximè omnium necessariam, eiúsque affectum quendam siue fomitem seménque ab initio diuinitus nobis infusum, demonstrare deinceps aggreditur virtutẽ ciuilem, imò & aliàs (omnes. n illa cõplectitur) neque natura, neque casu absolutũ firmumq́ habitũ sortiri posse, sed doctrina duntaxat & consuetudine eius habitũ cõparari. Ad id verò primò rationẽ affert, ostendentẽ homines non solere aliquẽ ob ea quæ vel natura, vel casu fiũt probare vnquã, vel improbare: actiones autẽ virtutis aut vitij laudare semper aut vituperare. Deinde pueritiæ adolescentiæq́ educationẽ sub domesticis grãmaticis, musicis, gymnasticis, legib. ordine quodã longo disponit, ostendens totã vitæ institutionẽ ad id obnixè contendere, vt declinẽtur vitia, virtutes possideantur: quasi neq́ vitia, neque virtutes, vel fortuna. vel fato, sed arbitrio, & exercitatione proueniãt. Interea priscorũ perstringit sententiã de vitiis puniẽdis consideratione dignã, videlicet neminẽ quia deliquerit, sed ne vel ipse vlterius, vel alius eius exẽplo delinquat, puniendũ esse: respondetq́ ad illa quæ obiecerat Socrates. Nos autẽ ex omnib. quæ hactenus disputata sunt, auteã illam priscorum sententiã tenebimus alta mente repostã: Primò quidẽ deũ ipsum vitæ salutíque nostræ omnibus vndique modis prouidere atq́ consulere. Deinde ciuilem virtutẽ donũ esse diuinum, ne quis fortè confidat se absque diuina gratia remp. rectè felicitérq́ gubernaturũ. Id. n. in Legib. & alibi Plato cõfirmãs ait: quẽadmodũ bestiæ multæ ab vna nisi sub humano pastore rectè duci nõ possunt, ita neq́ homines multi feliciter ab vno quodã rege, nisi & vnus regatur à deo. Ideóq́ regendi facultatẽ non aliunde quàm à deo haberi in Theage & Menone probat. Protagoras verò sophista quid velit ipse viderit. Deniq́ quàm necessaria sit inuiolata iustitia missa cœlitus, meminerimus si aures assiduè nostras priscorum voces illæ

circunſonent: Mortales quondam miſeri antequam
ciuilitas cœlitus, mitteretur, neque ſegregati viuere
poterant, quia paſſim laniarentur à feris, neque iterũ
congregati, quin à ſe inuicem lacerarentur. Itaque
ſalutem nobis quam cunctæ ſimul artes præſtare
potuerunt, ſola tandẽ iuſtitia præſtitit. Poſt hæc Socrates ne Sophiſta propter nonnulla quæ ab aliis accepta narrauerat bona, admirationi ſit audientibus
ironica quadã, & vrbana & artificioſa redarguendi ratione reddit illum præſentib. deridendũ. Interrogat enim poſtquàm de virtute tã magnificè fuerat
elocutus, vtrũ vna ſit tantùm virtus, an plures. Præterea ſi plures, vtrũ ſint partes vnius, nẽne. Rurſus
ſi partes, nunquid ſimiles ſibi inuicem atque totis, an
vtrinque diſſimiles. Ad hæc protagoras neque reſpõdit
ſcit reſpondere, neque definire aut partiri virtutes,
neque diſtinguere, qua ratione ſimiles ſint, & qua
diſſimiles, neque quod in diſputando turpiſſimũ eſt
euitare, quin ad id facilè deducatur, vt ſæpe ſibiipſi
repugnet. Tandem verò cùm obiurgantiam reſpuendi inciperet Protagoras tergiuerſari, ideóque Socrates abiturum ſe ſimularet, ab auditorib. Sophiſta
ad diſſerendum eſt reuocatus. In qua quidem altercatione Prodici primum Sophiſtæ ſuperſtitioſa circa
vocabula curioſitas demõſtratur, deinde Hippiæ quoque Sophiſtæ oſtentatio in concionando timidior. Poſtremò Protagoras reuocatus ad diſputandũ, importunè nimium, & ineptè in carmina poeſimque digreditur, interrogans Socratẽ de quadã Simonidis poetæ ſententia, quam & ipſe minimè intelligere a Socrate mox conuincitur, mentem Simonidis exponere, quaſi dixerit, virum bonum fieri quidẽ poſſe difficile, perſeuerare autẽ impoſſibile. Hic audies priſcorũ ſapientiam verbis quàm pauciſſimis fuiſſe contentam
atque poſſe breuib. multa cõplecti, virũ abſolutè doctũ
opus eſſe. Item neminẽ mala turpiáque ſponte cõmit-

tere,

tere, sed ignorātia. Denique vbi dialectico more disseritur, poetica respuenda. His actis iterum Sophista tergiuersatur, atque vix à præsentib. reuocatur. Tūc Socrates ad priorem de virtute disputationē regreditur, vtrū multæ sint virtutis vnius partes, & quæ inuicem ratione se habeant. Protagoras autē iterum labitur, affirmans alias inter se virtutes esse similimas, quod in superiorib. nō admiserat: itē fortitudinē ab aliis longissimè separās, cōsentiensq́ homines absque prudentia cæterisq́ virtutib. fortes esse posse. Quæ in re sibimet repugnare deinde cōpellitur, confiteriq́ non solum fortitudinē, sed ne etiā virtutes vllas absq́ prudentia posse consistere. Tū verò de bono, & malo multa tractantur. Siquidē prudentia est scientia eligēdi boni, maliq́ vitandi. Ambigitur aūt vtrū bonū malūq́ idē sit penitus quod & voluptas atque dolor. Neque affirmatur id quidē omnino, neque manifestè omnino negatur. De hoc enim in Gorgia Philebóque, & alibi, omnino verò ꝓbatur prudētiā ipsam in qua & finis vitæ cognitio, & viarū ad hunc conferentiū cōsistit electio, moraliū virtutū esse principē atq; ducē: idq́ vsq; adeò asseritur, vt virtutes quasi sciētiæ, i. prudētiæ quædā videātur esse, vitia verò inscitiæ, scilicet imprudentiæ quædā. Additur deinde peccata omnia ab ignorantia proficisci, neque vllū aliquā do electurū mala, nisi deceptū imagine boni: neque fugiturū bona, nisi imagine quadā mali ꝑterritū. Siquis verò dixerit hominē bona discernentē atq; mala, ab illis tamē diuerti, ad hæc cōtrà cōuerti, ꝓpterea ꝙ à voluptate vel affectu sensuū alto superetur, Socrates id negabit, asserēs idipsum quod ab affectu superari dicitur, nihil esse aliud quàm inscitiā, scientiam verò omnium quæ in nobis, & circa nos sunt, potissimum esse, neque ab vlla re vnquam superari posse. Denique concludit scientia plurimum imò totum ad virtutem beatitudinémque conferre, igno-

rantiam verò pariter ad contraria. Iterúmque Protagoram corripit, quòd & sibimet contradixerit, & ordine vsus præpostero fuerit. Siquidem antequàm quid sit virtus definiat, partiri eam aggreditur, & vtrum doceri valeat disputat. Simulat quinetiam Socrates se quoque in repugnantiam esse deductum, ex eo duntaxat quòd Sophistam secutus fuerit aberrantem, admonétque vt Promethei prouidentiam potius quàm Epimethei properantiam in omni vita pro viribus imitemur.

FAMILIARIS, SOCRATES, HIPPOCRATES, PROTAGORAS, ALcibiades, Callias, Critias, Prodidicus, Hippias.

a *Occasio dialogi.*

VNDENAM[a], ô Socrates, prodis? An videlicet à venatione illa redis ad quam Alcibiadis pulchritudo prouocare te solet? Nã nuper contemplanti mihi visus est pulcher vir, iã vir inquã, qui possit scilicet inter nos ipsos censeri, vt puta cui per genas plurima lanugo iam serpit. SOC. Esto, quid tum? An non probas Homerũ, qui, *gratissima est*, inquit, *prima lanugo nis ætas?* Eam verò nunc Alcibiades agit. FA. At in præsentia nunquid ab illo prodis? & quomodo erga te nunc affectus est adolescens? SO. Benè quidem hodie præsertim mihi visus est, nã mihi sæpe hodie in dicendo succurrit, & ab illo nunc venio. Ac mirabile tibi quiddã referam, præsentẽ illum minimè intuebar, & aliò intendens ad eum vix aduertebam, quin subinde illius obliuiscebar. FAM. [Quídnam verò tanti circa te & illũ accidit? (neque enim in formosiorem vllum incidisti

cidisti in hac ciuitate)Is o.[Imò verò lõgè formosiorẽ vidi.]FA.Quid ais?ciuémne?an peregrinũ.s o.Peregrinũ.FA.Cuiàs erat?so.Abderites.FA.Nũquid adeò insigni forma præditus tibi visus est peregrinus ille?vt Cliniæ filio formosior tibi visus sit?s o.Quid prohibet, ô beate,quo minus quod sapientius est, sit & pulchrius?FA.An fortè à sapientis cuiusdã colloquio venis?s o. Sapientissimi profectò omniũ nostræ ætatis hominũ,si modò sapientissimus tibi aliorũ omniũ Protagoras esse videtur.FA. En quid ais?nunquid hùc accessit Protagoras?so.Nudiustertius.FA.An modò cũ illo fuisti?so.Modò,& multa locutus sum, audiui etiam multa.FA. Non tu illa nobis refers, nisi quid prohibet?[hîc sedés, iussõ tibi cedere hoc puerto.]s o c. Referam equidem, & gratiam insuper si audieris, habebo.FA. Et nos tibi,si dicas.s o c. Duplex igitur erit gratia. a Audite igitur.Superiori nocte ante lucis exortum Hippocrates Apollodori filius frater Phasonis o. stium mecum baculo vehementer pulsauit: & cùm ostium aliquis aperuisset,repente ingressus est properans & magna voce clamitans, Dormis,ô Socrates,an vigilas?Ego autem eius voce,Hippocrates hic est,inquã. O Hippocrates nunquid nouí? Nihil, inquit, nisi gratum nunciaturus aduenio. Optimè, inquam. Sed quid istud?quæ te huc causa appulit Protagoras venit,& prope me diuertit. Tum ego, ille iamprídem venit, tu verò modò audisti? Vesperi profecto, inquit ille:tum scabello accepto ad pedes meos subsedit, adiecítque, hesterno vesperi serò admodum ex Oenoe reuersus : puer enim Satyrus à me fugerat: eúmque persequi me illum significare tibi

a *Occasio disputationis cum Protagora instituta quæ dein ceps commemoratur.*

vellem, alio quodã interueniente oblitus sum. At cum venissem, cœnatíque essemus, & somno nos dare vellemus, tunc primũ nũciat frater venisse Protagoram. Ilico ad te properare tentaui, sed intempesta nox detinuit. Sõno autẽ experrectus laboréque leuatus, mox ad te huc aduẽtaui. Ego verò viri magnanimitatem stuporémque animaduertens. Quid hoc ad te, inquam? Num aliqua te iniuria Protagoras afficit? Tum ille subridẽs, sanè per deos, ô Socrates, propterea quòd solus sit sapiens, me verò non efficiat sapientem. SOC. Imò certè & te sapientem reddet, si mercede illi oblata persuaseris. HIP. O Iupiter atque cæteri dij, neque meis neque amicorum rebus parcerem, modò in me consecuturum confiderem, atque idcirco te nunc adeo, vt apud eum pro me intercedas. Ego enim & iunior sum, & Protagoram nunquam nec vidi nec audiui: puer enim tunc eram cũ huc primum accessit. Virum quidem hunc omnes, ô Socrates, laudant, & in dicendo sapientissimũ ferunt. Sed cur non properamus ad eum, vt domi illum conuenianus? Diuertit sanè, vt audiui, apud Calliam Hipponici filiũ. Eamus iam. SOC. Nondum, ô bone vir, inquam illuc eundum. Nam adhuc summũ mane est. Sed eamus ad aulã, vbi deambulabimus, quoad aurora lucescat, posteà Protagoram ipsum adibimus: etenim vel plurimum Protagoras domi versatur. Quapropter confide, domi námque illum cõperiemus. His dictis surreximus, & in aulam profecti sumus: ac volens ipse animi & roboris eius periculum facere, intuitus sum ipsum diligenter, atque ita interrogaui. Dic age, ô Hippocrates, ad Protagoram nunc vis adire, mercedem pro te illi daturus? ad

qualem

qualem hominẽ vadis? & ipſe qualis ex eo vir euaſurus? Quemadmodũ ſi ad Hippocratẽ tibi cognominem [a] Coum illum Æſculapij ſtirpe natum proficiſci velles, pro te mercedem erogaturus, & aliquis quæreret, Dic mihi, ô Hippocrates, mercedem Hippocrati dabis? Qualinam homini, & cuius ratione? quid reſponderes? HIP. Vt medico, SOC. Qualis & ipſe futurus, id eſt cuius gratia? HIP. Vt medicus euaſurus. SOC. Sin autẽ aut [b] Polycletũ Argiuũ, aut Phidiam Athenienſem adires mercede pro te illis oblata, & aliquis percontaretur qualibus hominib. & qua ratione Polycleto, & Phidiæ argentũ offers? quid ad hæc? HIP. Tanquã ſtatuariis. SOC. Tu verò qualis homo futurus? HI. Statuarius videlicet. SOC. Attende obſecro, ad Protagorã nunc ego ac tu proficiſcimur, & argentũ tui gratia dare illi parati ſumus, ſi modo pecuniæ noſtræ ſufficient & ſi impetrare licet: ſin minus, amicorũ inſuper pecunias erogabimus. Si quis ergo nos ad hæc adeò properantes interroget. Dicite mihi quæſo, ô Socrates, & Hippocrates, qualinam homini, & qua ratione Protagoræ pecunias tribuere cogitatis: quid illi reſponderemus? Quódnã potiſſimum Protagoreæ nomen audiuimus? Phidiam quidem ſtatuarium nominant, Homerũ verò poetam. Protagoram autẽ quemnã? HIP. Sophiſtam, ô Socrates, virum hunc appellant. SOC. Ergo tanquam ad ſophiſtam mercede conducendum pergimus? HIP. Maximè. SOC. Si quiſpiam te interroget qua mente, & qualis euaſurus ipſe Protagoram adeas, quid ad illum? Hic Hippocrates erubuit, iam enim aurora paulisper illuxerat, quo vultus eius patere potuerat, reſpondit deinde. HIP. [Siquidem iſtud

[a] *Hippocrates Cous ex Aeſculapij genere.*

[b] *Polycletus Argiuus, Phidias Athenienſis.*

superioribus est simile, profectò tanquam sophista & ipse futurus. SOC. Te verò per deos non pudet inter Græcos Sophistam præbere? HI. Vehemeter, ô Socrates, si quod sentio proferendũ est. SO. Sed enim vide, ô Hippocrates, ne fortè aliò tendat tuũ hoc Protagoricæ artis studiũ, quàm vt Sophista efficiaris. Quemadmodum grammatici ludum citharœdique atque gymnastici non artis ipsius exercendæ gratia frequentasti, sed eruditionis causa duntaxat, vt priuatum ac liberum hominẽ decet. HIP. Talis omnino studij mei apud Protagoram ratio futura videtur. SO. Scisne quid nũc facturus sis? an te fugit? HIP. Qua de re? SOC. Animi tui curam viro, vt ais, sophistæ es cõmissurus. Quid autem sophista sit si scias, summopere admirabor. Quod si ignoras nescis quale sit istud, bonúmne an malũ, cui operam impendere studes. HIP. Scire equidem arbitror. SOC. Dic[a] ergo, quid sophistã esse censes? HIP. Arbitror esse hunc vt nomen significat, qui res ad sapientiam pertinentes intelligit. SOC. Idem quoque de pictoribus ac fabris licet dicere, eos esse videlicet qui res ad sapientiam pertinentes intelligunt. Verùm si quis de pictoribus peteret, ad quarum rerũ sapientiam, respõderemus vtique ad efficiendarum imaginũ sapientiam, similitérque de cæteris. Et si eodẽ modo de sophista interrogaremur, qualẽ eius sapientiam esse respondere-mus? cuiúsue artis præceptorem? HIP. Præceptorem, ô Socrates, eloquentiæ, facultatísque dicendi. SOC. Verè sic forsitan diceremus, non tamen sufficienter. Responsio enim illa interrogationem aliam exigit, quibúsnam de rebus dicendi peritos sophista homines reddat.

[a] *Sophistæ definitiones vitiosæ.*

Citha-

Citharista nēpe iisdem dicendi aptos facit, in quibus & eruditos, in pulsanda videlicet cithara, nónne? HIP. Certè. SO. At verò sophista quam dicendi facultatem præstat? quibus de reb.? patet quòd de his quæ intelligit. HIP. Verisimile id quidem. SOC. Quid ergo istud est, quod & ipse Sophista intelligit, & alios docet? HIP. Ignoro Hercle. SO. An non vides quanto discrimini animū tuū subdas? nūquid si corpus tuum eidem discrimini supponiturus esses, quo vel in melius verti, vel in deterius posset, non prius alicui tantū de te periculum facturo committeres, quàm diligenter considerasses, committendúmne sit an non: amicos quinetiā, & propinquos diu de hoc ipso consuluisses? Cū verò animū tuum pluris facias quàm corpus, & ex eius vel morbo, vel integritate tua omnia contingat vel malè, vel bene habere, committendus sit an non huic hospiti animus, ne c patrem, nec fratrē, neque quenquā nostrūm, qui tibi amici ac familiares sumus, cōsuluisti. Sed cùm hesterno vespері aduentum illius audiueris, ad eum summo mane properas, nullo de hoc consilio habito, credere teipsum illi debeas nécne. Imò & tuas omnes, & amicorum pecunias erogare paratus es, quasi iam cognoueris omnino esse Protagoræ adhærendum, quem neque vidisti vnquam, vt ais, neque es allocutus. Sophistam vocas illum, & quid sophista sit apertè nescis, cui teipsum es dediturus. HIP. Vera loqui videris, ô Socrates. SOC. Nónne sophista est, ô Hippocrates mercator quidā, & caupo eius commeatus quo animus alitur? HIP. Talis mihi sanè videtur: verum quibus alitur animus? SO. Disciplinis, sed cauendū est, ô

a *Prout anima affecta est, ita quisque se benè vel malè habere censendus est.*

amice, ne dum laudat sophista quæ vēdit, nos decipiat, vt faciunt qui corporis epulas vendunt, mercatores quidē & caupones. Laudant illi quidem sua omnia, neque intelligunt vtrū salubria sint an noxia corpori quæ vendunt, idque ignorant & illi qui emunt, nisi fortè illorum aliquis medicus sit, aut gymnasticus. Haud secus illi qui disciplinas varias per vrbes venales circūferunt, & cauponātes eis qui emere cupiunt, laudant omnia quæ vendunt. Ac fortassis corū nōnulli ignorant sæpe quid vtile animo sit, quídve inutile ex his quæ venduntur: similiter quoque qui ab illis emunt, nisi illorum aliquis sit animi medicus. [a] Si ergo intelligis ipse quid ex his prosit, quídve obsit, tutò emere disciplinas & à Protagora, & ab alio quouis potes. Alioquin caue, ô beate adolescens, ne in summum iacturæ discrimen quæ tibi charissima sunt, deducas. Nā lōgè grauius periculum est in disciplinis quàm in cibis emendis. Etenim qui à caupone, aut mercatore esculenta emit & poculenta, potest antequam his vescatur, in aliis quibusdā vasculis illa domum deferre [& postquā ibi deposuerit, adhibito earum rerum perito & intelligente aliquo,] quid edendum bibendúmve sit, quid nō, quantūmque, & quando, deliberare, quāobrem haud graue est in emendo periculum. Disciplinas autem non licet in aliud vas transferre, sed necesse est, vt qui emit eas animo capiat, & relicto pretio abeat, intra se ferēs, vel inquinatus iā, vel ad meliora prouectus. Hæc itaque cum senioribus vtroque nostrum discutiamus, iuniores namque nos sumus quam exigat tantæ rei iudicium. In præsentia tamen pergamus quò cœpimus, vtrūmque hunc audia-

[a] *Disciplinis quibusuis admittendis grauius peccatur, quàm cibis eminendis.*

audiamus: quo audito cum aliis communicabimus. Neque enim Protagoras ibi solus adest, sed etiam Elienſis Hippias, & Prodicus, vt arbitror, Chius, aliíque permulti viri, & admodum ſapientes.

Placuerunt hæc nobis, atque perreximus. Et ingreſſi veſtibulum aliquantulum ſubſiſtentes ſermonem quendam inter eundum fortè incideramus, tractauimus. Qui ne imperfectus relinqueretur, [ſed eo demum abſoluto ingrederemur, ſtantes in veſtibulo collocuti ſumus donec inter nos conueniret.] Audiuit autem vt arbitror, nos Eunuchus quidam ianitor, ſed propter ſophiſtarum iſtuc frequentiam venientibus iraſcebatur, pulſauimus, aperuit. cùm nos vidiſſet, Sunt, inquit, quidam: haud ocium illi, ſimúlque vtriſque, manibus nixus oſtium clauſit. Pulſauimus iterũ, ſed ille clauſis foribus non auditis, inquit, otium illi non eſſe: O bone vir, inquam, neque ad Calliam venimus, neque ſophiſtæ ſumus: ſed cõfide, Protagora indigemus, videre illum cupimus: intus renuncia. Ingreſſi, Protagoram offendimus in veſtibulo porticus deambulantẽ, cum illo ambulabant, hinc quidem Callias Hipponici filius, & germanus eius ex matre Paralus Pericles natus, & Charmides Glauconis: inde verò alter Periclis filius Xanthippus, & Philippides Philomeli, & Antimirus Mendeus, qui inter omnes Protagoræ auditores inſignior habebatur, diſcebátque ea mente facultatem illam, vt & ipſe ſophiſta futurus eadem quandoque profiteretur. A tergo præterea ſequebantur alij auſcultantes Protagoram, quorum plurimi peregrini eſſe videbantur, quos ex ſingulis vrbibus per

quas circunuagatur, ille congregat, mulcens eos voce tanquã Orpheus quidã, & alliciens. Illiverò vocem passim deliniti sequuntur. Aderant & nostrates quidã in eo choro. Hunc ego chorum cùm contemplarer, ordo me illius mirificè oblectabat. Diligenti siquidem cautione singuli obseruabant, ne passu Protagorã anteirent. Sed cùm retrò pedem verteret, pedissequi auditores aptè nimium, & in circulũ vtrinque diuisi, ita cedebant, vt posteri semper essent Hunc pòst animaduerti, vt verbis Homeri loquar, Hippiã Eliensem in aduerso porticus vestibulo in throno sedentem. Circa quẽ per subsellia nonnulli sedebant, Eryximachus Acumeni filius, Phędrúsque Myrrhinusius, Andron Androtione genitus, aliíque nonnulli partim ciues, partim etiã peregrini: qui de rebus naturę sublimibus, astrorúmque progressibus interrogare Hippiam videbantur ille autem in throno sedens dubitationes singulis enodabat. Vidi pręterea Tantalum: Aderat porrò & Prodicus Ceus, qui in[conclaue] quoddã secesserat, quo pro penu iam antea Hipponicus vti consueuerat: sed vt omnis cõfluentium hospitum turba exciperetur, angulum illum quoque extractis obsoniis Callias hospitibus habitandum dederat. Prodicus igitur villosis stramentis, & quidem multis, vt videbatur, inuolutus, illic adhuc recumbebat. Sedibus autem illi proximis considebant, Pausanias Ceramensis, & penes eum adolescentulus quidam optimo, vt mihi quidem videtur ingenio & generosa indole pręditus, nomine vt audiui Agathon, neque mirum videri debet si Pausanię sit ab amoribus, erat ibidem & Adimantus vterque, tum Cepidis, tum Leucolophi

lophi filius, aliíque permulti. Quę inter se disceptarent haud satis percipere foris potui, quanquam vehementer audire Prodicum affectabam. Sapientissimus enim diuinúsque vir mihi esse videtur, sed [susurrus quidam propter vocis eius grauitatem cubiculum implēs, impediebat, ne intelligi possent, quę ab eo dicebantur.] Euestigiò post ingressum nostrum intrauit Alcibiades, vt ais ipse, pulcher, & ego credo, & Critias Callæschri filius.

NOS autem cùm ingressi de quibusdam vnà disseruissemus, & illa essemus contemplati, accessimus ad Protagoram. Tum, ô Protagora, inquam, certa de causa ad te ego & Hippocrates huc venimus. PR. Nunquid seorsum ab aliis mecum loqui vultis? an coram omnibus? SOC. Nobis quidem perinde est, sed cùm audieris quam ob causam venimus, ipse videris. PR. Quid ergo istud est, cuius gratia huc accessistis? SOC. Hippocrates hic nostras est Apollodori filius nobili atque felici genere ortus, Ipse verò [naturę indole eum omnibus suis ęqualib. certare videtur] cupítque in republica vir illustris euadere, atque huius rei cōpotem fore se sperat consuetudine tua. Vide vtrū de hoc solos tecum, an cotā aliis consultare nos deceat. PR. Recte mihi, ô Socrates, consulis: prudenti nanque cautione indiget peregrinus is, qui amplas vrbes perlustrans claris vbique iuuenibus persuadet, vt relicta aliorum omnium tam suorum quàm alienigenarum, tam senum quàm iuuenum consuetudine, sibi soli adhæreant, tanquam ipsius consuetudine præstantiores aliis omnibus euasuri: inuidiæ nanque aduersus eum insurgunt multæque maleuolentiæ & insidiæ. a Ego verò artem sophisticam

a *Sophistica antiqua & à multis illustribus viris specie & obtentu aliarum artium facitata.*

antiquam esse aio, priscos autem viros in ea pe
ritos inuidiam hanc offensionémque veritos
aliarũ artium specie dissimulasse, partim qui-
dem poematis specie, vt Homerus fecit, & He-
siodus, & Simonides, partim verò sub sacrorũ
oraculorúmque appellatione, vt Orpheus, &
Musæus, eorúmque etiam sectatores. Audiui
præterea nonnullos eam artem appellasse gy-
mnasticam, quod Iccus Tarentinus fecisse vi-
deatur, & qui adhuc superest sophista nullo in-
ferior Selybrianus Herodicus, qui prisca origi-
ne genus à Megarensibus ducit. Agathocles
quinetiam vester, qui magnus est sophista, &
Pythoclides Ceus, aliique permulti sub musi-
cæ artis velamine sophisticam facultatem oc-
culuerunt. Hi omnes, sicut dictum est, ob deui-
tandam inuidiam his artibus pro velamentis
vsi sunt. Ego autem ab his omnibus in hoc
dissentio, neque conducere versutias istas exi-
stimo. Neque enim voti compotes eos fieri ar-
bitror. Nam viri in ciuitate præstantes dissi-
mulationes eiusmodi omnes intelligunt. Vul-
gus autem quodammodo non aduertit, sed ea
laudat quæ ipsi prædicant. Subterfugiendi ve-
rò studium istud cum non assequitur quod
molitur, inertem indicat fugientem, & aduer-
tentes homines reddit infensiores. Existimant
enim præter cætera hunc versutum seducto-
rémque esse: ego igitur contrariam quandam
viam sum ingressus. Confiteor me esse sophi-
stam, alióque docere, & hac ingenua confes-
sione tutius quàm dissimulatione illa vitari
inuidiam censeo. Aliis præterea rationibus mi
hi prospexit, vt nihil mali adiuuante, deo ob
sophisticæ professionem sim passus, licet mul-
tos annos facultatem hanc exercuerim. Sum
equi-

equidem grandis natu, & cuiusque vestrûm ætate pater esse possem. Quamobrem gratissimum mihi erit, si de iis mecum, audientibus omnibus qui intus sunt, verba facere velitis. Hic ego eum suspicatus ostentare & iactare se apud Prodicum & Hippiam velle, quòd eius sapientiæ auiditate inflammati ad eum audiendum profecti essemus, Cur non inquam Prodicum atque Hippiam, & eos qui hos comitantur, huc aduocamus, vt & ipsi nos audiant? PR. Aduocemus. SOC. Vultis igitur, Callias inquit, sedes hîc paremus, vt dissertatis sedentes? Consensimus omnes. Læti autem nos omnes quippe viros sapientes audituri, scamna vnusquisque apprehendimus, & iuxta Hippiam confestim apparauimus. Ibi enim plurima erant subsellia. Interim Callias & Alcibiades veniunt, Prodicúmque, & qui cum eo illic erant, secum adducentes.

POSTQVAM igitur consedimus omnes, Repete, ô Socrates, inquit Protagoras his præsentibus quæ me paulò antè pro adolescête hoc obsectabas. Eodem igitur, inquam, exordio quo suprà vtamur. Hippocrates hic adhærere tibi vehementer exoptat: verùm quidnam sit ex hac consuetudine tua reportaturus, libenter audiret. Hæc nostra erat oratio. PR. O adolescens, nunquam accedes ad me, quin abeas doctior, singulísque diebus amplius ampliúsque proficies. SOC. Haud mirum hoc, ô Protagora: sic enim conuenit: quandoquidem & tu tam grandis natu, támque sapiens, si quæ nescis ab aliquo disceres, melior euaderes. At verò non id duntaxat exquirimus: Sed perinde ac si Hippocrates hic mutata sententia versari cum adolescête hoc,

nuper huc profecto Zeuxippo cuperet Hera-
cleti filio, eúmque eodem quo nunc te pacto
aggressùs, eadem ex illo quę ex te audiret, [fo-
re vid. vt si se quotidie accedat, melior eua-
dat, & proficiat: ísque] Zeuxippum roget, qui
potissimum in re profecturus sit, respondeat
vtique Zeuxippus, in arte pingendi: & Ortha-
goram Thebanum si conueniat, audiátque
ex illo eadem quæ abs te audiuit, perconte-
tur ex eo qua in re præstantior quotidie fieret
cum illo conuersans, in tibiarum sono Ortha
goras respondeat: eodem modo & tu adole-
scenti huic mihíque pro illo petenti responde.
Ais enim Hippocratem, siquidem Protagoræ
adhærebit, in dies doctiorem fore: quatandē
in re? declara. Tum Protagoras, Scitè interro-
gas tu quidem, ô Socrates: & ego his qui pro-
bè interrogant, gaudeo respondere. Hippocra-
tes quidem si mecum versetur, in eum errorē
non incidet, in quem proculdubio incidisset
cum sophistis aliis conuersatus. Alij siquidem
iuuenibus obsunt. Inuitos namque ad eas artes
retrahunt, quas & fugerant, arithmeticen, a-
stronomiam, geometriam, musicam docentes.
Et Hippiam simul aspiciens addidit. Quisquis
autem ad me venerit, solùm id discet cuius gra
tia venit: [a] disciplina verò huiusmodi est pru-
dens in re familiari & republica consultatio,
qua quis & domum rectè gubernat, & ciui-
tatis negotia optimè & dicendo transigit, &
agendo. SOC. Intelligo quod vis: ciuilem nam-
que artem dicere mihi videris, pollicerique te
facturum quo in viros bonos ciues euadant,
PROT. Hoc ipsum est, ô Socrates, quod passim
profiteor. SOC. O quàm præclarum nactus es
artificium, si modò es nactus! Nihil sanè aliud

[a] *Ciuilis ars.*

erga

erga te quàm quod sentio proferendum. Id equidem, ô Protagora, doceri non posse putaram. Tibi tamen autumnanti non præstare fidem non possunt. Quam verò ob causam neque a doceri neque ab hominibus inuicem tradi cẽseam, æquum est, arbitror, vt dicam. Equidem quod & cæteri Græci testantur, Athenienses viros sapientes appello: Video igitur quando concione congregata aliquid de ædificando deliberare vult ciuitas, ædificatorum consiliũ de ædificiis expeti: & cùm de nauium fabrica, fabros nauium accersiri. Idem quoque faciunt in cæteris omnibus quæcunque doceri & disci posse existimant. Quòd si quis alius de artis illius opere consultare pergit, quem eius artis expertem esse putant, clarissimus aliis in rebus sit licet ditissimúsque & nobilissimus, nihilò tamen magis admittunt, sed exibilant, explodúntque, quoad vel ipse tumultu deterritus à dicendo desistat, vel iubentibus magistratibus spiculatores ipsum aut extrudãt protinus, aut abstrahant. Id itaque in omnibus ad perceptionem artium pertinentibus obseruare consueuerunt. At cũ de publica ciuitatis administratione consultandum est, cõsulit architectus æquè ac faber ærarius, æquè etiam cerdo, mercator, nauta, diues, pauper, ignobilis, nobilis, neque horum quisquam quẽquam explodit, vt in superioribus cõtingebat, quasi quod nusquam didicerit, nullóque præceptore vsus sit, consultare audeat. Cõstat porrò quòd doceri posse non putant. Neque publicè solùm hoc, sed & priuatim conspicitur. Etenim qui ciuili sapientia pollent, virtutem hanc in aliũ transfundere nequeunt. Siquidem Pericles horum adolescentum pater, in his

Ciuilis scientia doceri non potest.

rebus quæ sub magistro discuntur, diligenter eos erudiuit: in his autem in quibus ipse sapit neque ipse erudit, neque alteri cuiquam committit erudiendos, sed passim quasi pascentes sine custode pererrant, si fortè casu quodam in hanc virtutem incidant. Idem quoque Pericles cùm esset Cliniæ tutor, fratris Alcibiadis huius minoris natu, illíque metueret ab Alcibiade, ne fortè consuetudine eius inquinaretur, segregauit eos, & Cliniam apud Ariphronem educauit, sed nondum sex inde mensibus exactis eum illi reddidit, cùm quid illo faceret, ne sciret. Multos præterea commemorare possem, qui cum in republ. excellentes viri essent, nullum tamen aut propinquorum, aut alienorum vnquam docuerunt. Equidem, ô Protagora, dum hæc animaduerto, virtutem doceri posse diffido. Contrà verò dum te audio hęc asserentem, sententiam mutare cogor, & quæ dicis haudquaquam arbitror contemnenda, existimans te & multarum rerum peritum esse, & pleraque tum didicisse tum per teipsum reperisse. Ergo si potes clarius ostendere nobis, quod virtus doctrina aliqua cõparetur, ostende obsecro, nec inuideas. PRO. Haud inuidebo, ô Socrates. Sed vtrum vobis tanquam senior iunioribus fabulam referam? an prosequar disputando? SO. Tunc sanè assidentium plurimi, vtcunque mallet, dicere concesserunt.

a Fabula de humani generis & aliarũ animantiũ origine.

PROT. aGratiorem vobis fore fabulam arbitror. Olim quandoque dij soli erant, nulla verò mortalium genera, sed cum tempus generationis fatale venisset, ipsa dij in terræ visceribus ex igni terráque finxerunt, interuenientibus iis quæ igni, terræque miscentur. Cùm

Cùm verò educere illa in lucem vellent, Prometheo, Epimetheóque mandarunt, vt suas cuique vires & ornatum, prout deceret, distribuerent. Prometheum itaque rogauit Epimetheus, vt distributionis illius munus sibi concederet, distribuenti spectatorem se præberet. Consensit Prometheus, distribuit ille, quibusdam igitur robur absque celeritate dedit, quibusdam imbecillioribus velocitatem donauit, armauit nonnulla, inermibus aut aliud quoddam ad salutem machinamentum excogitauit. Quæ enim exiguo corpore clauserat, partim per aerem pennis attolli, partim per terrâ subrepere iussit. Quæ verò in molem amplam auxerat, ea ipsa mole ad salutem suam muniuit. Similitérque in cæteris exæquans partitus est singula, adeò vt nullum genus penitus obscuraretur. Postquam ita instruxit, vt ne mutua populatione perirent, excogitare iam cœpit suffugia qua ratione quàm facillimè sub dio agere vitam possent. Itaque illa vel pilis confertissimis setísque, vel durissimis pellibus vestiuit, quibus facilè tum hyemis, tum æstus intemperiem tolerarent, [vtque hęc ipsa illis stragulí & lecti loco essent, dum vellent ire cubitum, curauit] pedibúsque soleas addidit, vngulas, setas, callum, pelles itidē quàm durissimas. Deinde alimenta aliis alia suppeditauit, quibusdam ex terra herbas, nonnullis arborū fructus, radices aliis. Nec defuerunt quibus daret è mutuo laniatu victum. Cæterū voracibus animalibus genus quodammodo sterile: cęteris autem quæ illorum ferocitati obnoxia sunt, fœcundum dedit, vt hoc modo genus conseruaretur. Cùm verò non esset admodum sapiēs Epimetheus, vires omnes insciùs effudit in

bruta(neque aduertit nihil ex tanta sibi elargitione superfore,quo genus nostrum deinde donaret) Restabat ergo hominú genus immune & vacuum : itaque quò se verteret dubitabat. Dubitanti Prometheus adstitit partitionis illius spectator,vidítque cætera animalia suis quęque fulta muneribus boníſque referta,hominem autem nudum, inermem, calceorum strámentorúmque indigum. Iam verò imminebat fatalis ipse dies,qui in lucem è terra exire cogebat.Cúmque aliam salutis humanæ viã consultans Prometheus non inueniret, furtipuit Vulcani Mineruæque artificiosam pariter cũ igne sapientiã. Neque enim fieri poterat,vt eam sine igne nanciscerentur quis,vel etiã inpẽta vteretur.Eã itaq; sic hominum generi Prometheus intulit,atque ita sapientiam [qua ad victũ:& vestitũ necessaria pararentur,]conflecuti sumus.Deerat hominibus adhuc sapientia ciuilis.Erat illa quidem apud Iouem, cuius arcem ascendere Prometheo nondũ licebat:horribiles autem Iouis arcem circunstátes custodes Prometheum deterrebant.Cæterùm communem Vulcani Mineruæque officinam, in qua simul artem excolebant suam, clã ingressus furatus est igneam Vulcani artem, aliámque Mineruæ,atque homini tradidit,qua viuendi facultas obuenit.Prometheus autem,vt fertur, propter Epimetheum furti pœnas dedit. Quoniã verò homo diuinę sortis particeps effectus est,principio solus ob hanc cognationem deos esse putauit, aráque illis statuásque dicauit. Deinde vocem & verba articulatim arte distinxit,ædes cõstruxit,vestes calceósque cõfecit, stragulas elaborauit,ex terra alimenta colligit. Ita homines ab initio constituti sparsim vaga-

ban-

bantur,habitabántque,nam vrbes nondũ con
ſtruxerant.Ergo à feris cùm imbecilliores eſ-
ſent,paſſim laniabantur. Artium enim facultas
ad victum comparandum ſufficiens erat, ad
pugnam verò contra beſtias truculentas mini
mè.Ciuilis namque peritiæ,cuius pars quædã
eſt res militaris,expertes erant.Vt igitur ſe ad-
uerſus eam peſtem munirent, ſtructis vrbibus
congregati ſunt.Congregati autem ſibi inuicẽ
iniurias inferebant, quippe qui ciuili arte ca-
rerent,quare diſperſi iterum à feris lacerebã-
tur. aVerùm Iupiter humanæ ſaluti conſulẽs,
Mercurium miſit,qui pudorem & iuſtitiã ho-
minum cœtibus inferret,vt duo hæc ciuitates
ornarent deuincirẽtque,& mutua beneuo-
lẽtia ciues conciliarent.Interrogauit ergo Mer
curius,qua conditione pudorem & iuſtitiam
hominibus traderet. Num,inquit,vt artes di-
ſtribuæ ſunt,ſic has diſtribuam?Illę ſiquidem
ita diſtributæ ſunt, vt vnus in arte medicinæ
peritus pro rudibus multis ſufficiat, cæteræ-
que ſimiliter, nunquid ita pudorem & iuſti-
tiam hominibus dabo? an omnibus inſeram?
Omnibus reſpondit Iupiter: omnes ſiquidem
horum participes ſunto: neque enim ciuita-
tes vllæ conſtarent, ſi pauci quidam vt artium
aliarum, ſic horum participes eſſent. Le-
gem præterea meo nomine condas, qua
quiſquis omnino vel iuſtitiæ, vel pudoris
eſt expers, tanquam ciuitatis peſtis quæ-
dam vltimo ſupplicio afficiatur. Hac de
cauſa, ô Socrates, tam alij omnes quàm A-
thenienſes quotieſcunque de architectura vel
alio quodam officio habendus ſermo eſt,pau-
cos ad conſilium adhibent,cæteros autem im-
peritos excludunt, vt & tu ais, & ego appro-

a *Pudor & iuſtitia ſocietatem humanæ vincula omniũ hominum animis inſita ſunt.*

bo. Quoties autem de ciuili administratione concilium initur, quæ virtus temperantia & iustitia constat, iure vnumquenque admittũt, quippe cùm oporteat omnes huius virtutis esse participes, aut ciuitates nullas existere. Hęc, ô Socrates, eius de quo dubitatur est causa. Sed ne te decipi suspiceris, hanc insuper accipe cõiecturam, quòd scilicet omnes mortales, mortalem omnium virtutis huius ciuilis participẽ esse putent, temperantiæ scilicet & iustitię. Nã in cæteris facultatibus, vt tu ais, si quis se iactet, puta quòd tibicen optimus sit, cùm tamen in eo ipse sit rudis, audientes hunc aut rident, aut ei indignantur. Propinqui verò vt insanũ admonent, & increpant. Contrà verò in iustitia & alia ciuili virtute cõtigit, nam licet sciãt aliqui quempiam iniustum esse, tamen si ille hoc coram nescientibus fateatur, insanire eum existimant, neque patefaciendam censent iniquitatem, imò semper siue ea præditus sit, siue non, iustitiam ostentandam: eum verò qui nõ simulat iustitiam delirare, tanquam oporteat vnumquenque aut ciuilis virtutis participem esse, aut ex hominum cœtu vitáque exterminari. Ex his sufficienter ostensum puto, quòd meritò quemlibet de re ciuili consultorem admittunt, quia virtutis huius compotẽ quemlibet esse censent.

b Virtutem neq; innasci neq; sorte cõtingere, sed doctrina & studio cõparari, quibus argumentis probetur.

bQVÒD autem virtutem neque innasci, neque sorte contingere putent, sed doctrina & studio cõparari, deinceps tibi conabor ostendere. Nemo ob ea mala quæ vel natura vel casu accidisse putat, cuiquam succenset. Sed nec obiurgat, nec edocet: nec punit eos qui hisce malis premuntur, ne tales sint: sed omnes potius miseremur, ceu deformes, patuos, valetudi-

tudinarios homines. Nam quis adeò demens, vt aliquid eorum facere conetur? Intelligunt sanè, vt arbitror, omnes hæc mala eorúmque contraria natúra hominibus fortunáque prouenire. Contrà verò [quæ bona, diligentia, exercitatione, & doctrina putant adesse hominibus, ea si quis non habeat, sed contraria illorú mala] tunc indignantur, increpant atque puniunt. Quorú de numero iniquitas est, & impietas, ac summatim quicquid ciuili virtuti repugnat. Quæ idcirco quisq; passim damnat, corripitque, quòd ex industria, disciplináque, tam prauitas quàm ciuilis illa virtus proficiscatur. Si enim considerare volueris Socrates, iniustè agentes pœnis afficere quam vim habeat, ex eo quoque intelliges quòd homines virtutē studio cōparari putant. [a] Nemo .n. præteriti gratia punit, & ea mente iniustos affligit pœnis, quia iniuria affecerunt, nisi quis tanquā brutū absque ratione percutiat. Verū qui ratione punire aggreditur, nō præteriti sceleris causa punit: neque enim affequi potest, vt quod est factū sit infectū: sed futurū respicit, ne iterū aut ipse, aut alius quilibet exemplo eius adductus delinquat. Quisquis autē hoc proposito censu ráq; eiusmodi animaduertit in errata, doctrina virtutē existimat posse cōparari. Nā abstrēdi causa plectit. Hac mēte opinionéq; ad plctendum accedunt tam publicè quàm priuatim, quicunque in peccantes animaduertunt. Condemnant autem puniúntque cùm cæteri omnes, eos quos iudicant peccatores, tū maximè ciues tui Athenienses. Quamobrē Athenienses quoq; ex hac ratione in eorū numero esse cōstat, qui doceri virtutē putāt. Ex his apte, vt arbitror, mōstratū est, ó Socrates, nō in-

[a] *Quòd pœna afficiuntur peccantes, id argumento est iustitiam atq; adeo omnē virtutē disci posse.*

iuria ciues tuos in ciuili administratione con-
filium ærarii fabri, coriariúque non respuere,
atque eos doctrina & studio per exercitatio-
nem acquiri posse virtutem, existimare. a Re-
stat dubitatio illa quam de viris virtute claris
mouebas, quam ob causam filios illi suos in o-
mnibus quæ præceptore consequi licet, eru-
diunt: quòd verò ad paternam virtutem spe-
ctat, nihilo cæteris meliores reddunt. Ad hoc
rationem, ô Socrates, non fabulam afferam.
Sic enim cogita, vtrum est vnũ aliquid, aut nõ,
cuius necesse sit ciues omnes esse participes, si
modò constare ciuitas debeat. Ita enim hæc
tua dubitatio soluitur, aliter verò minime. Si
vnum hoc extat, neque est architectorum, ne-
que æratiorum artificum, neque singulorum
opificium. sed iustitia, temperãtia, sanctitas, &
vt paucis comprehendam, viri propria virtus;
si hoc est inquam, cuius participes esse oportet
omnes, & cũ hoc discere & agere quicquid ve-
lint agere, absque hoc autem, minime, exper-
tem verò huius doceri, corripíque & puerum,
& virum, & mulierem, quoad correptione me-
lior efficiatur: si quis autẽ non paruerit puni-
tus & doctus, eum tanquã insanabilem e ciui-
tatibus pelli vel interfici: si ita est inquam, vt
diximus, viríque præstantes in repub. ciues, in
cæteris quidem erudiunt filios, in hoc verò ne
quaquam, aduerte quàm mirabiliter in eo ex-
cellentes euadant. quòd enim doceri possit
priuatim quàm publicè opinãtur, ostendimus.
Cùm verò & doctrina & cura acquiri hoc pol-
sit, alia filios docent, in quibus non est aduer-
sus nescientes mortis pœna proposita: in quib.
autẽ mulcta est mors ipsorũ liberis, & exilia,
qui neque eruditi sunt, neque ad virtutem ex-
culti,

b *Aduersus obiect. de præstantium virorũ liberis resp. Protagor. eos in virtute eruditos fuisse, & in ipsa aliquos quãtùm vitiosi essent. si cum barbaris cõparẽtur, progressus fecisse: verum in virtutis studio, alio alio plus minúsue proficere, prout meliori vel deteriori est indole.*

culti,& præter mortem bonorum publicationes, & in summa, familiarum euersiones, hæc non docent, neque omnem diligentiam studiúmque adhibent. Existimare decet, ô Socrates, à teneris annis vsque ad vitæ finem erudiri eos atque moneri. Nam cum primum puer quæ dicuntur intelligit, nutrix, mater, pædagogus, pater, ad hoc omni cura studióque contẽdunt, vt in singulis tum verbis, tum operibus optimus puer euadat. Sigillatim enim monstrant quid iustũ, quid iniustũ, quid honestũ, quid turpe, quid sanctum, quídue prophanũ sit, quæ agenda, quæ non. Quibus si obtemperat puer, bene secum agi putant: sin renititur, tum veluti contortum obliquúmque lignum minis plagísque * dirigunt. Posthæc ludimagistris pueros curandos tradunt, morúmque bonorum diligentiã multò magis quàm literarum citharæque doctrinam à magistris exposcunt, præceptores autẽ susceptos curant & excolunt. Et literas vbi didicerunt, ad scriptáque intelligenda conuertuntur, poetarum in primis excellentium opera illis legenda ediscendáque proponunt, quibus monita quãplurima insunt, priscorúmque virorum virtute præstantiũ gesta laudantur, vt puer æmulatione accensus præclara maiorum facinora imitetur. Citharistæ quoque tum aliis quibusdã huiusmodi, tũ præsertim temperantiæ student cauéntque nequid perperam adolescentes agant. Atque vbi iam pulsare citharam didicerunt, rursus poetarum aliorum modulatione præstantium cantilenas docent, quas ad citharam canant, rhythmósque & harmonias puerorũ animis cõciliare conantur, vt mitiores modestiorésque & cõcinniores effecti,

* εὐθύνειν quid, dum ad castigationes refertur.

& ad agendum vtiles sint, & ad dicendum. [a] Omnis enim hominis vita numerosa quadã indiget consonantia. Post hæc ad gymnasiorum magistros parentes filios mittunt, vt firmum aptúmque adepti corporis habitum, optimæ menti suggerant ministerium, ne fragilitate corporum impediti, in bellis, aliísque actionibus reformidare cogantur. Hæc nempe obseruant maximè ij qui maximè possunt: possunt autem maximè opulentissimi viri, eorúmque filii, qui primi disciplinarum scholas ingressi, nouissimi exeunt. Scholis autem egressi, à magistratibus leges iuráque discere, eorúmque exemplo viuere coguntur; ne quid ipsi proprio ingenio freti temerè agãt: [b] sed quę admodum literarum magistri pueris adhuc scribendi ignaris, calamo exemplar quoddam præscribunt, & libellum tradunt, iubéntque literarum ductum scribendo imitari: ita ciuitas leges præscribens priscorum hominum inuenta, legibus ferendis prudentissimorum inuenta, ad earum normam imperare cogit quemlibet & parere. Eos autem qui migrant, punit: punitióque huiusmodi & apud vos, & apud alios multos, [tanquam dirigente iustitia] directiones, id est, * ἐυθύνας vocantur. Cùm igitur talis tantáque sit virtutis tam priuatim quàm publicè cura, an dubitas adhuc, ô Socrates, mirárísque si virtus doceri queat? Neque verò mirari hoc quisquam debet, imò multò magis si doceri non possit. Quam igitur ob causam bonorum patrum, filii mali reperiuntur? Hoc discito, neque hoc mirum videri debet, si vera sunt quæ dixi, videlicet virtutis curam non ad vnum aliquem duntaxat, sed ad omnes spectare oportere, si modò consistere ciuitas debeat.

Si

[a] *Vita hominis numerosa quadã indiget consonantia.*

[b] *Leges sunt tãquam exemplaria quædam.*

* ἐυθύνας *vide paulò ante.*

Si autem ita est, vt loquor, imò certè cùm ita sit, elige atque considera quamuis aliarum facultatum & doctrinarum: vtputa si nō posset cōsistere ciuitas, nisi tibicines omnes essemus, qualiscunque esse quilibet posset, nónne hoc quilibet priuatim & publicè vnumquenq; doceret, huiúsque ignarū sine inuidiæ liuore corriperet? quemadmodum nunc quæ iusta & legitima sunt, quilibet sine inuidia prædicat, neque hæc vt alia celat, prodest enim nobis, opinor communis iustitia virtúsq;. Atque idcirco omnes omnibus quæ iusta & legitima sunt, libentissimè monstrant. Si ergo in tibiarū flatibus eadem animi alacritate charitatéque inuicem nos eruditemur, num optimorum tibicinum filii magis quàm deteriorum in his sonis periti euaderent? nequaquam, vt arbitror. sed quicunque natura ad tibias inflandas ingeniosus esset, magis proficeret, tardus autem minus: ac sæpenumero periti tibicinis rudis euaderet filius: sæpe etiam inepti filius, aptus. Veruntamen omnes sufficientes essent tibicines, si cum his conferrentur qui rudes sunt, nihílque rerum earum intelligunt. Similiter cū existima, Socrates, qui iniustissimus tibi videtur inter homines sub lege viuentes, iustum fore, iurísque autorem si quando cum illis hominibus conferatur, quibus nec disciplina sit, nec iudicia, neque leges, neque necessitas vlla in vita quæ virtutē colere iubeat, efferatíque sint, [vt illi quos anno præterito in Lenæo poeta Pherecrates docuit: ac si fortè in eiusmodi homines quales in illo choro describebantur hominum osores, incideres,] bene tecum agi putares, si Eurybatum offenderes & Phrynondam, deploraréque fortu-

nam tuam, desiderans nostrorum hominum prauitatem, nunc autem delicatior videris, ô Socrates, quum enim omnes pro viribus virtutis præceptores sint, nullus tamen tibi talis apparet. Quinetiã si quæreres quis præceptor nos Græcè loqui docuerit, nullus vtique appareret. [Item si quæras quis docere possit mechanicorum artificum filios artem illam quã patres eorũ consortésque alii eiusdẽ artis exercent, quódve filii imitantur, ali quæras inquã, quis illos amplius & perfectius artem illã docere possit, non facilè puto ô Socrates, reperiri qui istos doceat, facile autem qui planè imperitos doceat: ita de virtute & aliis omnib. iudicandum: Atque adeo si aliquis vel tantillũ nobis antecellit ad prouehendum alios in virtutis studio, id boni consulendum est] Ex quibus vnum me esse profiteor, subtiliúsque cæteris hominibus rationem qua boni honestíque fiant, cognoscere, atque ita rem ipsam perficere, vt dignum est ea mercede quam exigo, imò etiã mercede maiori, quod ipsi quoque discipuli iudicant. Exactionis autem meæ hæc est conditio: postquàm aliquis à me didicit, si vult ille quidem, retribuit quantũ exigo argentum. Sin minus, ingressus templum, iureiurando præstito æstimat quanta mercede digna sibi mea documenta videantur, tantúmque exponit. Quòd igitur virtus doceri discíue possit, ô Socrates, haec fabula tibi sit & ratione probatum. Quod & Athenienses ipsi testantur. Ostendimus item nihil mirum videri debere, si bonorum patrum mali sint filii, malorúmue boni, quandoquidem & Polycleti filii, Parali & Xantippi huius æquales, si cum patre comparentur, interuallo quo-

a *Excellentes in vnaquaque arte magistri pauci.*

dam

dam longissimo superantur, similiter etiam aliorum artificum filii. Nequédum adolescentes hi reprobandi sunt, spem quippe aliquam præbent: iuuenes sunt enim.

Cùm hæc & similia ostendisset Protagoras, loquendi finem fecit. At ego diu pòst, vtpote superiori oratione delinitus adhuc ipsum cõtuebar, sequentium verborum desiderio inflãmatus. Verùm postquàm destitisse prorsus animaduerti, vix tandem me ipse recepi, & ad Hippocratem conuersus: ô fili Apollodori inquam, quàm ingentes tibi deboo gratias, quòd me huc hodie adduxisti. Nam plurimi facio hæc à Protagora audiuisse. Antea enim haud humanam curam esse rebar, qua qui boni sunt, boni efficiuntur: nunc autem eam esse persuasus sum. Sed scrupulus quidam restat qui me malè habet, quem videlicet Protagoras facilè eximet, postquam multa hæc edocuit. Etenim si quis de iisdem rebus cum aliquo forensium oratorum agat, fortè tales sermones audiet, quales Periclis esse solent, cæterorúmque eloquentium hominum: si autem de aliquo rursus interrogando instet vrgeátque, librorum instar, neque quid respondeant, néque quid interrogent, ipsi habẽt. Si quis verò de aliquo, paucis obiter ab ipsis dicto roget, velut æs percussum altè resonant, lõgéq; vociferãtur, nisi eorũ dicta protinus excipias. Atq; ita rhetores breue quiddã interrogati, prolixam producunt orationem. Verum Protagoras hîc copiosè, & ornatè loqui potest, quòd superior testatur oratio, potest etiã cùm rogatur, summatim ac breuiter respõdere: & interrogãs ipse, cõsistere & excipere respõsionem, quod quidem de paucis dicere licet.

a *Oratorum continua esse oratio.*

In præsentia igitur, ô Protagora, paruum quiddam desidero, quod si declaraueris, putabo mihi in omnibus satisfactũ. Virtutẽ ais doctrinæ studio comparabilẽ, & ego, si cui vnquam, tibi maximè credo. Quod verò te dicente sum admiratus, aperias obsecro. Dicebas enim Iouem iustitiam & pudorem hominibus infudisse. Deinde procedente sermone, sæpe iustitiam nominasti, temperantiam, sanctitatem, perinde ac si ista omnia sub vna quadam virtute contineantur, vnúmque aliquid ipsa virtus existat. Hæc mihi liquidò explanari velim, vtrum scilicet vnum quiddam sit virtus, cuius partes sint iustitia, temperantia, sanctitas: an hæc, inquam, omnia, quæ nunc retuli nomina vnius eiusdémque rei sint: hoc est, inquam, quod insuper requiro. PRO. Ac facilis est, ô Socrates, ad ista responsio, quod a virtutis ipsius quæ summatim vnum est, partes sunt quæ interrogas omnia. SOC. Vtrum quemadmodum vultus vnius partes sunt os, nares, oculi, aures? An sicuti auri partes nihilo differunt à toto, præterquam magnitudine quadam & paruitate? PRO. Ita se habere mihi videntur, ô Socrates, virtutis partes ad totam, vt vultus partes omnes ad totum. SOC. Vtrum alij homines aliam virtutis partem accipiunt? an necesse est, eum qui vnã habet, omnes habere? PROT. Nullo modo, quoniam multi fortes quidẽ sunt, sed iniusti: & alij iusti quidem sunt, sapientes minimè. SOC. Nunquid sapientia & fortitudo partes virtutis sunt? PRO. Omnino quidem, & præstantissima pars omnium est sapientia. SOCR. Estne hoc quidem aliud, illud verò aliud? PROT. Est. SOC. b Nunquid & potentiam vtrunque propriam habet?

a *Virtutis species, an partes sint totius integri, an sint partes similares.*

b *An partes virtutis sint similes inter sa.*

habet? quemadmodum è vultus partibus oculus non est auribus similis, neque illorum potentia eadem, neque alia quælibet pars alterius, aut potentia, aut alio quoquam similis est. Itane virtutis partes se habent, vt neque alia aliarum sit similis, neque eadem, neque potentia eâdem? An fortè ita esse constat? siquidem naturæ virtutum exemplar quod induximus, congruit. PROT. Sic certè est, ô Socrates. SOC. Non est igitur pars virtutis alia talis qualis scientia, neque qualis iustitia, vel fortitudo, vel temperantia, vel sanctitas. PROT. Non certè. SOCRA. Age in commune consideremus, qualénam quiddam istorum quodtis existit: primùm quidem sic: Iustitia res quædam est, an nulla? Mihi quidem res quædam esse videtur. Tibi verò? PROT. Et mihi. SOC. Quid verò? si quis à me & te sciscitetur, ô Protagora atque Socrates, dicite quæso, num res ista, quam modò iustitiam nominabatis, ea ipso quo est iustitia, est & iusta, an iniusta? Ego quidem iustam esse dicam, tu verò mecum sentis? an non? PROT. Tecum planè. SOC. Ego igitur interroganti responderem talem esse iustitiam, quale & iustum, tu verò? PROT. Ego quoque. SOC. Si quæreret iterum, nunquid & sanctitatem aliquam esse dicamus, consentiremus vtique, vt opinor. PROT. Consentiremus. SO. An non & hanc rem aliquam esse dicitis, si roget ille, nônne & hoc assentiremur? PROT. Et hoc. SOC. Num rei istius naturam talé putatis vt sancta sit, an vt prophana? Interrogationem hanc ægrè ferrem, ad eúmque conuersus dicerem. Bona verba quæso. Nunquam porrò sanctum aliquid esset, nisi & sancta ipsa sanctitas esset, quid & tu an non

a Redarguitur Protagoras eo quòd negaret virtutis partes esse similes.

similiter responderes? PROT. Similiter. SOC. His si adiceret, an quæ suprà dixistis, recte accepi? Videbamini enim paulò ante asserere, ita se inuicem partes virtutis habere, vt non sit alia pars qualis est alia. Inferrem equidem ad hæc, quòd alia rectè acceperit: quòd verò me in eo consensisse putarit, non rectè. Nam Protagoras iste hæc respondit: ego autem quæsiui. Ergo si dicat, ô Protagora verè loquitur Socrates, ipse es qui ais, virtutis partem aliam non esse talem, qualis est alia: tunc hic sermo est. Quid illi tu respondebis? PROTAG. Necesse est, ô Socrates, id fateri. SOCRAT. His concessis, quid illi potissimum respondebimus, si vltrà sic obiecerit? Non ergo talis est sanctitas, vt res iusta sit: neque iustitia talis, vt sancta: sed illa talis, vt non iusta, hæc vt non sancta, iniusta itaque illa, hæc prophana. Quid ad hæc, inquam? Equidem mea sententia iustitiam esse sanctã, & sanctitatem iustã esse dicam. Arbitror enim te permissurum, vt pro te illud ipsum respondeam, quòd videlicet aut idem sit iustitia quod sanctitas, aut inuicè quàm simillima: vt maximè omnium talis iustitia qualis sanctitas, & qualis sanctitas, talis iustitia sit. Vide num me ita respondere prohibeas, an consentias. PROT. Haud ita simpliciter istud mihi videtur, ô Socrates, vt concedi possit sanctitatem iustam sanctam esse. Verùm differentia quædã in hoc mihi esse apparet, sed quid tandem id refert? Si vis, esto nobis sanctitas iusta, sanctaque iustitia. SOC. Mihi verò non. Nec opus habeo vt istud, si vis, & si tibi placet, redarguatur: Sed vt ego & tu redarguamur. Me verò & te, hoc dico, putans ita sermonem optimè dici, si istud, si

ita

ita vis, ab eo auferatur. PROT. Enimuero similе quiddam habet iustitia sanctitati. Nam quodlibet cuilibet quiddam simile habet, præter illa quæ omnino inter se contraria sunt, vt album nigrum, molle durum. Atqui & illa quæ suprà diximus aliâ aliámque inter se vim habere, nec tale esse alterum quale alterum est, ceu vultus ipsius partes, quiddã simile inter se habent, éſtque quodãmodo tale alterum quale alterum. Atque hac ratione licet hæc refellas, si placet, quòd cuncta inuicem similia sint: non tamen quæcunque simile quiddã habent, similia vocanda sunt. neque etiam quicunque dissimile quiddam, inuicem dissimilia si exiguum quiddã dissimile habent. SOC. Admiror equidem, ô Protagora, si ita iustum sanctúmque inuicem se habent, vt paruum quiddam simile inter se habeant. PROT. Haud ita omnino, neque tamen ita prorsus, vt ipse arbitrari videtis. SOC. [a] Postquam hæc tibi molesta sunt, dimittamus: aliud verò quiddam ex his quæ dicebas, cõsideremus. Insaniã quid vocas, num hanc rem cuius in totum contrarium est sapientia? PROT. Equidem. SOCR. Nũ cùm rectè frugalitérque homines viuunt, ita agentes, temperanter agere putas an cùm contrà agunt? PROT. Temperanter agere videtur mihi, cùm frugaliter rectéque agunt. SOC. Nónne temperantia temperanter agunt? PRO. Necesse est. SO. Nónne quicunque non rectè agunt, insana agunt: & qui ita agunt, non tẽperanter agunt? PROT. Ita videtur. SOC. Ergo insanè agere, contrarium eius est, quod tẽperatè agere dicitur. PROT. Est vtique. SOCR. Nónne igitur quæ insanè fiunt, insania fiunt? quæ temperatè, temperantia? PROT. Profectò.

[a] *Alio argumẽto rectè arguitur & Protag. & cogitur confiteri partes virtutu non modò similes sed etiam easdem esse.*

SOC. Nónne quicquid robore fit, fit robustè & debilitate quicquid fit, debiliter? PRO. Apparet. SOCR. Et quicquid velocitate, velociter: quicquid autem tarditate, tardè? PROT. Et hoc. SOC. Et quod eodem modo fit omnino, ab eodem efficitur: quod verò contrario modo, efficitur à contrario. PROT. Assentior. SO. Dic obsecro, éstne pulchrum aliquid? PROT. Est profectò. SOCR. Huic contrarium aliud quicquam est, quàm turpe? PROT. Nihil aliud. SOC. Est & aliquid bonum? PROT. Et bonum. SOC. Ei nunquid aliud contrarium nisi malum? PROT. Non aliud. SOC. Estne aliquid in voce acutum? PROT. Sanè. SOC. Num aliud illi contrarium quàm grane? PROT. Hoc ipsum. SOC. [a] An non vnicuique contrariorum non multa, sed vnum est contrarium? PROT. Vnum duntaxat. SOCR. Resumamus iàm quæ hactenus à nobis concessa fuerunt. Concessimus planè, vni vnum solum esse contrarium, plura autem, minimè. PROT. Nempe. SOC. Item quod contrario modo fit à contrariis effici. PROT. Hoc quoque. SO. Admisimus præterea contrario modo fieri quod insanè fit, & quod temperatè. PROT. Etiam. SOC. Rursus quod temperatè agitur, à temperantia prouenire: quod insanè, ab insania. PRO. Conuenit. SOC. An non, si contrario fit modo, fit à contrario? PROT. Vtique. SOCR. Fit autem hoc quidem à temperantia, illud autem ab insania. PRO. Certè. SO. Contrario modo? PRO. Contrario. SO. Nónne igitur à contrariis? PRO. Et à contrariis. SOC. Insania itaque temperantiæ contraria est? PRO. Apparet. SO. Recordamur suprà nos concessisse sapientiæ insaniam esse contrariam? PROT. Certè. SOCR. Quin

[a] *Vnum vni Contrarium est.*

& vni vn
Et hoc.
rum reiic
vnum vn
volebat
tùm vtra
ter id qu
les quoq
quemad
rum refu
ptè dici
gruunt i
tent, si
taxat co
quam: i
tia & te
an alite
quid tu
erit sap
ftitit id
ctitate
mus ad
iniustè
Ego qu
audere
soc. V
gam? P
monen
modò
minus.
discuti
te, & te
Protag
ficulta
concef
ds. Vid

& vni vnum solum esse contrarium? PROT. Et hoc. SOCR. Vtram igitur orationum harum reiiciemus Protagoras? eámne qua dicitur vnum vni solum esse contrarium? An quæ volebat sapientiam à temperantia differre, cùm vtraque pars virtutis esset? ac etiam præter id quod diuersæ hæ vtræquæ sunt, dissimiles quoque esse tam ipsas quàm earum vim, sic quemadmodũ illas in vultu partes? Vtrũ istorum refutabimus? vtraque sanè haud satis aptè dicitur, neque enim concinunt vel congruunt inter sese. Nam qua ratione consonarent, si quidem necessarium sit vni vnum dũtaxat contrarium esse, pluribus verò nequaquam: insaniæ autem quum vnum sit, sapientia & temperantia contrariæ videantur? Itáne, an aliter, ô Protagora? PROT. Esto tandem, quid tum? SOCR. An non hac ratione vnum erit sapientia temperantiáque? & suprà constitit idem quodammodo esse iustitiam & sanctitatem? Age Protagora ne pigeat, sed pergamus ad reliqua. [a] Videtur tibi vir iniustus, iniustè agendo temperanter sapere. PROT. Ego quidem confiteri hoc, ô Socrates, non auderem, plurimi autem hominum asserunt. SOC. Vtrum ergo ad illos, an ad te verba dirigam? PROT. Si placet, ad hunc primò vulgi sermonem edisseras. SOCRAT. Nihil mea refert, modò ipse respondeas, hæc tibi videantur, an minus. Nam ipsum sermonem in primis ego discutio. Istud autem quod & me interrogante, & te respondente fit, sic accidit fortè. Hîc Protagoras efferebatur primùm sermonis difficultatem causando, postea verò respondere concessit. Age, inquam, ab initio mihi respondè. Videntur aliqui tibi iniustè agendo, sapere

[a] *An iniustus iniustè agendo temperanter sapiat.*

temperanter? PROT. Esto. SOC. Temperanter verò sapere, bene sapere vocas. PROT. Voco. SOC. Bene autem sapere consulere in eo, in quo cæteri iniuriam exercent. PROT. Esto. SOCR. Vtrum si bene faciunt quod iniuriam inferant, an si malè? PROT. Si bene. SOCR. Dicísne bona quædam esse? PROT. Dico. SOC. Num ea bona sunt, quæ vtilia sunt hominibus? PROT. Imò per Iouem, bona quædam voco, etiam si hominibus vtilia non sint. SOCRA. Cùm autem videretur mihi Protagoras subirasci, & ad responsionem inuitus & perturbatus descendere, omnino ego cautè pedetentímque rogaui. Nunquid ais Protagora, quæ nulli hominum vtilia sunt? an quæ nullo modo vtilia? Et talia quædã bona appellas? PR. Nequaquam. Sed ego multa noui hominibus inutilia, cibos, & potiones, & pharmaca, aliáque permulta. Quædam autem vtilia, alia quidem hominibus, alia verò equis. Et nonnulla bobus tantùm, nonnulla canibus: quædam verò nullis horum, sed arboribus potius. Et eorum quæ arboribus, quædam ita se habent, vt sæpe radicibus prosint, germinibus obsint. Quemadmodum sterquiliniũ radicibus vtile, ramusculis suculísque est noxium admodum. a Oleum quoque arboribus omnibus herbísque maximè prodest: pilis autẽ animalium omniũ, humanis exceptis, nocet plurimũ. Nã & pilis hominu & toti corpori confert. Atque ita varia quædam & multiformis res bonum existit. Vnde & oleum externis nostri corporis partibus optimũ: interioribus pessimum. Quapropter medici omnes ægrotantibus olei vsum vetãt, nec vti permittũt, nisi quàm parcissimè ad obsoniorũ quorundã malè olentium offen-

a *Oleum quibus prosit, quibus item noceat.*

offensionē reiiciendam. Cùm hæc dixisset Protagoras præsentes frequenti applausu acclamantes illius dicta comprobauerunt.

a At ego, ô Protagora, inquā, sum equidē nimis obliuiosus, ac si quis orationem in longū protrahat, de quo verba fiunt, protinus obliuiscor. Sanè si surdaster sim, & mecū sermonem inires, existimares altius mihī quàm cætoris inclamandum, sic in præsentia cùm obliuiosum hominem alloquaris, concisioribus mecū responsionibus agas, si modò vis vt cōsequar. PRO. Quā exigis breuitatem? num breuiorib. quàm oporteat verbis agi tecū iubes? SOC. Minimè omnium. PRO. An fortè quoq; opus est verbis? SO. Tot vtique. PRO. Nūquid ego meo arbitratu orationi modum imponā? an tu potius debitum tei minum statues? SOC. Audiui equidem posse te copiosè, quoties lubitum est, loqui vt nunquam tibi desit oratio, necnon res easdem paucioribus quàm quisquam mortalium verbis perstringere: & eam ipsam vim cæteros, vt audio, docere potes. Si ergo mecū disputaturus es, breui illa & concisa ratione dicendi vtere quæso. PRO. O Socrates, multis cum hominibus olim dicendo certaui. Quòd si quod tu mones egissem, si, inquam, ad normam mihi ab auditore præscriptam verba fecissem, nihilo quoquam melior essem, nec Protagoræ nomen tota Græcia resonaret. Ego autem quum cognouissem superiorem respondendi modum Protagoræ minimè placuisse, eúmq; sponte quidē deinceps ita minimè responsurum, haudquaquam expedire mihi censui, vt illis disputationibus interessem, atq; idcirco, ô Protagora, inquā, nō postulo vt contrà, quàm tibi commodum

a *Digressio quæ ostendit quomodo de forma disputationis instituta, et deinceps persequenda conuenerit inter Socratem et Protagorā.*

sit, vnà disputemus, sed si ita disserere vis, vt ego assequi possim, astabo equidē: nam tu quidē, vt de te fertur, & ipse profiteris, æquè eadem potes & summatim perstringere, & amplissimè edissere: es enim sapiens: ego autem ad prolixam orationem ineptus sum: atque vtinam eius compos essem, verùm tua intererat nobis aliquātulum indulgere, quandoquidem æquè es ad vtrunque paratus, vt disputatio peragatur: postquàm verò non vis, & me vsque adeò negotia vrgent, vt nequeam tecum hîc diu commorari, quamuis ilta libenter audissem, abeo iam quò res ipsa me vocat. His dictis, surrexi protinus abiturus. Sed cùm surgerem Callias dextera quidē me prehendens, sinistra hoc pallium, dixit, Haud te dimittemus Socrates: nam si exieris nunc, vix erit deinceps vt ita colloquamur. Mane obsecro, nullius me oratio perinde vt tua illa cum Protagora oblectabit. Quare & mihi & omnibus his gratificare. At ego iam surrexeram exiturus, & ad Calliā inquam; O Hipponici fili tuā semper philosophiam admiratus sum, nūc laudo insuper atque amo. Quocirca gratificari tibi vehementer optarim, si possibilia poscas. Quod verò nūc petis, perinde est ac si orares, vt a Crisonē Imæræum cursorem inuenémque æquis passibus sequerer, vel aliquem eorū qui longissimū interuallū excurrere solent, aut diurnum cursum peragere: obiicerē .n. multò magis meipsum optare, quàm te, vt hosce cursores cursu æquare queam, sed nequeo. [Quòd si me Crisonem spectare velles simul currentes in eodem stadio is tibi rogādus esset vt se ad meas vires accōmodaret.] Nam ego quidem celeriter currere nequeo, hîc

a *Crisō Imæreus cursor.*

hic autem tardè potest. Ergo si optas audire me & Protagoram disputantes, eum obsecra, vt quemadmodum à principio fecit, ita nunc paucis verbis & ad propositam quæstionem respondeat. Alioquin quis erit disputandi modus? Putabam sanè aliud esse inuicem differendo colloqui, aliud concionari. Sed vide, ô Socrates, inquit Callias, æqua petere Protagoras videtur, dum censet licere sibi suo arbitratu differre, tibi item tuo. Hic Alcibiades, haud rectè loqueris, inquit, ô Callia: Socrates enim hic copiosè dicendi impotentem se esse fatetur, & in hoc Protagoræ cedit. Si autem & in a disputando, accipiendisque & reddendis rationibus cedat alicui, summopere mirabor. Si ergo Protagoras confitetur Socrate se esse disputando inferiorem, sat iam Socrates habet: sinautem hoc quoque sibi vendicat, disputet, tum interrogando, tum respondendo: nec in singulis responsionibus sermonem in longum producat, orationem excutiens, & rationem reddere nolens, sed adeò verbosus, vt magna pars auditorum obliuiscatur qua de re quæstio proposita fuerit. Equidem pro Socrate fideiubeo, eum quę dicentur obliuioni minimè mandaturum, licet iocetur nobiscum, obliuiosum esse se dicens. Mihi igitur videtur Socrates æquiora admodum postulare. Decet enim vnumquenque sententiam suam exprimere. Post Alcibiadem verò arbitror Critiam fuisse qui diceret, O Prodice atque Hippia, Callias quidem Protagoræ vehementer suffragari videtur, Alcibiades autem contentiosus nimis est & pertinax, quocunq; se verterit. Nos autem alteri magis quàm alteri fa-

a *Disputare Plat. est accipere & reddere rationes.*

uere non decet, vel Socrati, vel Protagoræ, sed communiter vtrunque, rogare, ne postquam cœperint, media in disputatione desistant. Cùm hæc ille dixisset, Probè, Prodicus, inquit, loqueris ô Critia: decet enim eos qui disputationibus his intersunt, cómunes quidem esse vtrorúmque auditores, æquales autem minimè. Neque verò idem hoc est & illud: communiter quippe audire vtrunque decet, non autem æquè tribuere, Sapientiori quidem plus, imperitiori verò minus. Equidem ô Protagora atque Socrates, arbitror vos inuicem nonnihil debere concedere, & de his quæ dicentur, ambigere quidè simul, contendere verò nequaquã. Ambigunt porrò propter beneuolentiã cum amicis amici, contendũt autẽ aduersarij & hostes. Atque ita quàm optimè disputatio nostra procederet. Vos siquidem ita disputantes, maximè à nobis audientibus * probaremini, non laudaremini inquam. Probant vtique auditores mentis iudicio absque deceptione: laudant verbis, plerunque falsò præter sententiã aliquid extollentes, nos item auditores ita * maximè gaudio, non voluptate afficeremur. Gaudio afficitur ille, qui discendo & contemplando ipsa intelligentia delectatur: voluptate perfunditur, qui dum comedit, vel alio quodam oblectamento potitur, ipso sensu corporis delectatur. Cùm hæc dixisset Prodicus, præsentium plurimi consenserunt. Deinde Hippias ille sapiẽs sic exorsus est. Arbitror ô viri præsentes, vos omnes cognatos, propinquósq; & cõciues inuicem esse natura, non lege. a Simile nãq; similia natura cognatũ. b Lex autẽ cũ sit tyrannus hominũ, multa præter naturã cogit.

* Differ. inter εὐδοκιμεῖν & ἐπαινεῖσθαι.

* Differ. inter εὐφραίνεσθαι & ἥδεσθαι.

a *Simile similia natura cognatum.*

b *Lex cùm sit Tyrannus multa præter naturam cogit.*

Turpe

Turpe itaque esset, si nos qui rerum naturam callemus, sapientissimique Græcorũ omnium sumus, postquam de hoc ipso disputaturi hãc in vrbem conuenimus totius Græcæ sapientiæ arcem, hisque in ædibus vrbis totius amplissimis sumptuosissimisque cõgregati sumus, nihil tanta hac amplitudine dignum ostenderemus, sed viliũ homunculorũ more altercantes, inuicẽ dissentiremus. Vos equidẽ, ô Socrates & Protagora, hortor, & obtestor, vt (inter vos conueniat nobis tanquam arbitris vos ad medium perducentibus.] Neque tu exactam dialogi formam, ô Socrates, & illã tuam breuẽ nimis breuiloquentiam requires, siquidem est Protagoræ molestum: sed laxa paulisper obsecro frænã, quo sermones magnificentiores splendidioresque sint. Et te insuper Protagora quæso, ne tentis omnibus rudentibus, velisque plenis in altum sermonum mare protinus delabare, vnde nusquam tellus conspiciatur, sed annitamini vt mediocritatem pro viribus vterq; seruetis. Igitur faciatis quod volo, obtemperetisq;, vt caduceator ore præfectúmque certamini & iudicem eligatis quendam, qui verbis vtriusque statuat modum. Placuerunt hæc præsentibus, omnésque laudarunt. Me verò hoc idem hortatus est Callias, rogarúntque eligere arbitrũ. At ego non decet inquã, iudicem huic disputationi præficere. Nam si nobis imperitior erit iudex, iniustum erit vt deterior aliquis potiorib. præsit. Si similis, rursus haud recte agetur. Similis. n. nobis similia faciet. Quapropter supervacuus erit. Præstantiorẽ verò nobis quenquam eligere impossibile reuera est, vt arbitror, quippe cũ Protagora hoc sapientior alius eligi nequeat, quòd si quẽ

elegeritis nihilo doctiorē, asseretis tamen decori Protagoræ hoc erit, quòd ei tanquam inscio & ignobili iudicem delegistis. Mea verò nihil interest. Cæterum vt quemadmodum vultis disputare pergamus, ita mihi videtur agendum. Si non vult respondere Protagoras, interroget saltem, ego autē respondebo, eique conabor ostendere quo pacto respōdere quis alteri. meo quidē iudicio, debeat. Ac vbi ego ad quālibet eius interrogationē ei respondebo, ille mihi vicissim officium idem promittat. Et si fortè parum alacris esse ad respōdendum videatur, ego simul & vos hominē oremus, quemadmodū vos me nūc oratis, ne cœptum dissoluat. Neque verò opus est vt vnum iudicem proponatis. Vos enim vna omnes iudicabitis. Consenserunt omnes sic esse agendū. Protagoras autē inuitus ad hæc descendere videbatur. Tandē concedere coactus est interrogaturum se, & postquàm satis interrogauerit, breuiter responsurum, itaque in hunc modum interrogare cœpit.

a Instauratur disputatio inter Socratem & Protagorā.

aArbitror ô Socrates, præcipuā doctrinę partē in hoc cōsistere, vt carmina quis quāplurima habeat in prōptu. Est autē hoc, vt poetarū dicta intelligere possit, quæ rectè sc. habeant, quæ minùs: sciátq; discernere, & cū interrogetur, rationē dare. Et nūc quidē quæstio erit de eo ipso quod vtriq; iā inuestigamus, virtute sc. Sed hoc intercerit, quòd ad carmina disputatio est translata. bDicit enim, Simonides ad Scopā Creontis Thessalici filiū, *difficile est virum verè bonum fieri manibus pedibúsque & mente ad amussim quadratis, sine vituperio compositum atque constitutum.* Tenēsne memoria carmina, aut vis vt vniuersa exponam? o c. Nihil opus est.

b Simonides contradictio nis arguitur à Protag.

est. Teneo nanque, & diligens mihi horũ carminum cura fuit. PRO. Bene loqueris, vtrum benè rectéque dixisse tibi videtur Simonides, an non? SOC. Imò optimè. PRO. Videturne rectè loqui Poeta, si ipse sibimet contradixerit? SOC. Minimè. PR. Attende itaque diligentius. SOC. Satis ô bone vir, attendimus. PRO. In eisdem carminibus postea dicit, Pittaci sapientis licet viri sententiam absonam sibi videri, qua inquit, *Difficile est virum bonum esse*. Cernis eundem Simonidem hæc & superiora dixisse? SOC. Equidem. PRO. Nunquid eadem hæc & illa sunt? Eadem, inquam, vt mihi videtur. Et simul metuens ne quid vltrà adiiceret, interrogaui, an non ipsi quoque videretur? Rogas, inquit, vtrum constare sibimet illum putem, qui hæc vtraque dixit? & primò quidem proposuit bonũ virum fieri verè difficile esse, paulò autẽ pòst tanquã suiipsius oblitus, Pittacum eadẽ cum illo dicentẽ, difficile scilicet esse virũ bonum esse, carpit, eius dicta respuẽs, qui eadem dixerat? Enimuerò cùm opinionis eiusdem ac suæ autorẽ Pittacum accusat, seipsum damnat. Quapropter aut prius aut posterius non rectè dicit. His dictis acclamarunt auditores plurimi, & Protagoram collaudarunt. Ego autem primùm tanquam à pugili robusto percussus, occlis vertigine caligantibus vacillaui. Nam & eius vox, & aliorum clamor me prorsus obtuerant. Deinde verò, vt apud te verùm ingenuè fatear, quo spatium ad Poetæ mentem inuestigandam captarem, ad Prodicum conuersus inquam. Cóciuis tuus, ô Prodice, Simonides extitit. Ergo tua interest illi opem ferre. Videor equidem sic adnocare te, quemadmodum apud Homerum

Scamãder ab Achille obtestus Simoentem aduocauit: *O dulcis frater, viri huius vna ambo vim cõprimamus.* Haud secus ego te nunc accerso, ne Protagoras Simonidẽ nostrũ expugnet. Equidẽ vt Simonidi succurratur, illa concinnitate tua opus est,[a] qua Velle distinguis & Cupere, & quę multa atque præclara paulò antè dicebas. Et nunc quidem vide num tibi idem quod mihi videatur, neque enim repugnare sibi in dicendo Simonidem puto. Sed tuam, ô Prodice, sententiam prior exponeidẽmne tibi fieri & esse videtur, an aliud? Aliud per Iouem, inquit Prodicus.[b] Nónne in primis, inquam, Simonides suam sententiam exponit, quòd virum vere fieri bonum difficile sit? Vera narras, inquit Prodicus. Pittacum autem improbat, non vt Protagoras censet, idem sed diuersum dicentem. Non enim dixit Pittacus difficile esse virum fieri bonum, vt Simonides, sed esse. Est autem non idem, ô Protagora, ficut existimat Prodicus iste, esse & fieri, si autem non idem est esse quod & fieri, haudquaquam sibiipsi Simonides contraria ponit. Ac dicere fortassis Prodico huic & multis aliis illud Hesiodi licet, effici bonum difficile quidem esse, *qui ante virtutem fudorem à dijs positum* inquit. *Verum vbi ad sumnum verticem peruentum sit, facilem esse, quæ comparatu difficilia fuit.* Prodicus igitur cùm hæc audiffet, me laudauit. Protagoras autem, ista, ô Socrates, emendatio, inquit, plus habet vitij quàm quod emendas. Malè igitur, inquam ego, ô Protagora, mecum actum est, vt videtur, fúmque ridiculus medicus: quippe qui dum curare contendo, morbum exaugeo. PROT. Atqui sic tamen res habet. SOC. Qua ratione? PROT. Nimis enim inscius Poeta ille

[a] *Prodicus sophista accuratè distinguere solitus erat diuersas vocũ significationes.*

[b] *Simonides defenditur à Socrate aduersus Protag. distinctione adhibita inter esse & fieri.*

fuisset, si adeo virtutem parui fecisset, vt facilè esse eius possessionem existimasset, cùm sit omnium difficillima, id quod omnibus videtur.

SOC. Opportunè per Iouem nostris iste Prodicus sermonibus interuenit. Videtur enim ô Protagora, [a] diuina illa Prodici sapientia vetusta esse quædam iamdudum vel originem trahens à Simonide, vel etiam antiquior: tu autè quum multarum rerum aliarum peritus sis, huius tamen imperitus appares, & non velut ego expertus, cùm sim Prodici huius discipulus. Atqui in præsentia haud satis animaduertere mihi videris, ipsum quod difficile dicitur, forsitan Simonidem non ita vsurpasse, quemadmodum abs te nunc vsurpatur, verùm tanquàm malum & graue quiddam intelligendũ esse crebrò me Prodicus admonet. Nam quoties vel alium, vel teipsum laudans ita dico: Protagoras sapiens vir est, & [b] δεινὸς id est, ve hemens grauisque corripit me continuò, rogátque num me pudeat, qui quod bonum est, graue vocem: cùm quod graue est, sit malum. Nemo enim ita dimittas graues, grauem pacẽ, sanitatem grauem dicit: sed grauem morbum, graue bellum, grauem paupertatem, quasi graue, id est, onerosum malum sit. Fortassis igitur & Chij & Simonides ipse, cùm difficile dicunt, vel maulm insinuant, vel aliud quiddam quod abs te minus intelligatur. Ergo à Prodico sciscitemur. Decet enim de Simonidis scriptis hũc maximè percontari. Quidnam, ô Prodice, Simonides ipso difficilis nomine intelligi voluit? PRO. Malum profectò. SOCR. Ob hoc, vt arbitror, Prodice, Pittacum reprehendit, dicentem, difficile esse bonum esse: ac si dixisset, malum esse bonum esse. PROT. Et quid aliud

[a] *Prodici sapientia in distinguendis vocabulorũ significationibus cõmẽdatur.*

[b] δεινὸς & πολλαπλᾶ *multiplicis sunt significationis.*

putas, ô Socrates, sibi voluisse Simonidem, quã repræhendere Pittacum, quòd nomina rectè discernere nesciret, vtpote qui Lesbius erat, & inter Barbaros educatus. SOC. Audis, ô Protagora, quæ Prodicus hic dicit? Quid ad hæc? PR. Permultum abest vt ita sit, Prodice. Certè equidem scio Simonidem difficilis nomine, id quod & alij solent, voluisse, non malum, sed quod non facile, quódque multis cum laboribus comparetur significare. SOCR. Ego item hoc voluisse Simonidem arbitror, ô Protagora, idémque Prodicum intelligere, sed ludere, tentaréque te vtrum sermoni tuo valeas suffragari. Quod enim Simonides difficile, non malum intelligi velit, argumento sunt quæ sequuntur, subiungit enim quòd solus Deus hoc munere frui dignus sit. Neq; verò si vellet malum esse bonum esse, paulò pòst adiungeret, solum Deum huius compotem esse, Deóque soli munus id attribueret. Dissolutum planè hominem, nec vllo modo Chium Prodicus diceret fuisse Simonidem. Cæterùm quid tandem sensisse in his carminibus Simonidem ducam, dicam, siquidem de me periculum facere vis, quemadmodum circa poetica habeam. Sin autem lubeat, te audiam. Protagoras cùm hæc audisset, vt lubet, inquit, ô Socrates, verùm Prodicus & Hippias, aliíque omnes agere iusserunt. [a] Conabor inquam, quid de his carminibus sentiam, vobis exponere. Antiquissima apud Græcos, & plurima philosophia in Creta & Lacedæmone extat, & sophistæ plures ibi quàm alibi vsquam reperiũtur: dissimulant autem & imperitos se esse fingunt, ne cæteros Græcos superare sapientia deprehendantur: prorsus quemadmodum Pro-

[a] *Suã de Simonidis dictione sentẽtiã explicat Socrat.*

Protagoras de sophistis suprà dicebat, sed vt videantur re militari potius & fortitudine cæteros anteire, veriti ne si quod sunt pateſiat, cæteri omnes idem studium prosequantur. Ergo celant, decipiúntque eos, qui cæteris in vtribus mores Lacedæmoniorum imitantur. Sunt enim qui quòd autes præcidant, & quòd loris inuoluuntur, quòd exercitationibus gaudent, quòd breuibus vestibus vtuntur, similes Spartanis esse videri volunt: perinde ac si huiusce modi rebus Lacedæmonij cæteros Græcos superent. Lacedæmonij verò quoties cum sophistis suis liberius colloqui volunt, externos ægrè ferunt, & clanculũ congregati, exclusis peregrinis omnibus, cum sophistis philosophantur. Prohibent quinetiam & ipsi & Cretenses ne adolescentes gentis suæ vrbes alias adeant, ne quæ apud eos docentur, alibi fortè dediscant. Reperiuntur in his ciuitatibus non viri tantùm doctrina egregij, verumetiam mulieres. Quòd autem vera loquar, & Lacedæmonij optimè ad philosophiam, sermonésque sint educati, hinc maximè animaduertere licet. Si quis enim cum vilissimo etiam Lacedæmoniorũ colloquatur, rudem plerunque in verbis apparere primò comperiet. Mox vbicunque rei ipsius opportunitas exigit, instar vehementis * iaculatoris verbum breue contortúmque, sed magni cuiusdam momenti eiaculatur, vt qui cum eo loquitur, nihil à puero differre existimetur. [a]Quod autem Lacedæmoniorum virtus in sapientię magis quã exercitationis studio consistat, intelligunt nõnulli nostræ ætatis homines, & olim multi idem animaduerterunt, cùm viderent verba eiusmodi enuntiare posse, viri esse absolutè do-

* Vid. simile locut. in Theæt.

[a] *Lacedæmoniorum breuiloqua sapientia commendatur.*

cti. Horum è numero fuit Thales Milesius, & Mitylenæus Pittacus, Bias Prieneus, noster Solo, Cleobulus Lindius, Myso Chenæus, septimus horum dictus est Lacedæmonius Chilo, hi omnes æmuli studiosique Lacedæmoniæ sapientiæ fuerunt. Eam talem fuisse comperimus: verba breuia, memoratu vnicuique digna. Hi facto concilio ex communi consensu, has Delphici Apollinis templo primitias sapiétiæ dedicarunt, quæ templo inscriptæ, ab omnibus celebrantur: Cognosce te ipsum: Nihil nimis. Hæc ob eam causam refero, vt pateat eã priscæ philosophiæ fuisse figuram, [a] Laconicã scilicet quandam, vt ita dixerim, breuiloquentiam. Atqui & Pittaci proprium hoc dictum circunferebatur à sapientibus celebratum: Bonum esse, difficile esse. Simonides itaque cùm sapientiæ gloriam cuperet, cognouit si prouerbium hoc tanquam insignem quendam athletam refelleret, conuincerétque, fore vt ipse illustris ab omnibus haberetur. [Aduersus igitur hoc dictum stilum stringens Simonides, & ea de causa, quam modò diximus, insidias ei tendens, fecit, vt, totum hoc suum carmen in reprehensionem incurreret meo quidem iudicio.] Sed discutiamus hæc vnà omnes, & videamus vtrum vera loquar. Primùm quidem prima carminis pars insanum hominem indicaret si dicere volens, virum effici bonum, esse difficile, mox hanc particulam, *Quidem, iniecisset: ea enim nulla ratione videtur iniecta: nisi dicamus aduersus Pittaci verba certantẽ Simonidem loqui: & cùm ille dixisset, difficile esse bonum esse, Simonidem ad hæc obiicere, Non ita est, ô Pittace, imò bonum quidem virum effici difficile est, & *verè difficile, nõ verè,

[a] *Priscæ philosophiæ forma fuit, Laconica quædã breuiloquentia.*

* μὲν

*Ita vt Verè ad difficile, nõ ad Bonũ referatur.

rè bonum. Non enim idcirco dicit verè, quia sint aliqui verè boni, alij autem boni quidem, sed non verè. Absonum namque videretur, neque Simonide dignũ: sed in dictione, verè, superiectionẽ esse in carmine dicemus, quam Pittaci verbis subiecit, quasi ponamus Pittacũ ipsum sic dicere, O viri, difficile est bonum manere: Simonides autem subiiciat, O Pittace, vera minimè loqueris. Non enim esse, sed fieri virum bonum, manibus pedibúsque & mente ad amussim quadratum, est difficile verè, ita videtur non absque ratione hæc particula quidem iniecta: & ipsum, verè, haud ab re postremò locatum. Atqui & quæ sequuntur, omnia attestantur, quòd sit in hunc modum dictũ. Multa insuper sunt in his carminibus quę quã pulchrè scripta sint, sigillatim ostendere possemus. Scitè namque & accuratè cõposita sunt sed prolixior foret oratio. Quare summatim poetæ huius formã consiliũque exponemus. Intendit aũt prorsus in omnibus his versibus Pittaci dictũ refellere. Ait n. paulò pòst velut rationẽ redderet quòd effici virũ bonũ difficile verè: [possit tamen ad tẽpus aliquod, fieri quispiã vir bonus.] [a]Factũ verò bonũ eo in habitu perseuerare, essęque bonum, vt tu quidem Pittace cõtẽdis, impossibile est, neq; humanũ, sed solus hoc Deus munere fungitur, hominẽ verò malũ non fieri, impossibile est, quem sors inopina abripiat. Quemnam igitur immensa calamitas in nauis gubernatione submergit? non rudem hominem: nam semper ille prostratus est: & quemadmodum iacentem nullus deiicit: sed stantem quandoque deiicit aliquis, iaceréque cogit, iacentem verò nequaquam: ita solertem & sagacem hominem

[a] *In bonitate perseuerare solius Dei est.*

nonnunquam inopinatus casus circumuenit. Enimuerò eum qui nihil pĕsi vnquàm habet, [nec vlla industria est prædituſ] minimè. Et gubernatori quandoque ingens tempestatis impetus improuisus superuenit, & agricolæ intemperies anni, & medio quoque similia, adeò vt tunc consilij [& omnis industriæ inopes esse videantur.] Potest enim bonus aliquis malus fieri: quod alius quoque poeta testatur, dicens. Vir bonus, nunc prauus, nunc bonus est. Vt autem malus efficiatur malus, fieri non potest. Esse enim semper necesse est. Quamobrem quoties casus inopinatus prouidũ hominem sapientémque & bonum inuadit, malus efficitur. Tu verò dicis, ô Pittace, difficile esse bonum constanter esse. Res autem ita se habet, vt fieri bonum possibile sit, difficile tamen: perdurare autem bonum, penitus impossibile. Quilibet enim bene agens, bonus, malè contrà malus. Quænam circa literas bona res est? quæue actio virum in illis bonum efficit? Constat quòd earum perceptio. Quæ iterum actio bona bonum efficit medicum? Morborum curandorum peritia videlicet. Qui benè curat, bonus medicus: contrà, qui male, malus. Quis ergo malus medicus nonnunquam efficitur? Ille certè, cui primo hoc inest, vt medicus sit, deinde vt bonus medicus. Hic enim malus quandoque medicus effici potest. Nos autem medicinæ artis ignari, nunquam malè agendo aut medici, aut fabri efficeremur, aut aliud tale. [a] Quisquis autem non fit medicus, malè officio suo functus, neque etiam est malus medicus. Ita & bonus vir fieri potest aliquando malus, vel propter tempus, vel laborẽ, vel morbum, vel alium casum. Hæc quippe

[a] *Nemo potest malus in aliquare esse quin prius vẽ illã habuerit.*

bla praua actio est, scientia priuari. Malus autem vir nunquam malus fieret, est enim semper. Ac si malus fieri debet, oportet bonũ fuisse prius. Ad hoc itaque carmina illa tendunt, vt affirment, impossibile esse virum bonum semper perseuerare: fieri autem bonum eundemque rursus & malum, possibile: plerunque verò optimos esse illos quos diligunt dij. Hæc itaque omnia aduersus Pittacum sunt dicta, quod & sequentia clariùs declarant. *Hac de causa*, inquit, *nunquam ego quod fieri nequit, frustra quærens, sine reprehensione perpetuò victurum tempus, quicunque fructibus terræ vescuntur, quemquam sperem. deinde vobis*, inquit, *annuentum denuncabo*. Adeò vehementer totóque carmine Pittaci dictum infestat. *Vnumquenque verò laude eúmque sponte, qui turpe nihil patrat. Necessitate verò neque dij quidem ipsi pugnant.* Id autem est ad hoc idem dictum. Neque enim vsque adeò rerum inscius erat Simonides, vt illum laudare se diceret, qui turpe nihil sponte committit, quasi sint aliqui qui sponte malè agant. [a] Ar bitror equidem sapientem nullum putare, quenquam hominum esse qui vltrò abeat ret, malaque & turpia sponte committat. Sciunt etenim, quod qui mala turpiáque committũt, præter voluntatem peccant. Atqui & Simonides nequaquam laudare se dicit illum, qui nõ sponte scelera patrat, imo de seipso vocem illam sponte intelligi volebat, putabat enim præclarum bonúmque virum sæpe seipsum impulsurum, vt amicus laudatórque alicuius fieret, amarétque & laudaret, vt quibus morosi & iniqui sæpe parentes contingant, aut patria aut tale aliquid: improbi homines si sunt, vltrò spontéque in parentum patriæque erra-

[a] *Nullus homo malè agit sponte.*

ta inuehi solent, & ea passim omnibus diuulgare, ne quis eos quod parentes & patriam negligant, capere possit: quare vituperant parentes patriámque, & [sponte se inimicos gerunt eorum quibus cum necessitate naturæ coniuncti sunt.] Probi verò qui sunt viri, patria flagitia occultant potius, & ad laudandum eos sese cogunt: & si qua in re iniuria affecti iure parentibus & patriæ indignari possent, consolantur seipsos, & se suis conciliant, séque ad amorem laudémque maiorum vel inuitos adigunt. Sæpe etiam Simonidem ipsum arbitror, non ex animi sui sententia, sed inuitum ad tyrannum quendam, aut alium talem laudandum & tollendum accessisse. Hæc igitur etiam ad Pittacum dicit. *Ego quidem, ô Pittace, non ob id te redarguo quod natura detrahere gaudeam, cui satis facit & ille quisquis malus non est, nimiúmue ignauus. Sciens quidem iuuabit ciuitatem vir sanus iustitia. Neque tamen ipse detrahã: neque enim detractione gaudeo. Stultorum namque est infinita gens, vt si quis eos vituperare pergat, necessarios defatigetur. Honesta porro sunt omnia quibus turpia non sunt mista.* Haud hoc dicit perinde ac si diceret, omnia alba quibus nigra nulla miscentur, ridiculum nempe id sit, sed quasi dicat, mediocria se toleraturum, neque ea vituperaturum. *Non quæro*, inquit, *hominem irreprehensibilem. Quotquot lata telluris fructum decerpimus.* Deinde vobis quod mihi compertum est, nuncio, quod videlicet huius causa neminem laudaturus sum. Verum mihi sufficit quisquis medium tenet, neque turpe quid agit. Sic ego omnes diligo, sic laudo. Hic vtique Mitylenæorum lingua est vsus tanquam aduersus Pittacum, sic dicens, Omnes sic laudo,

do, sic diligo lubens. hîc oportet vocem lubens, à sequentibus distinguere, cum qui dicit, quisquis turpe nihil patrat. Nam sunt quos ego non lubens laudo & diligo. Quòd si tu mi Pittace, vel mediocriter consentanea, veráque dixisses, nunquam te reprehendissem. Nunc verò cùm & maximè & in maximis falsa protetas, quæ vera multis apparent, te reprehendere cogor. Hæc mihi, ô Prodice atque Protagora, in istis Simonidis carminibus ipsius sententia fuisse videtur. Tum Hippias, Bene, inquit, ô Socrates, carmina hæc exposuisse videtis. Est & mihi ratio illis accommodata, quam vobis, si vultis, ostendam. Imò verò, inquit Alcibiades, sed postea: prius autem peragere decet quæ inter Socratem & Protagoram conuenerunt. Etsi Protagoras interrogare vlterius vult, respondere Socrates debet. Sin autè respondere vult Protagoras, interrogare Socrates. Atqui concedo, inquam, Protagoræ vtrum horum ipsi gratius fuerit. quòd si placet, verbas prætermittamus, ea verò quæ abs te primò quærebam Protagora libenter tecum absoluã. Videtur enim mihi disputatio de rebus poeticis, per similis esse conuiuijs imperitorum plebeiorúmque hominum. Qui cùm propter inscitiam nequeant inuicem propria voce suisque sermonibus ipsi colloqui, mercede exhibita, tibicinas introducunt, & aliena voce, hoc est tibiarum flatu, conuiuium transigunt. Vbi autem boni præclarique & eruditi conuiuæ conueniunt, neque tibicinas ibi, neque saltatrices, neque cantatrices vllas videas, sed voce propria remotis iis nugis iocisque conuiuium celebrare, & alternis interrogationibus responsionibúsque modestè disserere, etiam si

vinum abundè bibant. Eodem modo ad disputationes huiuscemodi si viri conueniunt tales, quales esse se plerique nostrum prædicat, haudquaquam aliena voce poetarúmque verbis opus est, quos percontari de his quæ scribunt, non datur: & qui eorum testimonia in medium afferunt, alij hoc, alij aliud poetam dicunt sentire, neque tamen conuincere tem poſſunt, de qua disserunt, aut expedire. Tales ergo confabulationes viri sapientes mittunt, ipsique inter se colloquuntur, vicissimque ingenij periculum inter se faciunt. Disputatores autem huiusmodi, vt arbitror, ego & tu nunc imitari debemus, & poeris postpositis nostris rationibus rem ipsam discutere, faceréque tam ingenij nostri, quàm veritatis periculum. Quòd si deinde interrogare libet, respondere tibi paratus sum: sin aliter vis, te mihi præbe, vt iis quæ intermiſimus finem imponamus. Cum hæc aliáque huiusmodi diceret, Protagoras, quid potissimùm ageret, haud satis declarabat. Hìc Alcibiades ad Calliam conuersus, O Callia, inquit, videtúrne tibi núnc rectè Protagoras facere? quum declarare nolit, vtrum respondere velit, nécne? Mihi quidem non videtur. Sed iam vel disputet, vel disputare nolle se dicat, vt hæc de eo sciamus. Socrates autem cum alio quouis differat, vel alius quicunque vult, cum alio quopiam. Hìc Protagoras, vt visus est mihi, verecundia motus propter Alcibiadis orationem, Callicíque, & aliorum præsentium preces, vix tandem ad differendum descendit, iussitque Socratem ipsum interrogare, se respondere pollicitus.

O Protagora, inquam, ne me tecum ob aliud differere putes, quàm quia quę passim dubito,

bito, discussa velim. Arbitror enim haud ab te illud ab Homero dictum fuisse. Si duo simul coëat, alter altero rem magis intellexerit.

a Expeditiores nāque sumus cuncti ad quodlibet opus, verbum, & sensum inuestigandū. Solus autem si quis quippiā cogitet, mox passim circumiens quærit quicum communicet, & à quo confirmentur, tantisper dū inueniat. Quāobrem ipse nunc tecū libentius quàm cū alio quouis disputo, existimans te optimè omnium diiudicaturū, & de aliis omnibus, quę ad probi viri iudiciū spectāt, & de his maximè, quę ipse quærebam, videlicet de virtute. b nā quem melius, quàm te id facturum sperem? qui nō modò ipse te probum existimas, vt nonnulli alii probi quidem ipsi sunt, sed alios tales efficere nequeunt. Tu autem non modò virtute præditus es, verumetiam cæteros homines eadem te ornaturum polliceris. Atque adeò tuo ingenio confidis, vt quam cæteri omnes dissimulent artem, tu eam solus profiteare, tęque palam, per omnem Græciam, quasi publico quodam præconio sophistam prædicans, declares doctrinæ virtutisque magistrum, & primus mercędem artificii istius exposcas. [Quomodo igitur non oporteat, te præ cæteris ad harum rerum disquisitionē prouocare, interrogare, & tecum omnia communicare certè fieri nullo modo potest, quin cuipiam illa, quę prius ex te quæsiui de istis partim abs te mihi in mentem reduci, partim communi iudicio discuti?] c Erat autē talis, vt arbitror, quæstio, vtrum sapientia, temperantia, fortitudo, iustitia, sanctitas, quinque nomina eiusdē rei sint, an vnicuique horum nominum propria quædam essentia subsit, & res quædam vim

a *Singuli homines nō ita instructi sunt iudicio vt soli per se valeant ac rebus præsertim grauioribus iudicare.*

b *Sophistas potissimū de virtute qui ā ipsi profitentur respōdere conuenit.*

c *Recapitulatio breuis superioris disputationis intermissa.*

propriam habens, adeò vt non sit alterú quale est alterum? Dixisti tunc nequaquam vnius rei esse hæc nomina, sed singula nomina rebus singulis adhiberi. Quinetiam partes omnes has esse virtutis, haud sanè perinde, vt auri partes, inter se totiúsque consimiles, sed vt vultus partes inuicem totiúsque dissimiles propria discretas vi. & hęc si nunc denuò ita, vt suprà confirmas, dic. Sin aliter modò sentis, omnia lucidè distingue. Equidem nihil imputabo, si aliter nunc dicas. Neque enim miror, si illa tunc Socratis tentãdi gratia dixisti. PRO. Hæc omnia partes virtutis esse dico, ex quibus quatuor satis inuicem consimiles sunt. Fortitudo autem longè ab aliis differt. Quòd autem verè loquar, hunc in modum cognosces. Reperies nonnullos homines iniustissimos, prophanissimos, intemperantissimos, imperitissimos, qui tamen cæteris fortitudine præstant. SO. Attende, amabò, considerandũ est quod dicis. Vtrum fortes, audentes vocas, an alios quosdam? PR. Imò etiam ad ea * præcipites, à quibus plurimum quiddam & pulchrum asseris, eámque vt pulchrum aliquid doces? PRO. Pulcherrimum equidẽ, nisi fortè insanio. SOC. Vtrum huius quiddã turpe est, quiddã pulchrum? an pulchrum totum? PRO. Totum quàm maximè esse potest pulchrum. SOCRA. Scisne qui audacter in puteos se mergant? PR. Imò verò. Vrinatores enim. SO. Vtrum ob id quod sciunt, an ob aliud? PRO. Quod sciunt. SOC. Quínã hominum ex equis fortissimè pugnare audent? equitésne, an equestris industriæ rudes? PR. Equites. SOC. Quínã peltis audacter pugnant?

* Ἰτέας.

pugnant? Peltatíne, an alii? PROT. Isti quidē, & in cæteris omnibus si istud quæris, audaciores sunt, qui sciunt quàm qui nescíunt: iidémque homines postquàm didicerunt, audent vehementius, quàm cũ ignorabant. SO. Vidistíne vnquã aliquos horum ignaros omnitiũ, sed eos esse ad hæc omnia tamen audentes? PRO. Vidi equidem & audaces maximè. SO. Nunquid audaces isti fortes sunt? PRO. Turpe quiddã esset fortitudo quandoquidem audaces isti furiosi sunt. SO. An nõ dicis fortes audaces ipsos esse? PR. Dixi equidē, & dico. SOC. Nónne isti qui sic audent, fortes quidem minimè, sed furentes apparent? Et suprà rursus sapientíssimi illi audentíssimi nobis apparuerunt, & quia audentíssimi, ideo & fortíssimi, atque ita secundũ hanc rationẽ sapientia ipsa fortitudo esset? PR. Haud satis recordaris, ô Socrates, quæ dixi suptà, tibíque respondi. a Equidē interrogatus abs te, vtrum fortes viri audentes sint, nécne, consensi. Vtrũ verò & audentes fortes essent, non quæsiuisti. Quòd si tunc interrogasses, respondissem, vtique nõ omnes: quòd verò fortes audẽtes nõ sint, [quod à me cõcessum est, nusquã ostendisti à me nõ benè esse concessum.] Postea scientes homines, ostendis ignorantibus, & seipsis, & cæteris audaciores esse, & idcirco idẽ esse sapientiã, & fortitudinẽ arbitraris. Qua ratione progressus tobur & sapiẽtiã idẽ esse dixeris. Nã si à me similiter in hunc modũ quæsisses, vtrũ robusti homines potentes sint, assẽruissem vtiq;. Deinde vtrũ palæstræ periti ad certandũ potentiores sint, quàm imperiti, & ipsi postquam didicerunt se ipsis dum ignorabant, iterum admisissem. Hæc me contente licuisset tibi eodem

a *Aliud est fortes audẽtes esse, aliud audẽtes omnes fortes esse.*

pacto coniicere per conceſſionem meam ſapié-
tiam robur eſſe. [a] Ego autem nuſquam in præ-
ſentia potentes homines robuſtos eſſe conſpi-
cor. Robuſtos tamen potentes eſſe autumo.
Et idem eſſe robur, & potentiam arbitror. Nã
& à ſcientia, & ab infania, & ab ira poteſt po-
tentia prouenire: robur autem à natura dun-
taxat, & debita corporũ nutritione venit. Si-
militer & in illis nequaquã idem eſſe cenſen-
dum, fortitudinem & audaciam. Quapro-
pter contingit, fortes quidem audentes eſſe,
at verò non omnes audentes fortes ſunt. Au-
dacia enim ab arte hominibus, ab ira, ab inſa-
nia datur, quemadmodum de potentia dixi-
mus: fortitudo autem à natura, debitáque e-
ducatione prouenit animotum. SO. Diciſne
ô Protagora, alios homines bene, male alios
viuere? PR. Dico equidem. SOC. Nunquid
bene viuere homo tibi videtur, ſi cum mole-
ſtia doloréque viuat? PROT. Minimè. SOC.
Sin autem vſque ad vitæ finem iucundè quis
vixerit, bene vixiſſe dicendus? PR. Certè. SO.
Ergo iucundè viuere bonum, moleſtè malum.
PR. Si modò honeſtis delectetur. SO. Nun-
quid ipſe Protagora, quemadmodum alii mul-
ti, iucunda quædam mala vocas, triſtia verò
bona? PR. Voco. SOCR. Vtrum quatenus iu-
cunda ſunt, eatenus non ſunt bona, & non
ſi quid ab illis prouenit aliud: rurſúſque
triſtia eodem modo? PRO. Sic. SOC. Non
ex eo quòd triſtia, mala? PRO. Ignoro So-
crates, vtrum ita ſimplicitèr, vt interrogas,
reſpondere me deceat, iucunda omnia bona eſ-
ſe, triſtia mala. Sed tutius mihi fore videtur nõ
ſolũ ad præſentem quæſtionem, verumetiam
ad omnem vitæ meæ rationem, vt reſpondeã
eſſe

[a] *Non admittit Protagor. fortitudinem ſcientiam eſſe, etſi potentia quædam ſit ab arte & ſcientia, ſed eum varia ſint ſpecies potentiæ, dicit fortitudinẽ eam eſſe ſpeciem potentiæ, quæ à natura debitáque educatione animorum prouenit.*

esse [a] iucunda quædam non bona, & tristia quædam non mala: esse rursus & neutra quæ neque bona sint, neque mala. SO. Num iucunda vocas ea, quæ vel voluptatis participia sunt, vel efficiunt voluptatem? PR. Prorsus. SO. Quæro igitur hoc, vtrum ex eo quòd iucunda sunt, non bona sint. Vtrum videlicet ipsa voluptas sit non bonum. PRO. Quemadmodum ipse vbique dicis, ô Socrates, hoc inquam, considerémus: & si ad rem conducere ea consideratio videatur, idémque iucundum, & bonum appareat, concedamus: sin minus, tum ad disceptandum pergamus. SO. Vtrum igitur ipse disputationis dux esse vis, an me præire iubes? PR. Æquum est te esse ducem. Tu nanque cœpisti. SOC. Hoc modò forsitan quod quærimus, patefiet: quemadmodum si quis ad hominis vel sanitatem, vel aliũ corporis habitũ, opúsve consideranda, vultus eius, & manus extremas contemplatus dicat, age iam, pectus mihi dorsúmque nuda, vt clarius inspiciã. Sic ego nunc quidem, idem illud ad hanc disputationẽ requiro. Nam cùm tuã erga bonum voluptatémque sententiã è verbis tuis cognorim, tale aliquid mihi expedit dicere. Age Protagora & in hoc tuã mentem aperias, quid de scientia sentis? nunquid idem tibi quod aliis, an aliud placet? Nã de [b] scientia plurimi sanè sic iudicant, vt neque robustum quiddã sit, nec ducat, nec etiam dominetur. Neque enim de ipsa velut de duce principéve suspicantur. Sed cùm persæpe non desit homini scientia, non ipsam tamen, sed aliud quiddã vt vel iram, vel voluptatem, vel dolorem vel amorẽ, vel formidinem dominari putant. Atque de scientia sic cogi-

[b] *Iucunda quædam nẽ bona & tristia quædã non mala.*

[b] *An penes scientiã sit imperium & principatus verũ agendarum, vt quod bonũ vel malũ est sẽ homo cognoscit, hoc fugiat, illud necessariò amplectatur an secus victus voluptate, dolore aut aliqua perturbatione ne animi cõtra scientiã interdũ eligat quæ mala esse nouit.*

tant, quasi de mancipio quodam ab omnibus aliis vndique tracto. Nunquid & tu idem sentis? an potius præclarum quiddã scientiam, & in homine principẽ arbitraris, ita vt si quis bona maláve discernat, nunquã ab alia re induci queat, vt aliud quàm quod scientia iusserit, suscipiat ad agendum: sed prudentiã vsto? PROT. Videtur mihi quod dicis, ô Socrates. Nam si cuiquã hominum turpe est negare sapientiam scientiámque omnium rerũ humanarum esse potentissimum, mihi certè turpissimũ. SOCR. Præclarè nimium veréque loqueris. Sed enim nosti multos mihi, & tibi non credere? Aiunt nanque plerósque bonum cognoscentes, cùm bona agere liceat, agere bona nolle, sed alia. Et quoscunque rogaui quænã huius rei causa sit, respondent, vel voluptate, vel dolore, vel aliquo alio eorũ, quæ suprà rẽtulimus, superatos, hæc agere. PROT. Alia quoque multa sunt, ô Socrates, in quibus homines errant. SOCR. Age itaque conare mecũ hominibus persuadere, docereque quídnã hoc malũ sit, quo se aiunt voluptatibus superari, & hanc ob causam, quæ cognoscunt bona, non facere. Fortassis enim si dixerimus, erratis, ô homines, falliminíque, rogabunt. Si quidẽ non, ô Protagora, & Socrates, hoc voluptatis malum est, cui succumbitur, quódnã est aliud? quod dicitis vos? exponite. PRO. Quid verò nos ad multorũ opinionẽ attendere decet, qui vtcunque contingit, loquuntur? SO. Conducturum nobis hoc arbitror ad inueniendũ, quomodo ad cæteras virtutis partes fortitudo se habeat. quare si superiori pacto standũ censes, vt videlicet

licet ego
quod qua
hoc, & d
queris: p
rursus à r
esse dicit
cebamus
igitur, eg
conabim
hic fieri
homines
voluptat
etiã si m
li. At n
illa cur
sentẽ pr
in poste
neris hu
hil tale
mus fac
vt gaud
Putamũ
nempe,
ptatem
quæ sec
surũ. s
res infe
tur, vt
ô viri
bitram
lores
Cõsite
rursus
na fat
exerci
cosun

licet ego præeam, quà maximè inueniri posse quod quærimus arbitror, sequere. Sin minus hoc, & dimitti mâuis, mitto. PR. Probè loqueris: perge igitur, vt cœpisti. SO. Ego, si rursus à nobis sciscitarentur, quid istud vos esse dicitis, quòd nos vinci à voluptatibus dicebamus? sic equidem illis respondeã Audite igitur, ego & Protagoras vobis illud declarare conabimur. Nunquid enim, ô homines, aliud hic fieri dicetis, quàm quod sæpe contingit, vt homines ciborũ poculorúmque, & venerecorũ voluptate pellecti victíque ascíscant ea sibi, etiã si mala esse cognoscant? Assentirentur illi. At nos ita illos interrogaremus. Mala verò ista cur dicitis? Vtrũ quia voluptatẽ hanc præsentẽ præbent, & suauitate deliniunt? An quia in posterũ morbos, inopiã, & alia multa generis huius adducunt? An etiam quanquã nihil tale in posterũ inferũt, sed solũ vt gaudeamus faciunt: tamẽ mala fuerint, eò quòd solũ vt gaudeamus faciunt etiã quomodocunque? Putamúsne eos, ô Protagora, aliter respõsuros, nempe, quàm quòd nõ propter præsentẽ voluptatem mala sunt, sed propter morbos, & alia quæ sequũtur? PR. Sic vulgus arbitror respõsurũ. SO. Nónne dũ morbos adducunt, dolores inferunt? dũ egestatẽ, dolorẽ? Assentirentur, vt arbitror. PR. Imò certè. SO. Hæc ergo, ô viri, non ob aliud, vt ego, & Protagoras arbitramur, mala vobis apparẽt quã quòd in dolores desinunt. cæteríq; voluptatibus priuãt: Cõtenterentur. PR. Proculdubio. SO. Si contrà rursus interrogarem, ô viri qui tristia esse bona fatemini, nónne eiusmodi quæ dã dicitis, ceu exercitationes corporũ, labores militiæ, medicorum curationes, quæ vel secando fiunt, vẽ

vtendo, vel pharmacis, vel inedia? quòd hæc bona quidem sunt, sed molesta? Consentirent. PROT. Et hoc. SOC. Vtrum hæc ex eo bona vocatis, quòd præsentibus doloribus cruciatibúsque conficiunt? An non id potius, quòd in posterũ ex his sanitas, & bona corporis habitudo, patriæ salus, potentiæ diuinæque fequuntur? Ob id ipsum dicerent, vt existimo. PROT. Ego quoque id iudico. SOC. An ob aliud hæc bona sunt, quàm quòd in voluptates desinunt, & molestias pellunt? Aliúmne finem assignare potestis ad quem respicientes hæc bona vocetis, quàm voluptates atque dolores? Non possumus, vt arbitror, respondeRent. PRO. Sic equidem puto. SOC. An non voluptatem, vt bonum sequimini, dolorem, vt malum fugitis? Concederet. PRO. Profectò. SOC. Ergo id malum existimatis, dolorem, licet, bonũ voluptatẽ, quãdoquidem & ipsam oblectationẽ, tunc sanè malã dicitis, esse quãdo maioribus voluptatibus priuat, quàm afFert illis, quas præbet voluptatibus. Quoniã si ob aliud ipsam delectationem malã appellaretis, vtputa finem alium respicientes, possetis nobis quoque monstrare. Sed nequaquam poteritis. PRO. Neque mihi posse videntur. SOC. Similiter quoque dolorem ipsum, tunc duntaxat bonum dicitis, quum maiores fugat dolores, quàm infert, aut voluptates molestiis vehementiores inducit. quandoquidẽ si ad alium finem respicientes, dolorem bonũ iudicaretis, eum possetis nobis ostendere, sed non potestis. PRO. Vera narras, ô Socrates. SOC. Si me quoque vicissim rogetis, ô viri, quãobrem vbique multa de hoc loquar, igno-

scite

scite mihi, protinus responderem. Primò nanque haud facilè demonstrari hoc potest, quid sit quod dicitis, à voluptate superari. Deinde quia demonstrationes in hoc omnes sunt. Et nunc etiam vobis in medium afferre licet, si quo modo habetis aliud quod bonum dicatis, quàm voluptatem, & quod malum, quàm dolorem. An sufficit vobis vitam iucundè absque tristitia ducere? Quòd si sufficit, neque dicere potestis aliud bonum, vel malũ, quod non ad hæc tendat, audite quod sequitur. Aio quidem his ita se habentibus, ridiculum esse vetrum illum sermonem, quo dicitis, quòd homo mala, mala esse sciens, nihilominus agat mala cùm possit non agere, voluptatibus scilicet tractus, victúsque. Itẽ cùm dicitis hominem bonũ cognoscentẽ agere bene nolle præsenti voluptate deuictum. Ridicula inquam hæc esse patebit, nisi multis vti nominib. volumus, iucundo, tristi, bono ac malo. Posquam enim duo hæc in vniuersum esse constat, duobus tantùm nominibus vocemus. Primũ quidẽ boni ac mali, postea iucundi ac tristis. His positis ita dicamus, Est homo qui mala esse mala nouit, illáque facit nihilominus. Si quis autem quærat quãobrem? quia victus est, respondemus. A quo? inquiet ille: nobis autem non licebit vlterius à voluptate victũ dicere. Aliud enim nomen voluptatis loco suscepit, bonũ. Illi ergo respondeamus, ac dicamus, quia victus. A quo? inquiet. Per louem bono, respondebimus. Ibi si ille, qui nos interrogat contumelios⁹ fortè vir sit, ridebit certè, dicétque absurdũ esse dictũ. Si facit enim quis mala, esse mala sciens, cùm nõ oporteat facere victus bonis, bona hæc dignáne sunt, vt mala vincant,

an indigna? Indigna dicemus: neque enim peccasset ille, quem dicimus voluptatibus superatum. Ad hæc ille. Quamobrem bona ea indigna sunt, vt mala vicant, vel mala, vt bona? nunquid ob aliud, quàm quia hæc maiora sunt, illa minora? vel plura hæc, illa pauciora? Non habebimus certè causam aliâ. Addet ille. Constat igitur, quòd superari est loco minorũ bonorũ maiora mala suscipere. Hæc ita se habeant. Mutemus nomina, accipiamúsque in eadem re iucundum ac triste, hoc pacto. Homines agere prius diximus mala, dicamus nunc tristia, cùm sciat esse tristia voluptatibus superatum, talibus scilicet, vt victoria sint indignæ. Quæ verò alia inest ad dolorem indignitas voluptati, quàm excessus inter se atq; defectus? hoc est, cùm inter se maiores minoréſve fiunt, plures item, & pauciores, vehementioréſque, & remissiores. Si quis autem dixerit. a At multum differt, ô Socrates, voluptas præsens à futura voluptate atque molestia: cam equidem, num alio quopiam, quàm voluptate atque molestia? haud enim alio potest. Sed perinde est ac si vir quispiam ponderandi gnarus collectis hinc voluptariis, isthinc tristibus, tam quæ propè, quàm quæ procul sunt trutina exquirat, dicátque vtra plura sint. Si enim voluptaria cum voluptariis libres, maiora semper, & plura sunt eligenda: sinautem tristibus tristia compares, pauciora, minoráque sin iucunda cum tristibus, & tristia quidem à voluptariis superentur, siue propinqua à remotis, siue remota à propinquis, ratio illa est eligenda in qua hæc insunt: quòd si iucunda à tristibus superantur, minimè, an aliter se res habet, ô viri? scio equidem nihil afferre eos aliud

a *Quod præsens vel futura sit voluptas, nihil id momenti debet habere in electione voluptatis: sed hoc dũtaxat cõsiderandum est dura comparantur inter se duæ voluptates vtra maior & vberior*

aliud posse. PROT. Idem & ipse arbitror. SOC. Postquã verò ita se id habet, illos hunc in modum interrogabo. Apparent oculis vestris eædem moles cominus maiores, minores emimus? Affirmabunt puto. Et crassa, & multa similiter? & æquales voces propè quidè maiores, longè verò minores? Consentient. Si in hoc bene agere, & felicitas nostra consisteret, hoc est in magnis molibus fabricandis, accipiendísque, paruis autem reiiciendis, quænam nobis potissima vitæ salus esset? num ars dimetiendi? aut optice potius, quanta res apparent ostendens? Imò hæc nos deciperet, & errore confundens sæpe cogeret eadem aliàs aliter iudicare, atque adscisceret, & in magnorum paruorũque electionibus sæpius consiliũ mutare. Dimetiendi verò facultas apparẽs hoc abrogaret refelleretque, veritatêque aperiens animo quietè daret veritate nixo, atque ita vitã seruaret. Consentirémtne homines ad hæc, an non, méssoria scilicet arte nos seruari? PRO. Hac ipsa. SOC. Quid porrò? si in ipsa paris imparísve electione salus vitæ consisteret, quãdo quod plus est, rectè eligi oporteret, & quando quod minus, aut ipsũ ad seipsum, vel aliud forte ad aliud, siue propè, seu procul sit, quid potissimùm nostrã vitã seruaret? nónne scientia? Et non metiendi quidè, quũ excessus atque defectus ea ars sit. Cùm verò paris, & imparis habenda ratio sit, non alia, quàm numerandi scientia. Concederent nobis hæc homines, an non? PRO. Absque controuersia. SOC. Agite, ô viri. Postquàm verò salutè vitæ certum est in recta voluptatis doloríque electione consistere, id est pluris & pauciori, maioris & minoris, propinquioris & remotioris delectu,

nónne dimetiendi facultas primò exceſſus, defectúſque, æqualitatis item mutuæ conſideratrix eſt? PR. Neceſſè. SOC. Quoniam verè metiendi facultas eſt, neceſſè eſt, vt ars, & ſcientia ſit. PRO. Admittent. SOC. Quæ verò potiſſimum hæc ſcientia ſit, aliàs conſiderabimus. Sufficit enim nunc ſcientiam eſſe, quòd ad eam demonſtrationem ſpectat, quam ego & Protagoras veſtræ eramus quæſtioni daturi. Hæc autem, ſi recordamini, erat quæſtio. Nos quidem conſenſimus, nihil ſcientia potentius eſſe: imò ſemper vbicunque adeſt, voluptati, cunctíſque cæteris dominari. At vos obiecíſtis voluptatem ſæpe etiam ſcienti dominari. Quod cùm vobis nequaquá daremus, ſtatim ita rogaſtis? Si hoc, ô Protagora, & Socrates, non eſt à voluptatibus ſuperari, ſed aliud quiddã, declarate quid ſit. Hìc ſi illicò reſpondiſſemus inſcitiam eſſe, protinus nos riſiſſetis. Nunc autem ſi nos deridetis, etiam vos ipſos deridebitis. Ipſi enim vos paulò antè confeſſi eſtis, defectu ſcientiæ aberrare illos, qui in voluptatum, & dolorũ electione delinquunt. ea verò bona ſunt, & mala. Neque defectu ſcientiæ tantùm dixiſtis, ſed addidiſtis etiam, defectu ſcilicet ſcientiæ metiendi. Actio autem errans, & quã ſcientia non regit, vt & vos non laret, ab inſcitia prouenit. quapropter quòd dici ſolet, à voluptatibus ſuperari extrema inſcitia eſt. Cuius velut morbi Protagoras hic, & Prodicus, & Hippias medicos ſe profitentur. Vos autem quia aliud quiddam eſſe hoc, quàm inſcitiam putatis, neque vos ipſos, neque filios veſtros hiſce ſophiſtis rerum illarum doctoribus curandos datis, quaſi virtus doceri non poſſit: at cùm pecunijs inuigiletis,

nec

nec his præceptoribus affertis, priuatim publicéque delinquitis. Hæc planè vulgò respondissemus.

Nunc autē vos etiam ô Prodice atque Hippia, vna cùm Protagora hoc percontor, cōmunis enim hic sermo vobis esto, veráne vobis loqui videar, an falsa? Verè admodum dicta esse, visum est omnibus. Conceditis igitur, inquam, quod iucundum est, esse bonum, quod triste, malum. Distinctionem verò illā nominum, quam Prodicus hic iniicere solet, reiicio. Siue enim voluptarium, siue delectabile, siue lætum, siue quomodocunque tandem nomines, optimè Prodice, hoc mihi nunc quod volo respondeas. Subridens Prodicus assensus est, & alij pariter consenserunt. Tum ego, Quid ad hoc, ô viri, actiones omnes, quæ ad iucundè & sine molestia viuendū pertinent, nónne honestæ & vtiles honestúmque opus, bonū & vtile? Annuerunt. Si ergo iucundum, inquam, bonum est, nemo vel sciens, vel existimans alia meliora esse his quæ facit, aut facere potest, deinde hæc agit, cùm meliora possit. [a] Quod verò dicitur ab affectibus superari, nihil est aliud quàm insciti a: & quod affectibus dominari, nihil quàm sapientia. Placuit omnibus. Quid verò insciti am, nónne tale quiddam dicitis, quando quis falsa opinione decipitur circa res plurimi faciendas? Hoc quoque dederunt. [b] Nemo verò lubens ad mala descendit, vel ad illa quæ mala existimat. Neque hoc vt videtur naturę hominis in est, vt ad ea quæ censet mala, bonorū loco declinare velit. Et cùm è duobus malis alterū eligere cogitur, nemo quod peius eligit, dū licet quod est minus malum eligere. Hæc omnia

[a] *Ab affectibus superari, nihil aliud est, q̄ insciti a, & affectib. dominari, nihil quàm sapientia.*

[b] *Nemo sponte mala eligit.*

cunctis nobis rata habenda visa sunt. Quid, inquam, timorem ac terrorem vocatis? Nunquid quod ego ad te dico Prodice? Expectationem dico quandam mali, timorémne an terrorem ipsi vocatis? Visum est Protagoræ, atque Hippiæ timorem ac terrorem hoc esse: Prodico autem timorem quidem esse hoc, terrorem verò minimè. Nihil id refert, inquam, ô Prodice, sed istud, num vera sint superiùs dicta? Quisnam igitur mortalium ad illa proficisci volet, quæ metuit, dum licebit ad ea quæ minimè timet? An fieri nequit, secundum ea quæ iam concessimus? Nam quæ quis metuit, constitit quòd mala esse putat, quódque nullus sponte ad illa descendat, capiátve quæ mala credat. Hæc quoque omnibus placuerunt. a His ita positis, ô Prodice, inquam, & Hippia, quæ primùm respondit Protagoras iam nunc defendat. Imò verò non quę primùm omnino. Dixit enim è quinque virtutis partibus nullam esse alteram alteri similem, sed vim vnamquanque priuatam habere. Neque hoc vrgeo nunc, sed quod sequitur. Sic enim in sequentibus inquit, quatuor virtutis partes satis inuicem propinquas esse, vnam verò illarum fortitudinem scilicet, à reliquis longè differre. Quod inde coniici posse dicebat, quòd plerique inuenirentur fortissimi viri, qui tamen prophanissimi, iniustissimi, intemperantissimi, & insipientissimi essent, ex quo patere volebat fortitudinem ab omnibus aliis virtutis partibus plurimùm differre. Cuius ego responsum statim vehementer sum admiratus, multoque etiá magis postquá vobiscum hæc tractaui, Quare ab illo scisscitatus, vtrũ fortes audaces vocaret. Ille

a *Redarguitur Protag. eo quod supra dixerit virtutu partes inter se dissimiles esse, & in primis fortitudinem à sapientia mirùm quanto interuallo distare.*

Ille verò præcipites insuper addidit. Recordaris, Protagora, hæc te respondisse? PRO. Recordor. SOC. Dic obsecro nobis ad quid præcipites homines fortes nuncupas? An ad ea, quæ timidi aggrediuntur? PRO. Non. SOCR. Ergo ad alia? PROT. Nempe. SOCR. Vtrum timidi audenda aggrediuntur? metuenda fortes? PROT. Ita fertur, ô Socrates. SOC. Vera narras. Verùm non hôc requiro, imò verò tu ad quid præcipites fortes appelles? num ad mala, cùm esse mala sciant, pernicioſáque, an ad ea potius quæ talia non sunt? PRO. Impossibile hoc esse abs te superioribus rationibus est ostentum. SOC. Et in hoc quoque verè loqueris. Quamobrem si hoc rectè est demonstratum, ea quæ mala pernicioſáque iudicat, aggreditur nemo, quandoquidem constitit inscitiam esse quod dicitur ab affectibus superari. PROT. Planè. SOCR. Enimuerò ea omnes aggrediuntur, quæ audent, tam timidi, quàm fortes. Atque hac ratione eadem & timidi, & fortes aggrediuntur. PRO. Imò contraria omnino sunt, ô Socrates, ea ad quæ fortes & timidi contendunt. Nam ad bellum quidem ire hi nolunt, illi verò nolunt. SOC. Ire honestúmne, an turpe? PRO. Honestum. SOC. Nónne si honestum, etiam bonũ esse suprà consensimus? Omnes enim actiones honestas & pulchras, etiá bonas esse cõuenit. PRO. Vera loqueris, & mihi quidem semper ita videtur. SOC. Probè. Verùm quoſnã dicis in præliũ ire nolle, cùm iter id pulchrum bonúmque sit? PRO. Timidos. SOC. Nónne si pulchrum & bonum, etiam est iucundum? PROT. Concessum est. SOC. Nunquid scientes timidi ad id quod pulchrum,

melius,& iucundius est,proficisci nolunt. PR. At verò si hoc admittimus, quòd superiùs conueniebat, peruertemus. SOC. Quid porrò? Vir fortis, nónne ad id quòd pulchrum, melius, iucundiúsque est, tendit? PRO. Necesse est confiteri. SOC. Omnino igitur fortes viri neque turpiter metuunt, si quando metuunt, neque turpiter audent. PRO. Ita est. SOC. Si nó turpiter, honestè & pulchrè PRO. Certè. SOC. Sin honestè etiam bene. PRO. Vtique. SOCR. Nónne & timidi & feroces & furiosi contrà, turpiter audent, & metuunt turpiter? PRO. Est istud SOCRAT. Aliam verò ob causam turpiter & malè audent, nisi ob ignorantiam & insciti am? PROT. Ob hanc ipsam. SOC. Quid hoc, quo ipsi timidi sunt, timiditatém-ne, an fortitudinem vocas? PROT. Timiditatem. SOC. [a] Timidi autem nónne propter metuendorum insciti am apparuerunt? PRO. Sanè. SOC. Propter hanc ergo insciti am timidi sunt? PRO. Nempe. SOC. Illud autem quo timidi sunt, timiditatē esse asserui sti. PR. Asserui. SOC. Nónne igitur metuendorum & non metuendorum insciti a, timiditas erit? PR. Erit. SOC. Enimuerò contraria est fortitudo timiditati. PROT. Absque dubio. SOC. An non sapientia metuendorum & non metuendorum eorundē insciti æ contraria est? PRO. Prorsus. SOC. Horum verò insciti a timiditas. PR. Et maximè quidem. SOC. [b] Sapientia igitur metuendorum & non metuendorū, fortitudo est, eorundē insciti æ contraria existens. Haud vlteriùs annuit Protagoras, sed siluit. Tú ego: Quid taces Protagora? cur non aut annuis, aut renuis? Ipse rem confice, inquit. Concludā protinus, inquā si vnum hoc duntaxat interro-

[a] *Timidi propter metuēdorum insciti am sunt timidi.*

[b] *Arg. à contrariis concludit fortitudinem esse scientiā metuendorum & non metuendorum.*

interrogauero: vtrum tibi nunc etiam, vt & suprà, imperitissimi quidam esse videâtur, qui tamen fortissimi sint. Contendere peruicaciter, inquit, videris, ô Socrates, vt ipse respondeam. ergo morem tibi geram. Impossibile dico videri, ex his quæ suprà sunt concessa. Non ob aliam causam, inquam, de his omnibus te percontor, quàm quòd noscere cupiam, qualia sint, quæ ad virtutem pertinent, quidve ipsa sit virtus. Scio equidem hoc declarato statim notum fore & illud, quo de ego & tu tot iam verba consumpsimus: dum ego quidem virtutem doceri posse negarem, tu verò posse asseuerares. Atqui arbitror nostræ disputationis exitum, si hominis instar vti voce posset, derisurũ nos, & hoc pacto repræhensurum. Quàm inepti estis, ô Socrates, atq; Protagora. Tu quidem ab initio dicebas, ô Socrates, doceri non posse virtutem, nunc repugnare tibi ipsi contendis? dum ostendere vis omnia hæc, iustitiã scilicet, temperantiam, fortitudinem, esse scientiam. Qua ratione maximè virtutem doceri posse constat. Si enim aliud quiddã esset scientia, quàm virtus, quòd Protagoras primũ asserebat, planè doceri non posset. Nunc autem si scientia esse videatur, quod tu, ô Socrates, inferre conaris, mirum sit, si per doctrinam virtus comparari non posset. Protagoras autem primò quidem doceri virtutem voluit: nunc contrà adniti videtur, vt quoduis aliud potius quàm scientia virtus appareat: quo pacto minimè omnium doceretur. Equidem, ô Protagora, videns hæc omnia sursum deorsúmque grauiter perturbari, vt in lucem veniant, vehemẽter incumbo. Vellem autem his inter nos decursis, quid virtus sit, ostendere-

mus,itémque doceri possit nécne considera-
remus:ne læpius nos Epimetheus ille sic in
disputatione fallat,quēadmodū in distribuen-
dō neglexit,vt tu narrabas. Prometheus enim
in fabula mihi magis quàm Epimetheus pla-
cet, cuius exēplo vtens, & vniuersæ vitæ meæ
prospiciens,hæc omnia tracto. Ac si tu velis,id
quod ab initio dixi, libentissimè de his rebus
tecum deliberarem. Tum Protagoras, Stu-
dium hoc tuum, inquit,ō Socrates, sermonis-
que cursum laudo.Etenim cùm cętera nisi me
fallit opinio, à me absint vitia, inuidia certè
omnium maximè abest.Et de te quidem apud
multos sæpe iam dixi, quòd omnium præser-
tim tibi æqualium,quos conuenerim maximè
te mirer. Addo quinetiam nihil mirum mihi
fore, si sapientiæ studio clarus euadas. Ac de
his aliàs quandocunque voles edisseremus.
Nunc iam hora est, vt me ad alia conferam.
Ita inquam,agendum est,si tibi videtur,quan-
doquidem & iam pridem,vt dixi,tempus erat
vt abirem: veruntamen vt Calliæ honesto a-
dolescenti morem gererem,perstiti. His dictis
atque auditis abiuimus.

PLATONIS EV-
THYDEMVS, VEL
Litigiosus.

Marsilij Ficini Argumentum.

SOCRATES *hoc in dialogo vniuersum Sophista-*
rum gymnasium ait ludum esse verborū, eosque
verum

rerum naturam omnino latere, atque artificiosas illorum telas, sola verborum expositione significationisque distinctione posse dissolui. Obsecrat autè facetissima quadam ironia sophistas, vt post ludos ad seria veniant: proponitque formulam quandam, ad cuius exemplar exhortationem ad philosophiam ab illis exoptet. In eiusmodi formula felicitatem primò quidem communi notione describit, bene viuere. Deinde hoc ipsum bene viuere vel in ipsa rerum ad votum consecutione, vel in recto rerum ipsarum vsu probat consistere. Atque vtrinque per inductiones concludit, sapientiam scilicet solam & consequatur res ad votum, & vtatur rectè, solam beatos efficere. Ibique talis in inductionibus ordo conspicitur, vt si per singulas vitæ partes sapientia tum ad votum consequatur, tum rectè vtitur, consequentem in vniuersa vita finem vitæ communem summúmque bonum sapientia eadem afferat in consecutione prospera rectoque vsu consistens. Inter argumentandum verò præclara fulget sententia sectæ Stoicæ fundamentum, externa videlicet & corporea esse indifferentia potius & communia, quam aut bona, aut malæ dicenda. Propriè verò bonam esse sapientiam, malam verò insipientiam. Siquidem per illam bona omnia, per hanc omnia mala nobis euadunt. Ideòque sapientiam solam beatos facere posse. Quòd verò in scientia potestas ad felicitatem tota consistat, tria ipsa felicitatis nomina à priscis Græcorum autoribus instituta declarant, scilicet Eudemonia, Eutychia, Eupragia. Primum significat cognitionem boni, secundum consecutionem, tertium verò vsum: qua omnia scientia nobis perficit. Quam boni scientiam Plato & hic & alibi dicit quodammodo omnem esse virtutem. Per hæc Socrates dum à sophistis exhortationem ad philosophiam, quæ est sapientiæ studium exposcere si-

mulat, ipse interim aptissima quadam dissimulatione ad philosophandum mirabiliter adhortatur. Veruntamen nondum sophistæ exhortationē vel proseipsis, vel pro aliis saltem accipiunt, sed per solitas iterum ineptias reuoluuntur. Proinde Socrates sophistarum captiunculas confictans, demonstrat contra sophistas facilimè posse sophismata retorqueri: præsertim quia cegit eos & sibimet repugnare, & absurdissima confiteri. His actis rursus similem superioris formulam simulando, declarat nihil boni auditores à sophistis accipere, sophistasque ipsos veluti perditissimos ad bonam frugem reuocari non posse. Hinc sub dialogi finem sophisticæ cauillationis vituperationem in tria colligit capita. Primùm quòd probatissimi quique nugas eiusmodi aspernantur. Secundum quod sophismata seipsa confundunt. Tertium quòd vel pueri hæc tanquam leuissima biduo assequuntur. Mox à sophista descendit ad rhetorem. Vtrosque enim ciuilem virtutem falsò profitetur, vt scribitur in Gorgia: & sophistæ quidem philosophi speculationem, rhetor autem moralem philosophi disciplinam simulat procul à vero. Ostendit autem rhetores atque oratores dum se & Philosophos & ciuiles simul profitentur, esse ad vtrunque prorsus inutiles. Concludit postremò dialogum gemina optimáque sententia. Altera quidem curandum magis esse vt bene sit filij, quàm vt sint: atque vt illos relinquas bonos potius quàm illis relinquas bona. Altera verò omnino esse philosophandum: quandoquidem philosophia ipsa res est diuina: neque vel ob falsos eius professores, vel ob mendaces culumniatores dimittendam esse possessionem adeo pretiosam.

CRITO,

CRITO, SOCRATES, EVTHYDEMVS, DIONYSODORVS, Clinias, Cteſippus.

VISNAM ille erat, ô Socrates quicum heri in Lycæo diſputabas? vos quidem turba frequens circunſtabat. Quare licet propius accederem audiendi cupidus, nihil tamen apertè perciſpere potetam. Cùm verò [exerto capite] inſpicerem, mihi viſus eſt hoſpes quidam eſſe, quicum diſſerebas. Quis ille? SOCRA. De vtro interrogas, Crito? Non enim vnus tantùm, ſed duo aderant. CRI. Tertius ad dexteram tuam ſedebat is, quem dico. Medius autem adoleſcentulus ille Axiochi filius, qui mihi viſus eſt ſatis admodum profeciſſe. Critobuli quidem noſtri fermè æqualis eſt. Verùm ille aridiori, quòdam corporis habitu hic natu grandioris ſpeciem præ ſe ferre videtur, honeſta ſanè indole atque egregia. SOC. Euthydemus is eſt quem quæris, ô Crito. Qui verò ad ſiniſtram mihi aſſidebat, Dionyſodorus eius frater, qui ipſe quoque diſputabat. CRI. Neutrum cognoſco, ô Socrates. SOC. Noui ſunt, vt videntur, ſophiſtæ. CRI. Quænam horum patria eſt? quæ ſapientia? SO. Chij ſunt, vt arbitror, patria: ad Thurios autem migrarunt. Illine autem fugientes multos iam annos iſtis in locis verſantur. De ſapientia verò illorum quod tu rogas, ô Crito, planè ſapientiſſimi ſunt: & hactenus ignorabam equidè perfectos athletas eſſe. Sunt enim ad omne certandi genus inſtructi, non quemadmodum Acarnani illi fratres athletæ.

Illi namque corpore tantùm valent, hi verò o-
re primùm maximè valent, & eo genere pu-
gnæ, quo omnia superantur. Armorum enim
periti sunt maximè. & armorum peritos red-
dere, si quis mercedem det, etiam cæteros pos-
sunt. Deinde iudicialem pugnam & ipsi tra-
ctare expediréque, & vnumquenque instruere
possunt, tum scribendis, tum perorandis cau-
sis. Et hactenus quidem harum duntaxat peri-
ti erant, nunc autem perfectè athleticæ facul-
tati finem imposuerunt. Quod enim deerat
certandi genus nuper sic assecuti sunt, vt ne-
mo illis valeat reluctari, adeò dicendo valent,
promptíque sunt ad quoduis dictum seu verú,
seu falsum, refellendum. Quapropter, ô Crito,
his me viris tradere cogito. pollicentur enim
quemuis alium breui se eorundem compotem
reddituros. CRI. An non te grandior ætas
absterret, ô Socrates? SOCR. Minimè Crito.
Est enim quod me soletur, ac diffidere non si-
nat. Nam & hi iam senes, vt ita dixerim, huic
se facultati quam ego nunc affecto, contentio-
ri videlicet dediderunt. Anno enim superio-
ri, aut certè ab hinc tertio nondum callebant.
Vnum verò hoc tantùm vereor, ne his hospi-
tibus dedecori sim, quemadmodum Conno
Metrobij filio citharistæ, qui me etiam nunc
fidibus docet. Pueri igitur condiscipuli me
quotidie rident, & Connum ipsum senum ma-
gistrum nuncupant. Ne ergo hoc idem ali-
quis hospitibus his obiiciat, & illi ea re deter-
riti me reiiciant, alios quosdam præterea, ô
Crito, natu grandes, vt mecum illuc discendi
gratia proficiscantur, sum exhortatus: & hic
item quosdam persuadere conabor. quin tu
quoque adito vnà: imò etiam illecebram ipsis

duca-

ducamus tuos filios. etenim vbi sperabunt etiam filiorum tuorum concursum, his quasi illecebris adducti libentius nos erudiendos accipient. CRI. Nihil prohibet Socrates, si tibi videtur. Verum prius quæ illorum sapientia sit, narra, vt quid percepturi simus cognoscam. SOCR. Frustrà expectas. dum non posse dicã, quasi non auscultarim satis: imò & auscultaui diligenter & memini, tibíque à principio cuncta referre conabor. Equidem diuina quadam sorte in loco vbi athletæ exuuntur solus vbi me vidi, sedebam, iámque inde discedere cogitabam, cùm surgenti solitum illud dæmonis signum subitò obstitit. Restiti itaque, ac paulò pòst ingressi sunt Euthydemus Dionysodorúsque, & cum his alij multi, qui illorum mihi discipuli videbantur. Ingressi autem in ipso operto curriculo deambulabant. Vix iterum tertióque spatium exegerant, cùm aduentauit Clinias ille, quem vehementer profecisse dicis, & verè loqueris. Eum sequebantur amici, & alij præterea multi, tum adolescens quidam Ctesippus Pæaneus, ingenio bonus quidem & pulcher, sed ipsa iuuenta lasciuior. Intuitus me ab ingressu Clinias sedentem solum, obuiam venit, & ad dexteram consedit, vt & ipse aiebas. Eum Dionysodorus Euthydemúsque conspicati, primùm quidem cõsistentes inuicem disserebant, hinc atque illinc in nos oculis conuersi. Ego enim illos diligentissimè obseruabam. Deinde propius accedentes consederunt: Euthydemus quidem iuxta ipsum adolescentem: Dionysodorus autem iuxta me ad sinistram, alij vt cuique erat locus. His igitur congratulatus sum, vtpote quos diu non vidissem. Post hæc ad Cliniam con-

uersus: Isti, inquam, ô Clinia, viri, Euthydemus Dionysodorúsque non paruis sunt in rebus, sed maximis sapientes. Sciunt quæ ad rem militarem pertinet, omnia quæcunque nosse futurum strenuum imperatorem decet, aciei ordinúmque, & exercitus instructiones. Tum etiam quo se pacto quispiam in iudicio ab iniuria vendicet, docere possunt. Illi verò ita me locutum contempserunt, séque inuicem inspicientes vterque riserunt. Ac Euthydemus quidem haud amplius hæc seriò, inquit, ô Socrates, tractamus, sed obiter. Ergo verò miratus, præclara, inquã, studia vestra esse oportet, si remissiones sunt tantæ. Dicite obsecro, quod hoc vestrum tam egregium opus est? EVTH. Virtutem, ô Socrates, nobis persuademus facillimè atque optimè omnium doceri à nobis posse. SOC. Pròh Iupiter quàm pretiosam rem pollicemini! Qua sorte potissimùm lucrum istud ad vos peruenit? Equidem ita de vobis, vt dixi, hactenus cogitabam, nempe viris in re militari præstantibus, ídque de vobis prædicabam. [a]Memini enim cùm huc primùm venistis, hoc solummodo fuisse professos: quòd si nunc reuera scientiam hanc adepti estis, estote propitij, profectò vos perinde ac deos saluto, obsecrans vt quæ antè dixi ignoscatis. Verùm videte, ô Euthydeme, Dionysodoréque, vtrum vera loquamini. Neque enim mirum videri debet, si quis rei istius quam pollicemini magnitudinem æstimans difficilè credat. EVT. Scito sic esse, ô Socrates, prorsus. SO. Beatiores igitur ob rei huius possessionem vos æstimo, quàm ob regnum suum regem illum Magnum. Verùm dicite quæso, vtrum exhibere hanc sapientiam vestram cogitetis, an aliter

a *Qui virtutem alios doceat is quasi pro Deo habendus.*

liter apud vos sit decretum? EVT. Ad hoc ipsum, ô Socrates, venimus, demonstraturi scilicet, atque docturi, si quis addiscere velit. SOCR. Atqui quòd velint omnes quicunque sint, ipse vobis seu sponsor fidem obstringo. Ego quidem primò, deinde etiam Clinias hic, præterea Ctesippus ipse, aliique quos hîc vides, Cliniæ amicos ostendens, qui nos tum circumstabant. Ctesippus autem fortè à Clinia procul sedebat: cúmque Euthydemus inter disputandum sese inclinasset, Clinia medio inter nos sedentes, & Ctesippum aspectu Cliniæ excluderet, [è suo loco subsiliit, primus & nobis è regione astitit,] vt & videret amicum, & disputantes audiret: mox cæteri hunc secuti tam Cliniæ amatores, quàm Euthydemi & Dionysodori comites, protinus nobis adstiterunt. Hos ego omnes ostendens, Euthydemo pollicitus sum ipsius discipulos fore. Ctesippus igitur vehementer est assensus, necnon & alij, hortatique eum communiter omnes sunt, vt sapientiæ vim ostendere vellet.

TVM ego, ô Euthydeme Dionysodoréque, his inquam, modis omnibus erit gratificandũ, & vel mei gratia ars tua demonstranda. Ac plurima quidem sunt, quæ ostendere opus prolixum sit: id autem mihi dicite, vtrum hominem duntaxat iam persuasum quòd discere à vobis oporteat, bonum efficere virum potestis? an eum nondum etiam persuasum, & qui nullo pacto doceri virtutem posse, aut vos eius rei magistros esse putet? a ET nunquid artis eiusdem opus est, homini sic affecto persuadere, quòd & doceri virtus possit, & quòd vos estis hi à quibus optimè quis hoc possit discere: num, inquam, sic est? Eiusdem, inquit Dio-

a *Eiusdẽ artis est, docere virtutem, & ostẽdere quod virtus doceri possit*

nysodorus, artis opus est, ô Socrates. Vos itáque præ cæteris, inquam, omnibus ad philosophiã virtutísque curam hortari homines quã optimè potestis? Sic arbitramur, inquit, ô Socrates. Cætera pòst ostendetis, inquam: isthuc verò nunc. quæso enim huic adolescentulo persuadete, quòd philosophiæ virtutíque studio totis sit viribus incumbendum, mihíque & his omnib. morẽ gerite. PORRÒ adolescentulus hic adeò mihi & his omnibus curæ est, vt eũ quã optimũ virum euadere summopere omnes cupiamus. Est autem Axiochi ex Alcibiade maiore nati filius; minoris autem Alcibiadis qui nunc est, patruelis. Nomen est Clinias. iuuenis est. Illi itaque tanquam iuueni metuimus, ne quis fortè nos præueniens aliò eius animum deflectat atque corrumpat. Quare vos peropportunè venistis. Et nisi quid refert de puero periculũ facite, & cum eo nobis præsentibus disserite. hæc fermè cũ dixissem Euthydemus fortiter nimium cõfidentérque, nihil inquit, ô Socrates refert, modò velit adolescens nobis respondere. Haud insueta, inquã illi res est. frequenter enim hi conuenientes inter se disputant, interrogántque multa. quocirca conétaneum est respondere posse.

a Sophismate ingemina to duo impudẽtissimi Sophistæ adolescentẽ cogũt fateri modò scientes modò ignaros discere.

a QVAE verò sequuntur, ô Crito, vtinã recte putanda est, inæstimabilẽ illam sapientiã esse rare posse Quare mihi nunc poetarum more, Musas, Memoriámque inuocandas esse prius video. Euthydemus autem hunc, vt arbitror, in modũ est exorsus. Veri sunt, ô Clinia, homines qui aliquid discũt? sapientésne, an ignorantes? Puer autẽ propter quæstiones illius põdus erubuit, & hæsitans oculos in me conuertit. E-

go

go verò perturbationem illius animaduertēs, Bono animo esto inquā Clinia, & quę tibi videntur, fortiter respondē. Arbitror enim commodum hinc maximū assequere. Hæc loquēti Dionysodorus in aurem mihi insusurrans, ac ridens: Prædico tibi Socrates, inquit, quicquid puer responderit, confutatum iri. Interim responderat Clinias, vnde mihi puerū admonere non licebat, quo sibi caueret. Respondérat autē, sapientes esse qui discunt. Ad quē Euthydemus: Vocas præceptores aliquos, an non? Assensus est. An non præceptores, discentiū præceptores sunt? quemadmodum citharista atq; grammaticus & tui & cæterorū puerorū præceptores fuere, vos autē discipuli. Consensit. Cùm discebatis, nondum sciebatis hæc eadem quæ discebatis? Nondum. Nunquid eratis sapientes, quando hęc ignorabatis? Nequaquam. Si non sapientes, ignorantes igitur. Omnino. Vos ergo dum sciebatis quę ignorabatis, ignorantes discebatis. Annuit adolescens. Ex hoc sequitur, vt ignorantes discant, ô Clinia, nō sapiētes, vt ipse putabas. Cū hæc ille dixisset, [tāquā] chorus innuente magistro, summo plausu cōclamarunt, riserúntq; illi Euthydemi & Dionysodori sectatores. Ac prius quàm respirare puer, bene præclaréq; sermonē excipiēs Dionysodorus, Quid porrò, ô Clinia inquit? Cū aliqua grāmaticus recitauit quinā pueri illa perdiscūt? sapientésne, an ignorantes? Sapiētes, inquit Clinias. Ergo sapientes discunt, non ignorātes. Quare nō rectè Euthydemo paulò antè respōdisti. Hic altius exclamārūt riserúntque illorum amici, Euthydemi Dionysodoríque sapientiam admirati. Nos autem quasi stupidi conticuimus. Cùm ergo stupidos nos red-

ditos esse videret Euthydemus, quo in maiorē
insuper sui admirationem traheremur, nondū
dimisit puerum, sed vlterius interrogauit, &
more bonorum saltatorum eadem de re con-
geminauit quæstionem: Vtrum igitur, inquiēs,
discentes quæ sciunt, discunt: an quæ nesciūt?
Tunc Dionysodorus iterum mihi in aures su-
surrans, Tale, inquit ô Socrates est & hoc, qua-
le quod suprà fuit illatum. Proh Iupiter, in-
quam præclarum etiam superius nobis visum
est. Ita semper, ait, ineuitabiles quæstiones pro-
ponimus. Ideóque videmini, inquam, apud di-
scipulos vestros autoritatem habere non me-
diocrem. Interim Clinias Euthydemo respon-
dit, eos qui discunt, quæ ignorant perdiscere.
Statim ille vt suprà interrogauit. Scisne i-
pse literas? Scio. Nónne omnes? Et om-
nes. Quando aliquis recitat? nónne lite-
ras recitat? Concessit. Ergo illa quæ scis
recitat, quandoquidem ipse omnes scis li-
teras. Admisit & hoc. Nónne discis quæ quis
recitat? Assensus est. An verò ignorans literas,
discis? Minimè. Imò sciens disco. Nónne igitur
quæ scis discis? si quidem omnes scis literas.
Annuit. Non rectè itaque respondisti. Vix au-
tem dixerat hæc Euthydemus, cum Dionysio-
dorus orationem velut pilam excipiens sic a-
dolescentem petebat. Decipit te Euthydemus,
ô Clinia. Dic mihi. An non discere, scientiam
illius accipere est, quod quis discit? Admisit
Clinias. Scire autem nunquid aliud est, quàm
scientiam ipsam iam habere? Concessit. Nesci-
re igitur, est nondum habere scientiam. Dedit
& hoc. Vtri rem aliquam capiunt? qui habent,
an qui non habent? Qui non habent. An non
confessus es, nescientes homines ex illorum

su-

numero esse, qui non habent? Annuit. Discentes igitur ex illorum numero sunt, qui capiunt, non ex eorum qui habent. Probauit. Ergò qui nesciunt, ô Clinia, discunt, non qui sciunt. [Et iam tertiò ad luctandum cũ adolescente, toto impetu ferebatur, eum supplantaturus Euthydemus.]

QVVM ego succumbentem miseratus, vt paulum recrearem, ne fortè expauesceret nimis, hunc in modum consolari cœpi. Ne mireris, ô Clinia, si insueti sermones isti tibi sunt: nescis enim fortasse hospites isti quid sibi velint. Idem profectò faciunt, quod in sacris suis Corybantes solent, quum aliquem initiaturi sunt, eum in solio collocant, cum circa ipsum saltant, ibi denique ludicræ quædam ceremoniæ adhibentur quas nosti, si quidem initiatus es. Ludunt similiter isti nunc, & circa te choreas ducunt ac saltant, quasi quem expiant nunc, mox sacris sint initiaturi. Itaque impræsentiarum primas quasdam sacrorum sophisticorum ceremonias celebrari puta. Principiò enim, quemadmodum Prodicus iubet, propria tenere nominum significata decet: quod & hospites tibi isti ostendunt. Neque enim discere sciebas quomodo homines vocant, cum de his loquũ tur. [b] Discere enim vocant, & quum quis, quã rem antea non tenebat, assequitur iam: & cum scientiam eius nactus, eadem scientia illam ipsam rem, vel quum fit, vel quum dicitur considerat: quod rectius intelligere, quàm discere, voces, quanquam non rarò discere vocetur, id verò te latuit, quemadmodum isti ostenderunt, idem videlicet nomen contrariis rebus ab hominibus attribui scienti quidem, & ne-

[a] *Prodicus sophista in explicandis vocabulorũ significationibus potissimũ versabatur, vide Protag.*

[b] *Vocab. μανθάνειν, discere notionem est.*

scienti. Simile autem huius est & illud quod in secunda quæstione proposuerunt, interrogantes vtra discant homines, an quæ sciunt, an quæ nesciunt. Hæc omnia ludi quidam in disciplinis sunt, ac ludere tecum istos aio.[a] Ludũ autem hac de causa voco, quia & si quis huius generis multa, aut omnia etiam norit, rerum tamen naturas, nihilò magis intelliget, ludere tamen ex illa nominum diuersitate homines poterit, quasi apposita tibia supplantans ac prosternens, eorum more qui sedere volentibus furtim subsellia subtrahunt, & effusiùs rident, quum vident, eum qui cecidit, iacere supinum. Hæc igitúr, & tu pro ludo accipe. Deinceps autem seria tibi hi tractabunt, ac ego quæ promiserunt ab illis exposcã: nempe quo pacto ad sapientiam impelli quispiam possit. Nunc autem mihi videntur putasse prius tecũ esse iocandum.

[b]ERGO hactenus, ô Euthydeme Dionysodoréque, vobis lusum sit. Et fortasse satis est. Ostendite iam quod sequitur. Restat enim ad virtutis sapientiæque studium hunc adolescẽtulum quónam pacto inducatis. Et dicam principio quid mihi videatur, & quid ego potissimum cupiam audire. Quod si imperitè, & ridiculè fecero, ne obsecro rideatis. Facit enim audiendæ sapientiæ vestræ cupiditas, vt ineptias meas non dubitem apud vos ex tempore proferre. Continebitis igitur risum vos & discipuli. Tu autem mihi Axiochi fili responde, vtrum omnes bene agere, hoc est, bene viuere cupiamus.[c] An fortè quæstio hæc, vt metuebã, ex earum numero est, quæ ridiculæ sunt? Dementis est enim, arbitror talia sciscitari. Quis enim est omnium qui bene viuere non cupiat? Ne-

[a] *Sophisticæ argutiæ, & aucupia circa voces sunt, merus ludus, qui nihil ad sciẽtiã confert.*

[b] *Ironiæ Socratica in perstringendis Sophistis dũ illis commonstrat verã rationem iuuenes ad studiũ virtutis & sapientiæ exhortandi.*

[c] *Nota & immediata axiomata nõ debẽt quæri*

Nemo,inquit Clinias, Age, inquam,postquam bene viuere volumus,quo pacto assequi licet? Nunquid si bona multa nobis sint an ineptus est,quisquis hoc neget? Sic enim constat esse. Constat,inquit.Bona verò ex omni rerum genere quænam sunt?inquam. An fortè neque id arduum est inuentu, nec eleganti homini dubitandum?Quis est enim qui neget bonum esse, diuitem esse?Nónne?Maximè,inquit. An non & sanum esse,inquam,& pulchrum, cæterisque corporis dotibus præditum?Certè inquit. Quinetiam nobilitas, inquam potentia, & in sua cuique ciuitate honores sunt boni? Et ista,inquit. Quæ præterea bona, inquam, restant?Si dixerimus temperantiam,iustitiam, fortitudinem,esse bona, nunquid rectè dicemus? Dubitet enim fortè quispiam. Tu verò quid ais?Bona profectò,inquit, dicenda. Sapientiam verò,inquam,quo in genere locabimus?Bonorúmne? an aliter?In bonorũ,inquit, genere.Vide inquam,ne quid bonorum,ratione aliqua dignum prætermittamus. Mihi,inquit, nullum sanè prætermisisse videmur.Hîc ego cogitans paululum, videmur, inquam, ô Clinia, bonorum omnium maximum postposuisse. Quid hoc? inquit ille. [a]Felicitatem inquam, quam omnes, etiam imperitissimi homines summum bonum vocant. Vera loqueris,inquit. Et ego rursus mutata sententia,risum fermè,inquam,ô Clinia, hospitibus mouissemus. Quamobrem, inquit. Quoniam cùm felicitatem antea posuerimus, inquam iterum iam eadem de re loquebamur, Qui istud? inquit. Ridiculum porrò quod antè positum est, ponere rursus, bisque eadem recensere. Qua ratione id ais? Sapientia,

[a] *Felicitas quæ hîc* εὐδαιμονία *appellatur summum bonũ.*

inquam ipsa felicitas est, quod quidē vel puer quiuis intelligat. Quod ille, cùm ob puerilem ruditatem admiratus esset, & ego admirationem animaduerterem, hunc in modum interrogaui: Nónne, ô Clinia, nosti, quòd periti tibicines optimè omnium quod ad tibiarum vsum attinet, cōsequuntur? Assentius est. Et eruditi, inquam, grammatici quod ad literas, tum scribendas, tum legendas attinet? Prorsus inquit. Quid autem de periculis quæ in mari contingunt? Sapientes quoque gubernatores optatum nauigationis portum præ cæteris assequuntur? Ita est. Necnon belli dux sapiens, quod ad militiam spectat, tutius expedit, & cum illo tutius, quam cum ignorante militabis? Absque dubio, inquit. Et sapiens medicus ad optatam corporis valetudinem, inquam, melius quàm insipiens te perducet, túque ipsum libentius illi committes? Certè, inquit. An ideo quod putes felicius tibi cum sapiente, quàm cum stulto successurum? Consensit. Sapientia igitur omnibus humanis in rebus, inquam, felices nos efficit. Neque enim aberrat vnquam, nec fallitur sapientia, sed rectè opus peragit assequiturque, alioquin ne sapientia quidem sit. Conuenimus tandem nescio quomodo vt in summa diceremus, sapientia præsente, felicitate nihil esse opus. His verò concessis rursum percontatus sum, quid de his quæ suprà concessa fuerant, sentiremus. Confessi enim sumus, inquam, si multa nobis bona sint, bene beatéque nos viuere. Admisit. Num beatè, inquam, propter præsentia bona viuimus, si nihil prosint, an si prosint? Si prosunt, inquit. An verò conferunt quicquam, si habemus illa duntaxat, non vtimur autem? Veluti si e-

a *Sapientia in omnib. reb. humanis felices nos facere creditur.*

Aepulas multas poculáque habeamus, non
vescamur autē, nunquid iuuant? Nihil, inquit.
Præterea si artificibus expósita sint præparatáque singula ad opus perficiendū, non vtantur autē, num propter ipsam supellectilis, & instrumenti copiā bene agāt? Ceu si fabro parata sint instrumenta omnia, materies itē, nihil fabricetur autem, nunquid, inquam possessione iuuabitur? Nullo pacto inquit. Quid verō? si quis diuitias, & bona quæ diximus omnia nactus, nequaquā vtatur, nūquid etiā, inquam, ipsa bonorum possessione beatus? Minimè, ô Socrates, inquit. Oportet itaque illū, qui beatus futurus est, inquam, non solùm bona huiusmodi possidere, sed vti. Nihil enim sola possessio iuuat. Rectè, inquit. Nū possessio vsúsque bonorū, ô Clinia, inquam, ad beatè viuendum sufficit? Mihi quidem videtur, inquit. Vtrum ita dicis, si modò quis rectè vtatur, an etiā si non rectè. Si rectè, inquit. Probè, inquam. Plus est enim puto, inquam, cum quis te quapiam abutitur, quàm cum omnino non attingit. Illud siquidem malum est, hoc nec bonum nec malum. Nónne ita dicendū? Probauit. Nunquid in effectione, inquam, & vsu lignorum aliud præter fabrilem scientiā, vt rectè vti singulis queas, efficit? Non aliud, inquit. Quinetiam circa vasa conficienda, rectum vsum scientia præstat? Annuit. Nónne & circa vsum bonorum, quæ supià retulimus, diuitiarū, sanitatis, & formæ ipsa scientia duxerit, his rectè vti docens, opúsque dirigens? Prorsus, inquit. Non igitur successum solum, sed & opus bonum, vt videtur, in omni possessione actionéque hominibus scientia præbet. Assentit est. An vlla est obiecto, possessionū

omnium vtilis prudentiam sapientiámque ci-
trà? At vter horum maiorē vtilitatē reportat,
qui mente captus est, eū rebus abūdet, cū mul-
ta faciat? An qui pauca facit, pauca possidet,
sed mentis cōpos? Hoc ita cogita. Nónne qui
pauciora agit, rarius errat? Minus errans, minus
agit malè? Minus malè agens, minus est miser?
Omnino, inquit. Quo autē pacto, inquā, pau-
ciora facit aliquis? Nunquid si pauper est, an
si diues? Si pauper, inquit. Vtrum si debilis, an
si robustus? Si debilis, inquit. Vtrum si hono-
ratus, an si abiectus? Si abiectus, inquit. Vtrum
si fortis & tēperans, an si timidus? Si timidus.
Nónne & piger minus efficit, quàm promptus
ad agendum? Admisit. Et tardus, quàm velox?
hebes visu auditúque, quàm vtroque acutus?
Omnia hæc inter nos conuenerunt. Ibi verò
hunc in modum conclusi. Videtur non dispu-
tatum fuisse de iis a omnibus, quæ prius bona
esse diximus, quo modo ipsa per se natura bo-
na sint, sed vt videtur, sic se res habet, si illis
inscitia præsit, eo deteriora esse, quàm illorū
contraria, quo vberius improbo duci admini-
cula scelerū suppeditare possunt. Sin autē pru-
dentia & sapientia his præsideat, tum denique
meliora. Ipsa verò suapte quidem natura nul-
la, nec bona quidē, nec mala existimatione sūt
digna. Videtur, inquit, ita esse, vt dicis. Quid a-
liud ex his sequitur, inquā, quàm nihil cætero
rū, vel bonū esse, vel malum? E duobus autem
istis, sapientiā quidem bonū, insipientiā verò
malum esse? Probauit. Iā igitur quod est reli-
quum consideremus. Postquā beati esse affe-
ctamus omnes, beati autem efficimur vt appa-
ruit, ex eo quòd rebus vtimur, & rectè vtimur:
rectum autem vsum, & felicem consecutionis
succes-

a *Omnia bona tā animi quàm corporis magis nocent præsentia quā absentia, si absit scientia quæ illorum vsum legitimū doceat.*

succeſſum ſcientia præbet, cæteris omnibus prætermiſſis omni ſtudio niti quiſque debet, vt quàm ſapientiſſimus fiat. nónne? Certè, inquit. Exiſtimare prętetea quiſque debet à parentibus, à tutoribus. & amicis, cæteríſque, illis maximè qui amant, ſeu hoſpites ſint, ſeu ciues hoc expetendum potius, quàm ingentes opes, exorandóſque omnes vt ſapientiâ impartiant. Neque turpe eſt, neque indignũ, Clinia, ſapientiæ gratia cuilibet ſeruire, & honeſtis obſequiis vnumquenque demereri. Idémne tu ſentis? Idẽ omnino, inquit. Probè enim loqui videris. Si modò, inquam, doceri ſapientia poteſt, nec ſorte & caſu hominibus venit. Hoc enim inſuper eſt veſtigandum: neque dũ adhuc inter nos conſtat. Tum ille: Doceri mihi quidem, ô Socrates, poſſe videtur. Hac ego reſpõſione delectatus, bellè inquam, optime virorum, ac maximo me beneficio affeciſti, longa diſquiſitione liberans, doceri ſapientia poſſit nécne. Nunc verò poſtquam tibi doctrina comparari poſſe videtur, ſoláque hæc ex omnibus beatum & felicem hominẽ reddit, quid aliud quàm philoſophandum dicas? Nunquid hoc ages? Maximè, inquit. ô Socrates, quantum id fieri poteſt. Hæc cùm libenter audiſſem, exemplar inquam, ô Dionyſodore, & Euthydeme, exhortationis, quam volo, tale, rudibus prolixíſque fortaſſe verbis vos tandẽ à me collectum habetis. Vter autem veſtrum vult, idem hoc artificioſè cõtexens nobis oſtendat: aut ſi hoc non lubet, ſaltem quod orationi meæ deeſt, vos in adoleſcentis gratiam perſequamini: nẽpe omnémne ſcientiã, an vnam quandam potius parare neceſſe ſit ei, qui vir eſſe bonus beatúſq; velit: tũ quæ hæc ſciẽ-

tia sit. nam, principio dixi, vehementer hunc adolescentulum sapientem bonúmque euadere desideramus. Hæc vbi dixi, ô Crito, iam ad sequentia intentus eram, obseruans quale dicendi exordium facerent, quáue potissimùm ratione Cliniam ad sapientiæ, & virtutis studium exhortarentur. Hic qui natu grandior est, Dionysodorus, prior cœpit: ac nos quidé omnes oculis in eum conuersi eramus, mirificam quandam orationem protinus audituri, quod etiã contigit. Mirum nanque sermoné, ô Crito, incœpit, dignum quí abs te audiatur, quàm bellè scilicet, prouocet ad virtutem. Dic mihi, ait, ô Socrates, vósque alii, quicunque adolescentem istum fieri sapientem vultis, vtrum iocamini an id seriò agitis veréque expetitis? [Hic ego cogitans eos putasse nos prius secum lusisse quum illos rogaueramus vt disputarent cum adolescente, ideóque adhuc lusisse nec seriò egisse:] maximè inquam, desideramus. Tunc ita Dionysodorus. Vide, ô Socrates, ne quæ nunc asseris aliquãdo neges. Scio, inquam, haud me negaturum. Quid igitur dicitis? inquit: sapientem fieri vultis? Volumus, inquam. Quídni? Vtrum, inquit, sapiens nunc est Clinias, an non? Nondum, ait, inquam. Est enim minimè iactabundus. Vos verò, inquit, sapientem fieri vultis, ignorantem autem nequaquam? Admisimus. Ergo quod non est, inquit, hoc fieri cupitis: quod verò nunc est, haud amplius esse. Quod quum audissem, turbatus sum: & ille me turbatum animaduertens, Quoniam, inquit, vultis quod nunc est, non amplius esse, [a] vultis vt videtur, hunc, inquit, interire. Belli verò amici amatorésque sunt, qui amasios omni cura student perdere?

Hæc

[a] *Sophisma conclud. eũ qui velit insipiẽtem, nõ amplius esse insipientem, velle vt is non amplius sit, hoc est vt intereat.*

Hæc audiens Cteſippus, amaſii gratia iniquè tulit: indignatúſque, Heſpes, inquit, Thurie, ni dictu ruſticum ſit, in os tibi dico quòd mendacium mihi illíſque nefarium indignúque impingis, Cupere me ſcilicet illum interire. Hic Euthydemus ad Cteſippum conuerſus, Videtur, inquit, tibi fieri poſſe, vt aliquis mentiatur? Per Iouem, inquit, niſi fortè inſanio. Qui verò mentitur, inquit, rem ipſam qua de ſermo eſt, dicit, an non dicit? Dicit, inquit. Si rem ipſam dicit, haud aliud quicquam dicit præter id quod dicit. Quónam pacto, Cteſippus inquit, aliter fieri poſſet? Nunquid vna quædam res eſt, inquit, quam dicit, ab aliis diuerſa? Prorſus, inquit Cteſippus. Nónne qui illam dicit, id quod eſt profert? Ita. Enimuerò quicunque quod eſt, quæue ſunt dicit, vera dicit. Quamobrem Dionyſodorus, ſi quæ ſunt dicit, vera prædicat, neque quicquam aduerſus te mentitur. Ita, inquit Cteſippus. Verum qui hæc loquitur, ô Euthydeme, non ea quæ ſunt dicit. Ad quem Euthydemus: Non exiſtentia non ſunt? Non, ait. Nuſquam verò, quæ non ſunt, exiſtentia ſunt? Nuſquam. Fieríne poteſt, vt aliquis circa ea, quæ non ſunt quicquã agat. vt illa faciat aliquis exiſtentia nuſquam? Nequaquam mihi videtur, Cteſippus ait. Quum rhetores ad populum concionantur, nihílne agunt? Agunt aliquid. Si agunt, ergo & faciũt. Sequitur, Ergo ipſum dicere, agere eſt, & facere. Conſenſit. Nullus igitur non exiſtentia dicit, faceret nanque aliquid: tu verò, inquit, confeſſus es impoſſibile eſſe, vt aliquis non exiſtentia faciat. Quapropter ſecundũ orationẽ tuã falſa nullus loquitur. Imò verò ſi loquitur

Dionysodorus, vera & existentia loquitur. Sic Euthydeme est. Ctesippus inquit. Nam existentia quidem dicit, non tamen ita vt se habent, dicit. Quî verò istthuc ais Ctesippe? Dionysodorus inquit. Súntne, qui res ipsas, vt habent se dicant? Sunt certè, respondit ille, viri boni præclari atque veridici. Quid porrò, inquit ille, bona nónne benè se habent? mala contrà, malè? Probauit. Bonos autè & præclaros viros, inquit, fateris res ipsas sic, vt habent, eloqui? Confiteor, inquit. Ergo boni viri, ô Ctesippe, malè mala dicunt. siquidem, vt sunt, enunciant. Maximè profectò, inquit, & de malis hominibus malè. Quorum de numero ne sis, cauendum est tibi, si mihi credis, ne boni viri malè de te loquantur. scis enim, quòd boni de malis malè dicunt. Hîc Euthydemus, Nûquid, inquit, & de magnis magnè, & de calidis calidè? Sûmopere, inquit Ctesippus. Et de frigidis frigidè loquuntur, aiúntque differere frigidè. Ibi Dionysodorus, conuitiare Ctesippe, inquit, conuitiare. Non per Iouem Dionysodore, inquit: nam te diligo, imò & amicè moneo, & persuadere contendo, ne vnquá corâ me ita rusticè loquatis, vt me dicas cupere eos perditos, quos habeo charissimos. Ego verò, vt accêsos intellexi, cû Ctesippo iocatus: decet, inquam, Ctesippe, vt mihi videtur ab hospitibúsque dant accipere, si modò impertire quicquâ velint, & non de nominibus alterari. Nam si ita perdere sciunt homines, vt è malis, & imprudentibus probos prudentésque faciat, seu ipsi perditionis eius inuêtores sunt, seu ab alio didicerunt, vt malû hominé exterminantes, restituere possint bonum: patet autè eos scire: dixerunt enim arté nuper sibi cõpa-

ratam,

ratam, qua bonos ex malis hominibus faciãt. Si hoc, inquam, sciunt, permittamus vtique, vt sic adolescentulum perdant, modò sapientem efficiant, imò etiã nosipsos illis ita curandos tradamus. Quòd si vos iuuenes reformidaris, in me certè velut * Care quodã artem suã pe- * Prou. In Care periculũ facere.
riclitentur, quippe ego, quandoquidem senex sum paratus ium periculum adire, & me Dionysodoro huic, quasi Medeæ Colchidi, dedo, vt dissoluat, & si velit elixet, vel aliud quodcũque exemplũ in me edat, modò virum efficiat bonũ Ctesippus quoque, Ego item, ô Socrates, inquit, hospitũ voluntati meipsum committo: & si me magis etiã excoriare velint, quã nunc excorient, modò pellis mihi mea non in vtrẽ, vt Marsyæ, sed in virtutem vertatur. Ac Dionysodorus quidem hic ipsi me succensere putat. ego verò minimè succenseo, sed oppugno, quæ in me dixit, non rectè. Tu verò Dionysodore, quòd reclamo, ne conuitiũ putes. Aliud est enim contradicere, aliud conuitiari. Hic Dionysodorus. Quæso, inquit, nũ ita de contradicendo loqueris, vt contradicere omnino aliquid esse putes? Maximè quidẽ, inquit Ctesippus. An verò tu id, ô Dionysodore, non putas? Atqui nunquã, inquit Dionysodorus, ostendes vbi alterũ alteri audieris contradicẽté. Vera loqueris, inquit. Sed nũnc audiamus ecquid Ctesippũ tibi Dionysodoro cõtradicẽtẽ ostendã. Hoc igitur, inquit, nobis promittis? Prorsus inquit. Sũtne, inquit, vnaquaq; de re sermones rationésque? Sunt, inquit. Num vt est vnaquæque res, an vt non est? Vt est, inquit. Si recordaris, inquit, Ctesippe, paulò antè monstrauimus neminem, quod non est dicere. Quod enim non est, nullũ posse dicere

constat. Quid tum? inquit Ctesippus. An prohibet, quo minus ego & tu contradicamus? Tu ille, vtrum, inquit, contradiceremus, si eiusdem vtrique rei rationem cogitemus? An non idem potius loqueremur? Consensit. An si neuter, inquit, quod res est dicat, contradicimus? an potius rem omnino non tenemus? Id quoque amisit. Num, inquit, quum ego quod res est dico, tu verò aliud dicis, tunc demum contradicimus? an potius, cùm ego quod res est, tu quod omnino res non est, dicis? Erit-que, vt non dicens contradicat dicenti? Ad hæc Ctesippus obmutuit. Ego autem miratus, quæ dicebantur: Qua, inquam, ratione istud Dionysodore ais? Equidem cum sermonem huiusmodi sæpenumero è multis audiuerim, semper admirari soleo: hunc siquidem Protagoræ sectatores, & his antiquiores frequenter vsurpare consueuerunt. Mihi verò semper mirabilis visus est, talisque, qui & alios, & seipsum pernertat. Reor autem veritatem ipsius me nunc abs te potissimum auditurum. Nũ enim istud vult, vt falsa dicere impossibile sit, oporteatque illum qui loquitur, aut vera loqui, aut omnino non loqui? Asseruit. Vtrum falsa, inquam, loqui quidem impossibile est, opinari verò falsa possibile? Ne opinari quidẽ, inquit. Ergo nulla est, inquã falsa opinio. Nulla prorsus. Neque insciti, inquã, neque homines inscij: quid enim non insciti sit, si quidem falli rebus possibile est? Omnino, inquit. Istud autẽ non est, inquam: Non certè, respondit ille. Confabulandine gratia, ô Dionysodore, hæc inducis, inquã, vt mirũ aliquid inferas? An reuera nullus tibi hominũ inscius esse videtur? Tu verò, inquit, refelle. An refelli quicquã po-

test,

test,inquã,si vt tu dicis, mentiri nemo potest, Nõ potest,inquit Euthydemus: nec illud Dionysodorus iussit, vt refelleres quo enim pacto quis quod non est,iubeat? Ego verò Euthydeme,inquã,scita hęc atq; præclara haud admodũ sanè disco,sed obiter attingo Erit igitur onerosũ fortasse quod rogabo,sed ignosce obsecro.[a] Vide amabo,si neq; mentiri quisquã potest, neque opinari falsa, neque inscius esse, nemo etiam dum agit,aberrare quicquam potest. Neque enim ab eo quod agat, aberret. Nunquid ita dicitis? Ita planè,inquit.Hæc est, inquam, grauis illa quæstio.Si enim non erramus vnquam, neque agendo, neque loquendo,neque etiã cogitando, quidnã vos huc docturi venistis? an non suprà prædicabatis, vos præ cæteris omnibus optimè posse virtutem tradere vnicuíque volenti? Vsque adeóne ô Socrates,absurdus es, inquit Dionysodorus,vt quæ à principio diximus,reminiscaris nunc:& si quid superiori anno dixerim nunc quoque sis recordaturus: his autẽ,quæ in præsentia dicta sunt,quid sis respõsurus,habes nihil. Quia difficilia sunt,inquã, haud iniuria. Sũt enim à sapientibus profecta.Equidẽ,& ei quod postremò dixisti,respondere difficilimũ est.Cũ enim dicis non habere me quod respondeã Dionysodore quid potissimũ inferre vis?an videlicet quod non habeam quo eam orationẽ cõuincam? Dic enim quid aliud verbum istud sibi vult,quòd nõ habeã, quod orationib. istis per me respondeatur. Num tu aliud dicis, inquit, quàm difficile esse respondere? Quare responde.Prius quàm tu respondeas,inquã,Dionysodore?Quid,nõ respõdes? ait,An par est?inquã. Par,inquit. Qua ratione? inquã,an fortè quia

[a] *Si nemò falsa opinatur, nemo errat, si nemo errat, nõ opus est virtutis magistro, quod si ita est, non opus est sophistis.*

ad nos facultate dicendi præditus aduenis, nostique quando respondendum sit, quando nó sit ideóque nunc respondes nihil, quòd respódere non decet? Ad hæc ille, Nugaris, inquit & quando respondere opórtet, & quando nó. Sed ô bone vir, obsequere, & responde ei quę ipse sapientem esse fateris.

a *Sophisma* παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. *Verba hoc sibi volunt. ergo verba intelligunt.*

a Parendũ est, inquam, ex necessitate vt appares, tu enim imperas. interroga igitur. Vtrũ, inquit animã habent, quæcunque intelligunt aliquid? an & anima carent? Habẽt, inquã Nostine, inquit, verbũ vllũ aliquod animã habẽs? Nullũ ego profectò, inquã. Cur itaque nuper interrogabas, verbũ quid sibi vellet? Non ob aliud, inquam, nisi ob ignauiam meã, quæ errare coegit. Fortasse verò non erraui, sed rectè loquutus sum, cùm verbis cogitationem tribuo. Tu verò vtrũ errasse me dicis, nécne? Si enim non erraui, neque tu nunc redargues, sis licet sapiens, nec habes quod opponas. Sin autẽ erraui, ne sic quidé rectè tu loqueris, quando dicis errare posse neminẽ. Atque hæc quidem non aduersus illa, quæ anno superiori dicebas, nunc adduco. Sed videtur mihi, ô Dionysodore, Euthydeméque, sermo hic eódem reuolui: & nunc etiam, vt & quondam solebat fieri, alios deiiciés ipse cadere.

b *Sermones, qui alia deiiciendo ipsi cadunt.*

b Quod quidé vt ne ipsũ accidat, ab illa arte vestra, licet circa criorem sermonum diligentiam admirabili, nondum videtur esse prouisum. Hic Ctesippus, mira dicitis, inquit, ô viri Thurij, siue Chij, seu quodcunque alius agnomen vendicare lubet: vtpote quibus delirare nihil curæ est. Ego autem veritus ne ad contumelias deueniretur, Ctesippũ rursus sic mitigaui: Eadem tibi, inquam, ô Ctesippe, nunc dico, quæ Clinię quoque

quoque dicebam Nescis enim quàm mirabilis sit horum hospitum sapientia. Nolunt autem data opera nobis illam ostendere prorsus, sed Protei Ægyptij illius sophistę more præstigiis quibusdam faliunt. Menelaũ igitur imitemur, neque mittamus antè quàm aperiant, quid [serio agant.] Pulcherrimũ enim quiddam exhibebunt puto, vbi cæperint serio agere. Quapropter exhortemur, atque votis supplices exoremus vt sese nobis ostendant. Sed exponendum rursus videtur, quales velim vt sese nobis exhibeant. b Conabor hinc, vbi suprà destitimus, continuare sermonẽ, si quo pacto eos prouocẽ, vt mei miserti, qui tam grauiter concitatus, & studio captus sum, rem deinde serio tractẽt. Tu verò Clinia mihi dic, vbinã orationẽ abtuperimus. nam, vt ego arbitror, hic hæsimus, vbi philosophandũ esse confitebamur, nónne? Profectò inquit. Philosophia verò scientię acquisitio? inquam. Certè, inquit. Quã itaque potissimum adipisci scientiam decet? inquã nónne, vt summam? im dicã, illã quæ nobis prodest? Illã ipsam, inquit. An ea sciẽtia maximè nobis prodesset, si sciremus quib in terris aurũ multum effoditur? Vtique, inquit. Atqui dudum id confutauimus, quia etiam si sine labore, & nõ effossã terra, omnia nobis essent aurea, atque adeò lapides ipsos aureos efficere possemus, tamen vilis esset & nullius prerij hæc scientia. si enim vti auro nescimus, nullam ad rem est vtile. non recordaris? Recordor, inquit ac maximè quidem. c Neque vlla vllius rei scientia, siue nũmularia, siue medicina, siue quæcũque alia vtilis est, inquam si facere tantũ docet, vti autẽ non docet. Nónne? Ita prorsus, inquit. Adeò, inquã vt si qua scientia immortales non

a *Proteus Ægyptius sophista.*

b *Continuat Socrates exemplar seriæ exhortationu ad virtutem, quod incæperat proponere Sophistæ.*

c *Nulla sciẽtia est vtilis, nisi eius rei quam docet aut efficit vsum ostẽdat.*

efficeret, vti verò immortalitate non doceat, inutilis sit prorsus, si qua superioribus fides est. Ita nobis hæc omnia videbantur. Hac igitur, inquam, scientia, ingenue puer, opus est, in qua operis, & effectio, & vsus conueniant. Apparet, inquit. Permultum igitur inter lyrarum fabros interest, & scientiam pulsandæ lyræ assecutos. Alia enim ars, quæ facit, alia quæ vtitur his rebus. Nam ars quæ fabricat lyram, & quæ lyram pulsat, longè inter se differunt, an non? Sic est, inquit. Neque rursus, inquá, tibiarũ effectrice opus est. Ea siquidé ab illa quę vtitur, differt. Sanè, inquit. Num fortè, inquam, componendæ orationis quærenda facultas, vt beatus euadas? Non arbitror, inquit. Quænam te ratio mouet? inquam. Noui equidé, inquit, quosdam orationum autores, qui orationibus hisce quas condiderunt, vti perinde sciunt, ac lyris fabri lyrarũ, qui in aliorũ vsum lyras construxerunt, quas & qui illis vtuntur, facere nesciunt. Constat similiter, & circa orationes aliam esse artem quæ condit, aliam quæ conditis vtitur, euidentissimo argumento ostendisse videris, inquam, artem illorum, qui componunt orationes ad beatitudinem nequaquá sufficere, quanquam sperabam hoc in genere scientiam, quam iam diu quærimus, inuenturos. Etenim isti orationum autores Clinia, [quoties cum illis versor,] supra mortales cæteros sapientes videntur, ipsáque eorũ ars diuina penitus atque excelsa. Neque mirũ. [a] Est enim incantatoriæ illius pars quædã illa haud multò inferior. Incantandi porrò facultas, viperarũ, aranearũ, scorpionũ, cæterarúque ferarũ, atque morborũ mitigatio est. Oratoria verò iudicũ, concionatorũ, aliarúmque turbarũ oblecta-

[a] *Oratoria ars, incantatrix, & hominum delinimentum.*

oblectamentũ quoddam & delinitio. An verò tu aliter sentis? Non aliter, inquit: sed ita prorsus vt ais. Quò ergo nos vertemus? inquam, & quam ad artem? Ambigo, inquit. At ego inuenisse arbitror, inquam. Quam? imperatoria ea potissimum videtur, quæ beatum adipiscentẽ facit. Mihi verò non videtur, inquit. Quamobrem? inquam. Quia venatoria quædam hominum ars, inquit, esse videtur. Quid tum? inquam. Quia nemo, inquit, venator venationis opus vlterius porrigit, quàm ad vestigandum capiendúmque: postquàm cõprehenderunt quod venabantur, vti nequeunt: sed & qui canibus vtantur, & qui piscantur, prædam coquis exhibent. Geometræ, item astronomi, logistæ, venatores quidã sunt. neque enim figuras descriptionésque faciunt ipsi, sed cùm sint, adinueniunt. [a] Cùm itaque vti illis ipsi nesciãt, venentur autẽ solùm, quicunque illorũ mente capti non sunt, sua inuenta dialecticis præbẽt, vt illi his vtantur. Eia pulcherrime, & sapientissime Clinia, inquã, sic est? Ita prorsus inquit. Atque eadẽ ratione duces exercitus, postquàm vel vrbem, vel exercitum occuparunt, viris ciuilibus prædam, & spolia tradunt. Nã ipsi his quæ comprehenderunt, vti nesciunt, quemadmodum aucupes, qui postquam cæperunt cothurnices, nutritoribus tribuunt. Si itaque ea arte indiges, quæ vel faciendo, vel venando quæsitis vti sciat, beatósque efficit possidentes, aliam quærere, quàm militarem oportet

[a] *Dialectica aliarum artium inuenta examinat.*

CRIT. Quid ais, ô Socrates? Nunquid adolescentulus ille talia dixit? SOCR. Non putas Crito? CRIT. Non per iouem. nam reor illum, si talia dixit, neque Euthydemi, neque alterius cuiuslibet hominis disciplina

vlterius indigere. SOC. Fortè verò Ctesippus hæc dixit, ego verò non memini. CRIT. Quis Ctesippus? SOC. Saltem hoc memini, neque Euthydemum attulisse hæc, neque Dionysiodorum. Sed, ô beate Crito, suspicor præstantiorem quempiã virum præsente hæc dixisse. Nam hæc me audiuisse non dubito. CRIT. Per Iouem, ô Socrates, excellentior aliquis ista protulisse videtur. Verum post hæc quã tandem artem scrutati estis? Inuenistisne quam quærebatis? an non? SOC. Vnde, ô beate, inuenissemus? Ridiculum quiddam accidat. Etenim puerorum more, qui galeritas siue alaudas insequuntur, vehementi quodam affectu singulas scientias persequebamur, ac semper quamcunque capere nos euestigiò putabamus, fallebat nos, repentéque subterfugiebat. Quid enim tibi multas enumerẽ? Regiã artẽ aggressi, ipsámque sumus contẽplati, essetne ea quæ beatos faciat. Sed velut in Labyrinthũ delapsi, si ad principium rursus reuertebamur, retrogredimus. CRIT. Quo pacto hoc accidit? SOC. Dicam: a visa nobis regia facultas est eadem esse cum ciuili. CRIT. Quisnam? SOC. Cùm res militaris ac facultates omnes reliquæ operum suorum imperium ciuili arti submittere viderentur, vtpote quæ sola vti sciat, nihil nobis impedimento fore putauimus, quo minus hæc esset quam quærebamus, & causa recte rempub. administrandi, & secundum illud Æschili lambicũ, puppi sola ciuitatis præsidẽs & gubernacula totius tenens, omnibus dominans, omnia vtilia reddẽs? CRI. An nõ recte visum vobis est Socrates? SO. Ipse iudicabis Crito, si audias

a *An regia facultas seu ciuilis hominibus felicitatem adferat.*

si audias quæ deinceps contigerunt. Rursus enim hunc in modum quærebamus. Age, ars illa regia omnibus præsidens, opus aliquod efficit, an non? Omnino aliquod, consensimus omnes. Nónne enim & tu hæc Crito concederes? CRIT. Absq; dubio. SOC. Quod ergo illius opus esse diceres? Vt si te rogem, Medicina dum dominatur omnibus quorũ domina est, quódnam opus exhibeat? an non sanitatẽ protinus responderes? CRI. Vtique. SOCR. Agricultura item vestra, dum omnibus quorum est domina, dominatur, quod opus facit? Alimentũ è terra porrigere inquies? CRIT. Equidem. SOC. Regia igitur facultas, cùm omnib. quorum est domina dominetur, quod opus explet? Fortè non est in promptu. CRIT. Non Hercle, ô Socrates. SOC. Neq; nobis, ô Crito, sed hoc saltem nosti, si hæc ea est quã exoptamus, vtilem esse oportere CRIT. Summopere. SOC. Nónne igitur boni aliquid afferre nobis eam necesse est? CRIT. Est omnino. SOC. Bonum autem nihil esse aliud quàm scientiam quandam ego & Clinias consensimus. CRIT. Ita certè dicebas. SOC. Opera verò ciuilis quidem gubernationis, cùm multa alia, tum hæc esse vel maximè vnusquisque fateatur, diuites facere ciues, liberos & concordes. [a] Hæc autem omnia neque bona, neque mala apparuerunt. Oportet autem eam vt constitit sapientes efficere, scientiámque tribuere, vt modò ea futura sit quę prosit, & beatos efficiat. CRI. Vera narras. Sic enim tunc inter vos constitit, vt ipse recensuisti. SOC. Nunquid regia disciplina sapiẽtes homines bonósq; facit? CRI. Quid prohibet Socrates? SOC. Nũ & omnes, & in omnibus bonos, omnémque scientiam ipsa prębet?

[a] *Diuitiæ, liberi & eiusmodi neque bona neque mala.*

coriariâ, fabrilem, & reliquas vniuersas? CRI. Haud equidem arbitror, ô Socrates. SOC. Ad quam scientiam? & qua in re iuuabimur? Operum quidem illorum quæ neque bona sunt, neque mala, opificem ipsam esse haud oportet. Scientiam verò aliam præbere nullâ quàm ipsam seipsam decet. Dicamus igitur quænam hæc sit, & quo iuuemur. Vísne eam dicamus, ô Crito, qua bonos facere cæteros possumus? CRI. Volo equidem. SOC. Boni quo concedent? quóve vtiles erunt? an dicemus quòd alios facient bonos? & illi ipsi alios item? quo autem boni sint, nusquam apparent, postquam illa quæ ciuilis artis opera dicuntur, reiecimus: planéque quod * prouerbio dicitur, Iouis Corinthus accidit, atque vt suprà dixeram, æquo interuallo, imò etiam longiori quàm antea ab eius artis inuentione distamus, quæ præstare nobis beatitudinẽ valeat. CRI. Per Iouẽ, ô Socrates, in ambiguitatem plurimâ incidisse videmini. SOC. Ego quidé, ô Crito, cum in hanc dubitationem mersus essem, quàm alta potui voce protinus exclamaui, hos pites Ilos tanquam Castorem & Pollucé Iouis filios suppliciter obsecrans, vt nos, me scilicet & adoleſcentulum ipsum è turbulenta fluctuatione sermonum eriperent, iociſque omiſſis, ſeria disputandi ratione nobis ostenderent quæ potissimum scientia sit, quam adepti, quod vitæ supereſt, feliciter transigamus. CRI. Nunquid monstrare vobis Euthydemus voluit? SOC. Quídni? Magnificè nimiũ, ô amice, hunc in modum affari cœpit. Vtrum te, ô Socrates, hanc quam iampridem quæritis scientiã, doceam, inquit? an habere ipsam te ostendam? O beate vir, inquam nunquid hoc potes? Valdè, inquit.

* Prou. Iouis Corinthus.

a Sophisma. Qui vnum aliquid scit omnia scit, quia fieri nõ potest vt idẽ simul sit sciens & nesciens.

inquit. Ostende igitur, inquam, me habere, facilius enim mihi istud quàm denuò hac in ætate discere. Dic age, inquit, scísne quicquam? Scio equidem multa, inquam, sed parua. Sufficit, inquit, putásne aliquid eorum quæ sunt, idipsum quod est, non esse? Nullo pacto, inquam. An non scire te aliquid asseris? inquit, Prorsùs. An non es sciens, si modò scis? Sum quidem, sed illius ipsius quod scio. Nihil refert, inquit. Non necesse est scire te omnia si qua eorum quæ sunt scis. Nō per Iouē, inquā, quandoquidem & alia multa minimè scio. Si quid nescis, inquit nónne es nescius? Illius ipsius, inquā, ô amice, quod nescio. Nihilominus nescius es, inquit, qui paulò antè scientē te esse prædicabas. Atque ita fit, vt ille ipse sis qui & es, & rursus nō sis, simul & secundū eadem. Esto, inquā, Euthydeme. Nā vt prouerbio fertur, Belle omnia dicis: qua igitur ratione, scientiam illā quā quærimus, habeo? quia videlicet impossibile est, esse idē atq; non esse. Vnde si vnū quiddā scio, cuncta scio: neque.n. esse possum sciens simul & nescius, quòd si omnia scio, illā quoque scientiā habeo. At non ita loqueris? & hoc est illud sapiens? Ipse te redarguis inquit, ô Socrates. Quid verò Euthydeme tibi, inquam, nónne idē contigit? nam mihi quidē non multum molestū est, quid & tecū & cum Dionysodoro hoc lepido capite patiar. Dic mihi, nónne & vos quædam scitis, quædam nescitis? Minimè quidem, ô Socrates, Dionysodorus inquit. Quid dicitis, inquam, an nihil scitis? Imò scimus, inquit. Omnia itaq; scitis, si aliquid scitis. Omnia certè, & tu quoq; scis omnia, si vnū aliquid scis. Prò Iupiter, inquā, mirabile dictu, & ingēs hoc bo-

num. Num & cæteri omnes sciunt omnia? vel nihil? Non enim dicendum videtur, scire eos aliqua, nescire alia, atque ita scientes esse simul & nescientes. Quid ergo, inquam, dicemus? Omnes, inquit, planè scire omnia, si quid vnum sciunt. Dij boni, inquam, nunc demum Dionysodore seriò loqui mihi videmini, & vix tandem vt serio ageretis, nunc impetrauit. Ipsi reuera scitis omnia? & fabrilè videlicet attem & coriariâ? Omnia prorsus, inquit. Nunquid & neruis suere scitis? Certè, inquit, & calceos quidem. An, inquam, & stellarum numerum, & arenæ? Et ista, inquit. Putas nos ista cõcedere, inquã? Hîc Ctesippus respondens, Concedature, inquit, ô Dionysodore, nobis aliquã talem adducite, qua vos vera loqui coniiciamus. Qualẽ? inquis. Sis inquit, quot dentes Euthydemus habet? atque Euthydemus quot tu habeas cognoscit? Nõ tibi fat est, inquit, quòd omnia scimus, audisse? Minimè, inquit, sed vnum hoc tantũ nobis ostendite, quòd vera loquamini. Nam si dixeritis quot dentes habet vterque, nobisq; postea numerãtibus, vera dixisse deprehendemini, cætera quoque vobis credemus. Illi verò cũ mordere Ctesippũ existimarent, respondere aliud noluerunt nisi quòd scirent omnia, de singulis à Ctesippo interrogati. Ctesippus siquidem aperte de vnaquaque re, vel minimis quibusque etiã turpissimis scisciatus est, num scirent. Illi autẽ forti animo pariter contrà respondérũt se omnia intelligere, instar aprorum qui contra ictum nituntur. Quamobrem ipse quoque, ô Crito, coactus sum denique Euthydemũ interrogare, an etiam saltare Dionysodorus sciret. Ille verò, consensit. Non tamen, inquam, super

enses humi inclinato capite transilire, & super rotam volui, tam grandis natu. Eóne sapientiæ promouit? Nihil est, inquit, quod nesciat. ²Tũ ego: num omnia nunc dantaxat cognoscitis? an & semper? Et semper. Nũ à tenera ætate statímque nati omnia cognouistis? Omnia responderunt simul vterque nobis vtiq; res incredibilis visa est. Tunc Euthydemus, nõ credis, ô Socrates? Excepto hoc solũ inquam, quòd verisimile est vos sapiẽtes esse. Et si mihi voles respondere, inquit, ostendã te quoque hæc mirabilia confitentẽ. Gratissimũ fit, si hunius me conuincas: si enim cum essem sapiens, nesciui hactenus, túque ostendes, & scire me omnia, & sciuisse semper, quod maius in vita lucrum nanciscí possem? Respõde iam, inquit, Tanquã respõsurũ, inquã, interroga. Nunquid alicuius scius, inquit es, ô Socrates, an nullius? Alicuius, inquam. An eodẽ scis quo scius es, an alio quopiã? Quo scius sum. Arbitror enim te animã dicere. Hánc ne intelligi? Nõ te pudet, inquit, ô Socrates, dum interrogaris vicissim interrogare? At quid faciã, inquam? Faciam equidẽ vtcunq; iuberis, cùm quòd quaeris ignorem. Iubes autem vt respondeam quidem, non interrogem. Cogitáne quoquo modo, inquit, id quod quæro? Equidẽ, inquã. Ad istud ergo respõde quod cogitas. Quid inquam, si tu alia mente interroges, alia ego respondeã, cùm aliud quàm tu conceperim, satisne tibi factum putabis, si nihil ad rẽ ipsam respondero? Mihi quidem sat erit, inquit, tibi non, vt arbitror. Tum ego, per Iouem nõ prius respondebo, quàm audiam. Non respondes, inquit, ad ea semper quæ mente concipis, quia nugaris Socrates, & rudiores ad modum

²*Sophisma. Qui omnia vel aliqua scit, eo semper illa scit, quo scit, & non alios ergo semper scit.*

quàm oporteat. Agnoui tunc illũ mihi iam subiratũ, quòd verba quibus me irretire studebat, distinguerem. Venit mihi præterea in mentẽ Conni, qui ipse quoq; sæpe mihi indignatur, quoties ei nõ cedo: deinde me spernit velut rudem. Postquam igitur cogitaui horũ doctrinæ me tradere, arbitratus sum obsequi oportere, ne quis eorum me vt ineptum & indocilem respuat. Quocirca & illi inquam, si tibi ita Euthydeme videtur agendũ ita agatur. Tu nanque me multò melius disputandi rationem intelligis, cùm artem hanc teneas, ego verò sim rudis. Ideóque interroga iterum ab initio. Responde rursus, inquit, vtrum scias aliquo quę scis, an nullo? Anima inquam. Hîc, ait ille, plus quàm rogatus sit, respondet. Non interrogo quo scias, sed vtrum scias aliquo, nécne. Ego inquam, ad hæc plus quàm deberat propter imperitiam meam respondi. Sed ignosce mihi obsecro. Respondebo iàm nunc simpliciter, quòd scio aliquo semper quæcunque scio. Vtrũ, ait, hoc eodem semper, an tum hoc, tum alio? Semper inquam, quando scio, hoc scio. Hîc ille, nondum præter rem respondere desinis? Ne fortè, inquam, hoc semper quod dicitur, nos falleret ita respondi. Nõ nos, inquit, dicas, sed te. Sed responde, vtrum semper hoc scias. Semper inquam, postquam ipsum. Quando oportet subtrahere. Nõnne semper hoc scis? semper autem sciens vtrum aliqua hoc scias, quo scis, aliqua alio, vel hoc ipso omnia? Hoc inquam cuncta quæcunque scio. Hîc rursus transgrederis Socrates. Excipiatur inquam quod dictum est, quæcunque scio. Vt excipias, inquit, nihil postulo, imò responde, possísne omnia scire, nisi scire omnia

a *Sophistæ omnia miscẽt & confundunt, nullásque volunt distinctiones admittere.*

omnia? Monstrum esset hoc inquã. Adiice tũc iam ait, quicquid lubet. Cuncta namque scire fateris. Sic videor inquam, postquam nullius momenti est illud scio. omnia autẽ scio, Nónne & semper confessus es scire hoc quo scis? siue quando scis, seu quomodocunq; placet. Semper enim scire es cõfessus, ac omnia simul. Constat ergo quòd puer sciebas, & quando genitus es, & quando natus, imò & antequã nascereris, & ante cœli terræque ortum sciisti omnia, si modò semper scis. Ac per Iouem semper scies, & omnia, si voluero. At voles, inquam, honorande nimium Euthydeme, siquidem omnino vera dicis. Sed posse te non multum confido, nisi idem tecum velit frater iste tuus Dionysodorus. sic enim fortè valebis. Dicite porrò. Cætera quomodo vobis non concedam, nescio, tã mirabili atque noua sapientia præditi estis quo minus ego omnia sciam, quando quidem vos asseritis. Talia quædam qua ratione scire me dicam Euthydeme? quòd videlicet boni viri iniusti sint. Dic enim mihi, sciónе istud, an nescio? Scis vtique, inquit. Quid inquã? Quòd viri boni iniusti non sunt. Iampridem sciebam hoc, inquam. Verùm non istud quæro, sed quod iniusti sunt viri boni, vbi didici? Nusquã, Dionysodorus ait. Non ergo inquam, hoc scio. Tunc Euthydemus ad Dionysodorum conuersus ait, Sermonem destruis, apparebitque iste si nesciat, sciens simul & nescies. Dionysodotus quidem erubuit, sed ego, Tu verò quid ais Euthydeme? Non videtur tibi frater tuus vera loqui, quum nouerit omnia? Frater ego sum Euthydemi, Dionysodorus ait. Mitte isthac inquam, ô bone vir, dum me Euthydemus docet,

quòd sciam viros bonos iniustos esse, neque hanc mihi doctrinam inuideas. Fugis, ô Socrates, ait Dionysodorus, neque vis respondere. Non iniuria, inquam, fugio: nam cùm alterutrò vestrûm sim imbecillior, cur nõ duos fugiam? Hercule quidem multò sum imbecillior, qui pugnare simul non valuit aduersus a hydram sophisticam, cui propter sapientiam pro vno sermonis capite amputato, multa repullulabant, ac etiam aduersus Cancrum sophistam quendam ex mari aduentantem, & nuper, vt arbitror, aductum naui: à quo cũ Hercules ad sinistram angeretur verbisque acriter morderetur, nepotis sui Iolai auxilium implorauit, qui summopere illi succurrit, meus autem Iolaus Patrocles si venerit, plus alterum præstiterit. Respondeo ergo, inquit, Dionysodorus, postquam ipse hæc prædicas, vtrum Iolaus Herculis magis fratris filius quàm tuus fuerit? Operæpretium fore arbitror, vt tibi respondeam Dionysodore. Neque enim desineres sciscitari & propter inuidiam quandam interturbare, ne Euthydemus sapiens illud me doceat. Respondeo igitur, inquit. Respondeo, inquam, Iolaum Herculis fratris filium fuisse: meum autem vt videtur, Nequaquam. Neque enim pater ipsi Patrocles fuit frater meus, sed aliquis nomine proximus Iphicles Herculis frater. Patrocles autem, inquit, tuus? Nimirum inquam, sed ex matre eadem, non patre. Frater ergo tibi erit, inquit, & non frater. Non eodem ex patre inquam, vir optime. Illius enim pater Chæredemus, Sophroniscus autem meus. b Pater autem, inquit, erat Sophroniscus atque Chæredemus? Omnino, ille meus, hic illius Nónne Chæredemus alius quàm pater erat?

a *Sophistica Hydræ Lernæa, quã debellauit Hercules, comparata.*

b *Sophisma aliud. Sophronicus esti pater Socratis, tamẽ per se erat quã pater si aliud erat, non erat pater ergo sine patre fuit Socrates.*

Alius

Alius scilicet quàm pater meus. Nunquid pater erat cum alius quam pater esset? An tu idem es quod lapis? Verebar inquam, ne idem te asserente viderer. Mihi verò non videor. Nónne igitur alius es quàm lapis? Alius certè. Quòd si alius es quàm lapis, non es lapis. Et si alius quàm aurum, non es aurum. Sic est inquam. An num eadem ratione Chæredemus quum alius sit quàm pater, pater non erit? Videtur, inquam, non esse pater. Ad hæc Euthydemus adiecit: haud pater est Chæredemus: rursúsque & Sophronisçus cùm alius sit quàm pater, non est pater. Quapropter sine patre es, ô Socrates. Sermonem verò susçipiens Ctesippus intulit. Pater autem vester cùm eadem ipsi contigerint, alius est quàm pater meus. Longè abest, Euthydemus ait: Num idem? Idem sanè. Non enim alioqui consentirem. Sed vtrum meus Euthydeme pater est, duntaxat an & cæterorum hominum? Et cæterorum insuper. Nunquid putas eundem hominem patrem existentem, non esse patrem? Putabam equidem, Ctesippus inquit. An & aurum inquit, aurum existens, non esse aurum? & hominem existentem, hominem non esse? Tum Ctesippus, non vt fertur, Euthydeme, lino linum connectis. Rem enim grauem dicis, si pater tuus pater est omnium. Est tamen, inquit. Vtrum hominum duntaxat, inquit Ctesippus, an equorum etiam, cęterorúmque animalium omnium? Omnium prorsus. An & mater tua, mater omnium? Et mater. Ergo tua mater echinorum marinorum mater est. Et tua, inquit. Et tu rursus frater es gobiorum, catulorum, & porcellorum. Et tu, inquit. Quinetiam tibi pater est canis. Et tibi insuper. Hic Dionysodo-

a *Sophisma aliud Socratis pater fuit & pater omnium non solùm hominũ sed & animantiũ. alioqui pater & nõ pater fuisset quod esset absurdum.*

rus, Si mihi respondere Ctesippe voluerisfa-
ciam vt ista concedas. [a]Dic age, est tibi canis?
Et malus admodum canis, Ctesippus ait. Ha-
bet catulos? Tales habet multos. An non illo-
rum pater est canis? Prorsus: vidi namque illū
cum cane matre coeuntem. Nónne tuus est
canis? Est. Nónne igitur pater existens, tuus
est? Quare tuus pater fit canis, túque cæulo-
rum frater. Sed nequid Ctesippus prius obii-
ceret, repentè adiecit Dionysodorus. Paulùm
quid vltrà respondè. Canem hunc verberas?
Arridens Ctesippus ait, verbero, te autem ne-
queo. An non igitur tuum patrem verberas?
Longè, respondit, iustius esset vt patrem vestrū
verberarem, qui frustrà adeò sapientes filios
genuit. Sed nunquid, ô Euthydeme, multa bo-
na ex vestra sapientia vester & catulorum pa-
ter est consecutus? Neque ille bonis multis in-
diget, ô Ctesippe, neque tu. Neque tu etiam Eu-
thydeme, neque alius quisquam hominum, in-
quit. Dic etenim Ctesippe mihi, vtrum bonum
esse censeas, vel ægrotanti pharmacum bibere
quando indiget, an non? vel homini pugnatu-
ro bonum esse vt armatus prodeat, an iner-
mis? Arbitror equidem, inquit, nempe expecto
aliquid abs te egregium. Ipse videbis optimè,
inquit. Verùm respondè, postquam confessus
es bonum esse, quando res postulat, pharmacū
bibere, nunquid hoc bonum quàm plurimum
oportet bibere? optimúmque erit si quis te-
rat, & infundat poculo hellebori tantum,
quantum curru aliquo vehitur? Prorsus ita,
Ctesippus ait, si tantus sit qui bibiturus est,
quanta est statua Delphica. Nónne similiter
& in bello, inquit, si bonum est armis indui,
plurima arma habenda sunt, iaculorúmque &

[a] *Aliud sophisma canē habes qui habet catulos: ille canis est tuus, & pater est catulorū ergo pater tuus.*

clypeorum circunferenda est sarcina? quandoquidem id bonum est. Et maximè quidem, Ctesippus ait. Tu verò non putas Euthydeme, sed vnum duntaxat iaculum, & vnum clypeũ esse ferendum? Equidem, inquit. Num ita Geryonem, inquit, Briareúmque armares? ego autem putaui robustiorem te esse, sociúmque similiter istum, vtpote viros armigeros. Euthydemus quidem tacuit. Dionysodorus autem aduersus ea quæ primum Ctesippus responderat, intulit: [a] Bonum tibi esse videtur aurum habere? Valdè quidem, respondit Ctesippus. An non & habere pecunias semper atque vbique? Maximè inquit. Nónne bonum esse aurum confiteris? Confessi iam sumus. Semper ipsum habere, & vbique oportet, & in seipso quàm maximè? Beatissimus is esset, qui tria auri talenta in ventre haberet, talentum vnum in cranio, staterem autem, id est nummum quendam, & pondus auri in vtroque oculo. Ferunt inquit Ctesippus, ô Euthydeme, [b] apud Scythas eos felicissimos optimósque viros esse, qui in sui capitis ossibus aurum multum continent, quemadmodum tu paulo antè canem dicebas patrem. Quódque magis est mirum, suis in craniis deauratis bibunt, & hæc introspiciunt, verticem frõtémque suam manibus attollentes. Ad hæc Euthydemus, [c] Vtrum Ctesippe vident & Scythæ, & cæteri homines quæ possunt videre, vel quæ nõ possunt? Quæ possunt planè. Nónne & tu? Et ego similiter. Vidén' nostras vestes? Video. Possunt igitur hæ videre. Mirificè, Ctesippus ait. Quid porrò? inquit. Nihil. Ipse verò non putas has videre? vsque adeo iucundus es vir? Videris mihi Euthydeme quodammodo extra som-

[a] *Sophisma. Bonũ est aurum habere, ergo vbique & in omnib. partib. corporis bonum est habere aurum.*

[b] *Scythæ in craniis hostium deauratis bibere soliti.*

[c] *Sophisma aliud: Homines vident ea quæ possunt videre, vident vestes, ergo vestes possunt videre.*

num obdormisse, posséque te puto dicentem, nihil dicere. Et tu hoc facere videris. Nunquid impossibile est a Dionysodorus ait, tacentem dicere? Impossibile, Ctesippus inquit. Dicentem verò tacere? Possibile multo minus. Quando igitur lapidem dicis, nónne tacentem dicis? Et quando lignum & ferrum similiter. Haud silere tibi ferrea concedam, Ctesippus ait. nam si quis pulset, sonare illa quidem, & reboare dicuntur. Quare quàm nihil dicas propter sapientiam, hic non satis amaduertisti. Sed quod restat, ostendite, possibile videlicet esse, dicentem tacere. Certè mihi visus est tunc vehementer Ctesippus propter amicum contendere. Quando siles, inquit Euthydemus, nónne omnia siles? Equidem. Nónne & rem quamlibet dicentem silesne? siquidem illa quæ dicunt, in numero omnium computantur. Quid verò? interrogauit Ctesippus, non silent omnia? Non ait Euthydemus. An loquuntur omnia, vir optime? Imò certè, quæ loquuntur. Non istud quærebam, inquit, sed vtrum omnia sileant vel loquantur. Tunc subripiens sermoné Dionysodorus ait, Neutra, & vtraque. Certè enim scio te quid huic responsioni obiicias, ignoraturum. Statim Ctesippus, vt solet, effusus in risum clamauit, O Euthydeme, tuus frater sermonem in vtranque partem transtulit, & perdidit, & victus est. Clinias quoque admodum delectatus arrisit. Quare Ctesippus gestiens longius quàm decuplum lætitia creuit. Visus autem mihi est Ctesippus vtpote veterator hæc ipsa illis per astutiam extorsisse. Neque enim sapientia talis apud alios est nostri temporis homines.

a Sophisma, ἆρ' ἔτι σιγῶντα λέγειν

Post hæc ego, Quid, inquam, rides, ô Clinia, in

rebus

rebus tam seriis,támque pulchris? Sed ad me conuersus Dionysodorus. Tu verò aliquando rem pulchram vidisti Socrates?Multas equidê Dionysodore.Nunquid alias quàm ipsum pulchrum?an easdem?Ego verò passim hæsitaui, nec iniuria me id perpessum fuisse sum arbitratus,quippe qui tacere diutius nõ potuerim. Respondi tamen alias esse quàm ipsum pulchrum,pulchritudinem tamen singulis quandam adesse. Si tibi adsit bos inquit, nunquid ipse bos eris?& quia ego tibi nûc adsum, Dionysodorus es?Bona,inquam,verba quæso. Sed ille,Quo pacto alterum adest alteri cùm alterum sit,& alterum? Nunquid tu , inquam , de hoc dubitas?Nempe iam illorum imitari sapiẽ tiam contendebam , vtpote cupiditate illius accensus.Cur non dubitem,inquit, & ego , & cæteri omnes de eo quod nequaquam existit? Quid ais Dionysodore? nónne pulchrum pulchrum est,turpéue,turpe?Si mihi videatur, inquit,Nónne videtur?Prorsus inquit.Nónne & idem,idem est inquam, & alterum similiter alterum?non tamen quod est alterum idem? At ego nec puerum quidem suspicari hoc arbitrabar,quin quòd alterum est,sit alterum.Verùm ô Dionysodore,sponte id omisisti. [a]Videmini autem mihi tanquam artifices, quibus conuenit peragere singula,disputandi rationem decore transigere atque tradere.Nostin',inquit, qui singulis opificibus peragere cõueniat?Principio quidem scis quem deceat ære cudere?Fabrum,inquam æratium. Quem verò luto fingere?Figulum. Quê rursus iugulare atque excoriare,& in frusta incisas carnes assare,vel elixare?Coquum.Nónne quisquis conuenientia facit,recte facit?Maximè inquam. Cõuenit

[a] *Sophisma in vitiosa distinctione orationis positum.*

autem,vt ais,coquum inquit,concidere & excoriare. Concessisti hæc,nécne? Concessi,inquam,sed ignosce precor. Constat igitur, inquit, siquis iugulans & incidés coquum elixet assétue,conuenientia facere. Quinetiam si quis fabrum ærarium ære cudat,& figulum fingat, decentia similiter operabitur. O Neptune inquam,iam sapientiæ illi vestræ colophonem imposuisti. Nunquid ista mihi quandoque sic aderit vt propria fiat? Cognoscerésne,inquit, ipsam,ô Socrates,propriam iam effectam?Si ipse velis,inquam ego quidem.Quid porrò inquit,tua putas cognoscere? Equidem,inquam, nisi fortè tu aliud dixeris. Abs te namque oportet incipere,in hunc autem Euthydemum desinere. [a] An non tua illa esse putas,inquit, quorum es dominus?tibíque vti arbitratu tuo licet,vt boues & oues? hæc ne tua existimas, quæ vendere potes atque largiri, & cuiùs deorum vouere? quæ verò non potes, non tua?Ego verò arbitratus præclaram aliquam inde quæstionem exoriturum, & audiendi auiditate protinus inflammatus, prorsus ita est inquam. talia nempe quædam mea sunt. Nunquid animalia,inquit, nominas illa quæ animam habent? Illa ipsa inquam. Fateris igitur ex animalibus illa duntaxat esse tua,circa quæ potes hæc omnia facere quæ modò dicebam? Fateor inquam.Hîc ille ironicè admodum seipsum continuit,quasi magnum quidam contemplaturus, deinde ait, Dic age mihi,ô Socrates.Estne tibi Iupiter patrius?Atqui ego suspicatus eò rediturum esse sermonem quò deuenit, & per ambiguum quoddam diuerticulum secedens, rete quo velut implicitus iam eram,effugi,respondíque, Non est, ô Dio-

[a] *Sophism. Animalia tua sũt, quæ potes vẽdere & alienare: sunt tibi Dij patrij, qui tui sunt & animalia: ergo tu illos potes vendere.*

Dionysodore. Miser, inquit, homo es, neque Athenienſis, cui neque dij patrij ſunt, neque ſacra, neque aliud quicquam præclarum atque magnificum. Mitte, inquam, iſta Dionyſodore, ne malè omineris, neque acriter erudias. Sunt enim mihi & aræ, & ſacra domeſtica patriáque, & alia quæcunque id genus Athenienſibus adſunt. Cæteris, inquit, Athenienſibus eſt patrius Iupiter? Non eſt, inquam, apud Ionas talis cognatio, neque apud eos qui hac ex vrbe manarunt, neque apud nos, ſed Apollo patrius propter Ionis genituram. Iupiter autem nobis patrius non vocatur, protector vrbis tamen & curator tribus eſt dictus, & tribus curatrix Minerua. Sat eſt, inquit Dionyſodorus. Eſt enim tibi, vt videtur, Apollo, Iupiter & Minerua. Omnino. An non tui iſti erunt dij? progenitores videlicet, atque domini? Nónne tu? An non tuos eſſe confeſſus es? Confeſſus ſum, inquam, quid tum? Nónne animalia iſti dij ſunt inquit? Conceſſiſti porrò quæcunque animam habent, animalia eſſe: iſti verò dij non habent animam? Habent vtique, inquam. Sunt igitur animalia? Sunt certè. Et animalibus autem illa tua eſſe dicebas, quorum apud te eſſe poteſtas, vt pro arbitrio venderes, largireris, diſſque dicares. Recuſare Euthydeme non poſſum, quin iſta conceſſerim. Statim ille ſic intulit, poſtquam tuum eſſe Iouem, tuóſque eſſe & alios fateris deos, licétne tibi vendere illos atque largiri, & pro libidine tua, vt animalia cætera quæ tua ſunt, tractare? Ego igitur Crito tanquam ſermone percuſſus, obmutui. Cteſippus autem ſuccurrere mihi conatus ait, Papæ. prò Hercules, præclarum ſermonem. Ad quem Dionyſodorus.

Vtrum Hercules papæus est, an papæus Hercules? Tunc Crefippus ait: Pro Neptune, fortes durósque sermones! Desiste iam. Inexpugnabiles viri sunt. Hîc profectò amice Crito, nullus præsentium continere vltrà se potuit, quin illorum orationem laudibus summis extolleret: & hospites illi Dionysodorus Euthydemúsque risu, plausu, & lætitia exultantes gestiénsque ferme resoluti sunt. In superioribus namque dum singula proferebantur, soli eorũ sectatores protinus applaudebant. Hîc autem penè ipsæ quoque Lycæi columnæ conclamare, plaudere, gestiréque videbantur. Ego quidé sic affectus fui vt astererẽ, nullos vnquam homines pari sapientia me vidisse. Atqui & illorum sapientiæ penitus mancipatus laudare illos & celebrare summopere cœpi. O viri, inquam, ob miras dotes naturæ beati! quippe qui rem tantam tam facilè, támque breui tempore absoluistis. Multa quidem & alia sunt in vestris sermonibus Euthydeme Dionysodoréque præclara, in quibus id præcipuè magnificum est, quòd nulla vobis cura est, aut vulgi, aut etiam illustrium hominum, aut qui aliquo in pretio habentur, sed similium duntaxat. Equidem certò scio paucos esse qui id genus sermonum diligant, & eos quidem vobis similes: cæteri autem sic illos ignorant spernúntque vt erubescant vehementius, si cæteros illis conuincant, quàm si ipsi ab aliis conuincantur. Hoc præterea populare & mansuetum vestri sermones habent: quòd quum dicitis rem nullam bonam esse vel malam, neque albam, neque aliud quicquam talium, neque omnino aliquid ab aliis aliud: reuera quemadmodum gloriamini, hominum ora planè ob-

obstruitis. Quia verò non aliorum tantùm o-
ra, sed vestra insuper, gratiosa res est: & ser-
monis odium offensionémque audientium
diuitatis. Maximum verò hoc est, quòd hæc
vsquè adeò vobis artificiosè sunt adinuenta
atque instituta, vt breui cuilibet tradere va-
leatis. Cognoui equidem, & Ctesippo mentem
adhibeo, consideróque quàm subitò imitati
vos cœperit Huius rei mysterium quàm ocys-
simè docere possè præclarum est, neque tamè
operæpretium fore videtur, vt coram multis
hominibus disseratis: imò verò, si mihi credi-
deritis, cauebitis prorsus ne in multorum cœ-
tu loquamini: ne fortè quamprimum ista
percipientes, gratias nequaquam habeant. Ista igitur inter vos tantùm inuicem communicate, neque alius quisquam ea nisi argento exposito audiat. Idem quoque si sapitis, vestris discipulis consuletis, ne vnquam cum aliis quàm secum atque vobiscum de his loquantur. [a] Quòd enim ratum Euthydeme, id honorandum. Aqua enim vilissimo pretio emitur, cùm res sit natura pretiosissima, vt ait Pindarus. Sed agite, inquam, Cliniam hunc méque suscipite.

[a] Quod ratum id honorandum.

CVM hæc, ô Crito, & alia quædam breuia disseruissemus, abiuimus. Delibera igitur qui mecum vnà ad hos viros accedas. Nam pollicentur omnes se docturos, quicunque argentum dare parati sint, neque ingenium vllum vel ætatem excipiunt. Quòd verò tibi maximè audire expedit, aiunt rei familiaris augendæ curam nihil prohibere, quo minus quiuis sapientiam illorum facilè percipere possit. CRI. Equidem, ô Socrates, audiendi cupidus sum, & libentissimè discerem.

Videor tamen & ipse eorum vnus esse qui Euthydemi similes non sunt, sed illorum potius quos tu paulò antè dicebas, qui captiunculis huiusce modi redargui malunt ab aliis, quàm alios redarguere. Enimuerò ridiculus essem, si admonere te pergerem. Nihil tamen prohibet quæ ex iis qui cœtu soluto à vobis discesserunt, audiui, tibi nunc referre. Deambulanti mihi obuius factus eorum quispiam, qui in iudicialibus causis excellere plurimum æstimantur. O Crito, inquit, nihil ex istis sapientibus audiuisti? Nihil per Iouem, inquam. Audite enim me affectantem frequens turba tumultúsque prohibuit. Res tamen, inquit, auditu digna. Cur, inquam? Vt audisses eos homines disputantes, qui in hoc sermonum genere cæteris præstant. Ad hunc ego, Quid tibi visum est inquam? Quid aliud, inquit ille, quàm quę semper ex iis hominibus audiuntur, dum nugantur, ac de rebus nullius momenti indigno quodam studio inuicem altercantur? nominatim hac oratione est vsus. Tunc ego, Verùntamen gratiosa res est philosophia. Quàm gratiosum, inquit, ô beate, quod nullius est pretij? Atqui si paulò antè interfuisses, erubuisses vt arbitror, amici tui & sodalis causa. qui vsque adeò ineptus erat, vt seipsum tradere hominibus cuperet, quibus nihil pensi est quid loquantur, sed singula captant, obiiciúntque vocabula. Et hi vt suprà dicebam inter præstantissimos huius temporis habentur. Atenim, ô Crito, & studium hoc vilissimum est, & qui in eo versantur, ridiculi. Mihi quidem, ô Socrates, haud rectè rem ipsam improbare visus est ille, vel quisquis alius improbet. Quod autem in cœtu multorum cum talibus viris disputare

disputare quis studeat, meritò vituperasse ille mihi videtur. SOC. O Crito, admiratione digni sunt hi viri. Verùm nondù quod dicturus sum, noui. Quorum ex numero erat qui tibi obuius philosophiam vituperabat? Vtrù orator quispiam ex his qui in iudiciali concertatione valent? an ex iis qui tales edunt conscriptúntque orationes, quibus oratores in iudicio certant? CRI. Minimè quidem orator, neque arbitror illum in iudicio vnquam orasse, sed rem ipsam iudicialem optimè intelligere ferunt, & elegantes orationes componere. SO. Teneo iam. Atqui & ipse idem modò dicturus eram. [a] Nempe hi sunt, ô Crito, quos Prodicus inter philosophum, ciuilémque virum confines statuit. Putant hi quidem se esse omnium sapientissimos, & videri præterea tales apud quàm plurimos: solos autem philosophos impedimento sibi esse, quo minus ab omnibus æquè probentur. Censent itaque si communem aduersus philosophos opinionẽ hanc diuulgent, quòd nullius prætii sint, sine controuersia sapientiæ gloriam se apud omnes summã reportaturos. Esse nanque se reuera sapientissimos, sed in priuatis sermonib⁹, quum [intercipiuntur ab Euthydemi sectatoribus se retundi] aduersantur, impediri. Quòd verò sapientes sint, ex eo consentaneum videri volunt, quòd satis habeant philosophiæ, satis etiam ciuilis peritiæ, & quantum oportet, sint vtriusque participes, & extra turbulẽtos ciuilium negotiorum tumultus positi, sapientiæ fructibus iucundè fruantur. CR. Nunquid dicere aliquid, ô Socrates, tibi viri isti videntur? SOC. Nequaquam. CRI. Veruntamen horum hominum sermo habet aliquid veri-

[a] *Sophistæ, qui per vrbes sapientiæ magistros se profitebãtur certam exigendo mercedẽ à suis auditorib. hic describuntur.*

mile. SO. Habet, vt dicis, ô Crito, verisimilitudi
nē potius quàm veritatē. Neque facilè illis per-
suaderi potest, quòd & homines & cætera om
nia quæcunque duorum quorundam media
sunt, & vtrorunque participant, ita se habeant,
vt quæ ex malo & bono sint hoc quidem me-
liora, illo deteriora fiant: aquæ verò ex duob.
bonis non ad idem conducentibus, vtrisque
deteriora ad opus illud peragendum, ad quod
spectant vtraque illa quibus fit cōpositio. Quę
autem ex duobus malis sint constituta, non ad
idē tendentibus, hæc sola meliora sunt vtrisq;
illis, quorum participant. Si ergo philosophia
bona est, & ciuilis actio bona, sed ad aliud at-
que aliud vtraque conferens, & hi vtrorunque
horū participes, vtrorunque in medio sunt cō-
stituti, nihil dicunt. nam vtrisque deteriores
sunt. Sin autē vnum quidem horum bonum,
malum verò alterum, hoc quidem meliores, il-
lo deteriores. QUÒD si vtrunque malū, ita de-
mum vera dicerent, aliter verò nequaquā. Ne-
que verò confessūros illos arbitror mala esse
vtraque, neque vnum quidem bonum, malum
verò alterum. Sed profectò vtrorunq; hi par-
ticipes vtrisq; ineptiores sunt ad illud, ad quod
philosophia & ciuilis actio pertinet, & cū ter-
tium locum teneant, primum vsurpare nō du-
bitant. Ignoscendum illorum desiderio, neque
indignandum, tales tamen sunt censendi, qua-
les & sunt. Nam vnūquēq; diligere debemus,
qui modò prudentiæ particeps aliquid dicit,
& viriliter peragit. CR. Equidem, ô Socrate,
vt sæpe tecum loquor, ambigo qua ratione fi-
lios meos educem. Minor quidē natu tenerior
est adhuc quàm exigat disciplina: Critobolus
autem adultus est iam, & aliquo indiget cuius
opera

a *Bonum cū bono cōiunctum, si ad eundem finē illa duo bona non tendunt, minus est quā simplex bonum.*

opera proficiat. Quoties tecũ loquor, ita prorsus afficior, vt existimem insaniã esse filiorum gratia in multis aliis occupatum esse, vt circa coniugium, nempe qui ex matre generosissima nascantur, deinde vt amplum illis patrimoniũ relinqueretur, [a] illorũ autem educationem negligere. Verùm cùm ad eos respicio qui eruditè homines profitentur, absterreor, mihíque consideranti vnusquisque illorum longè ab ea re quam prædicat, alienus esse videtur. Et vt verum tibi fatear, non habeo quo pacto filium meum ad philosophiã exhorter & prouocem. SOCR. [b] O amice Crito, an ignoras, in quouis studio viles & nullius pretii homines permultos esse? probos verò paucos, eósque maximo in pretio habendos esse? Nónne tibi videtur pulchrum quiddam esse gymnastica, mercatura, rhetorica, res militaris? CR. Mihi certè. SO. Nónne vides in vnaquaque harũ artium multos ad opus vnumquodque ineptos & deridendos? CRIT. Ita est, ac vera nimium loqueris. SOCRA. Ergo hac de causa studiáne fugies omnia, & illa filio dissuadebis? CRI. Haud decet, ô Socrates. S O. Caue ergo ne quod dedecet, agas, ô Crito. Mitte curam hanc, vtrum boni sint homines philosophiæ studiosi, vel mali: rem verò ipsam diligenter examina. Si inquirenti res praua vidébitur, non solum filios, sed omnes homines absterreto. Sin autem tibi talis, qualis & mihi appareat, sequere eã viriliter & exerceatque ad idem studium filios cohortare.

[a] *Liberorum educatio quanta cura esse debeat.*

[b] *Pauci in singulis artibus alicuius pretii.*

HIPPIAS MINOR, VEL, DE MENdacio.

Marsilii Ficini Argumentum.

MIRIFICA Socratis Platonisque nostri bonitas cũ diligentissimè multis vbique modis prouideat ne iuuentus credula subdolis sophistarum aucupiis capiatur, captáque perdatur, non iniuria Hippiam Eleum sophistarum insolentissimum atque fallacissimum duobus dialogis agitat, Maiore videlicet atque Minore. In Maiore quidem Hippiam demonstrat rerum professorem pulcherrimarum omnino quid ipsa pulchritudo sit ignorare. In minore verò eundem se iactantem quòd ante alios mendacem à verace discernat, ostendit in vtriusque definitione prorsus errare: vt pateat Hippiam, vt omnium arrogantissimus est, ita & ignorantissimum esse, atq; inepissimum apparere. Mitto nunc quod eũ vt mos est sophistarum, iactabundum & temerarium auarúmque depingit: & cùm promittat omnia, in omnibus dantem verba, nihil verò præstãtẽ: cũque maximis glorietur, vel in minimis claudicãtẽ. Sed vt ad mẽdacis veracísque definitionẽ redeamus, mendax ritè describẽdus erat, qui maximè velit, vtcũq; possit sciátque, mẽtiri. Verax aũt cõtra, qui maximè velit vtcũque possit & sciat, vera loqui. At Hippias inertissimus artiũ magister omniũ, cõfusissimúsque veracis mẽdacísque discretor, ordine definit oppositio, dicitque mẽdacẽ qui maximè possit sciátque mẽtiri quotiescũque voluerit: Veracẽ verò, qui quãdocũque voluerit queat & sciat vera loqui. Vnde cogitur primũ fateri mẽdaces esse potẽtes, sciẽtes, prudẽtes, sapiẽtes. Deinde & bonos ad illa ad quæ potẽtes sint atque sapientes.

piẽtes. Tertiò per artes singulas deducẽdo cõpellitur in qualibet tã re quã arte fateri eũdẽ esse veracem atque mẽdacẽ, quod negauerat ab initio. Siquidẽ, in qualibet ille qui optimè callet, idẽ maximè potest & scit pro arbitrio vera loqui pariter atque mentiri. Quartò ad cõcedẽdũ inducitur veracẽ nihilo meliorẽ esse mẽdace, quãdoquidẽ quã sufficiẽs bonúsq; est verax ad loquẽdũ vera, tã sufficiẽs bonúsq; appareat mẽdax ad mẽtiẽdũ. Posthæc Socrates sophistã in ambiguitatẽ adducit, vter delinquat grauius, nũ q̃ mẽtitur volẽs, an q̃ nolẽs? Id verò sophista nescit soluere, neq; Socrates q̃dẽ soluere vult sophistæ. Est aũt ita soluẽdũ. In his q̃dẽ quæ ad inlligẽtiã pertinẽt minus errare q̃ mentiũtur sponte: in his aũt quæ ad mores spectãt, errare magis. Eũ verò q̃ nolẽs dicit mẽdaciũ cõtrà se habere. Deinde ambigitur vtri magis errẽt, nũ q̃ dedita opa, an qui infirmitate vel ignorãtia peccãt: ꝓbatúq; longis inductionib. ambagib. in his quæ ad naturã & artẽ, illarũq; instrumẽta pertinẽt. grauius esse vitiũ vel impotẽtia vel ignoratione cõmissũ, q̃ malitia ꝑpetratũ. Siq̃dẽ naturæ bonũ in ipsa potẽtia, bonũ verò artis in hac ipsa, atq; insuper in cognitione cõsistit. Malũ igitur in oppositũ. Ex his aũt extra ꝓpositũ Socrates Hippiã ad mores trãsfert, cõcludẽs idẽ in genere morũ, quod & in natura artísq; genere. Quod q̃dẽ etsi intelligit Socrates fieri nõ debere, studet tamẽ declarare sophistã id nequaquã animaduertere. Profecto in his quæ ad voluntatẽ morésq; ꝑtinẽt, grauius delinquitur malitia, id est quadã voluntate peccãdi, q̃ si vel per impotentiã, vel ꝑ ignorãtiã delinquatur. Postremò Socrates iustitiã esse dicit vel potẽtiã, vel sciẽtiã, vel vtrũq;. Addere sciebat, sed nolebat tertiũ, scilicet vel voluntatẽ. Iustitia .n. maximè in voluntate cõsistit. Id verò declarare voluit latere sophistã. Sed iã argumentum superiorib. ꝑceptis his cõcludamus. Docendum fine

inu dia. Absque rubore discendum. Gratia semper habenda docenti. Aliena inuenta sibi nõ vsurpãda.

EVDICVS, SOCRATES, HIPPIAS.

TV verò quídnã taces Socrates,cũ tã multa Hippias hic [ad doctrinæ suæ specimẽ ostenderit.]Cur non aut comprobas dictorũ aliquid, aut redarguis si quid minùs rectè dictũ tibi videtur? præsertim cùm & ipsi inferiores discesserimus, qui nobis nõ mediocre philosophiæ studiũ vendicamus? SO. Sunt Eudice nõnulla ex his quæ circa Homerũ dicebat Hippias.de quib. percontari cupio. Audiui equidẽ ex Apemãto patre tuo, [a]Iliadẽ apud Homerum eò præclarius poema esse Odysseã, quòd Achilles Vlyssẽ præstantior. In Achillem nanq; poema vnũ,in Vlyssem alterũ aiebat esse cõpositũ. De hoc ergo sciscitari ab Hippia,si modò ei placet,affecto, vtrũ illorũ hominum præstantiorẽ asserat,postquã alia multa ac varia de Homero,cæterisq; poetis sunt nobis [ab illo declamata.] EV. Nulla prorsus inuidia prohibebit quin Hippias interrogãti respondeat. Respõdebis nécne Hippia,si quid socrates quærat? HI. Haud rectè agerẽ Eudice,si nũc Socratis interrogationẽ fugerẽ, qui solitus sim semper ex Elide patria ad Olympica festa,quò Græci ad cõmunẽ celebritatẽ vndiq; confluũt, me cõferre,[b] ipsumq;me ibi apud templũ præbere cuiq; declarantẽ quodcũq; demonstrari quis cupiat,& ad interrogationes singulas respondentẽ. SO. O quã felix tibi sors cõtigit Hippia, si adeò cõfisus animi sapientia quilibet Olympiade ad sacrum aduentas. Mirarer profectò si quis circa corporis exercitationẽ athleta illuo certa-

a *Ilias præstantius poema Odyssea.*

b *Hippias paratus ad omnium de quacũq; re dubitationes audiendas & expediẽdas.*

certaturus accederet tã corporis viribus, quàm tu mentis subtilitate confisus. HI. Meritò sic affectus sum Socrates: nã ex eo tẽpore quo cœpi in Olympicis exerceri, neminẽ reperi adhuc me aliqua in re superiorẽ. SO. Præclarũ hercle quod ais Hippia, atq; hæc gloria tua & Elæorũ ciuitati & parentibus erit quoddã sapientiæ monimentũ. Verùm quidnã de Achille & Vlysse iudicas? Vtrum horũ præstantiorem & qua in re putas? Porrò dũ multi intus essemus, túq; discrepares, quædã me verba subterfugerunt: piguit tamẽ perquirere, tũ quòd turba erat intus plurima, tũ etiã ne orationi tuę impedimento forẽ. Nũc verò postquã pauciores sumus, & Eudicus hic quærere iubet, liquidius nobis ostẽde quòd de his viris dicebas, quóve pacto diiudicabas. HI. Volo equidẽ Socrates apertius quã tũc in præsentia referre, quę de his & de aliis sentio. Homerũ asserò omniũ quæ ad Troiam peruenerunt, optimum virum finxisse Achillem, sapientissimum Nestorẽ, apprimè versutũ multiformẽq; Vlyssem. SOC. Papæ ô Hippia, an mihi in hoc gratificaberis? ne me videlicet rideas? si ad percipiendũ tardior fuero, ac sæpius requisiuero? Dignare mihi obsecro libenter ac facilè respondere. HIP. Turpe quidem esset ô Socrates, cùm alios eadẽ docẽã, & pro iis pecunias exigam, si tibi quærenti nõ indulgerem, nec læto animo responderẽ. SOC. Præclarè admodũ loqueris. Equidẽ cũ optimũ virum Achillem fictum fuisse dicebas, sapientissimũ Nestorem, visus mihi sum quod dicetes intelligere. Cùm verò Vlyssem versutum & multiformem, vt verum fateat. quid significare velles, non intellexi. Atque mihi d casu fortè enim hinc magis percipiam: nunquid &

Achilles ab Homero multi formis versutúsque inductus fuerit, nécne? HIPP. Minimè ô Socrates, sed simplex omnino. Quoniam in supplicationibus ipsis cùm eos disceptantes inducit, ita aduersus Vlyssem loquentem facit Achillem.

Iliad. 9. *O multum generose doli fabricator Vlysses,*
Conuenit intrepidè me vestra refellere dicta.
Vt fieri debere puto, fallacibus ipsum
Ne me sedentes hinc obtundatis & illinc.
Is magis est queniam quam nigri ianua Ditis
Ipse suis nobis, aliud qui pectore claudit,
Inde palam profert aliud quodcunque videtur.
Aßt ego nunc dicam, credo velut esse futurum.

His in carminibus morem vtriusque declarat, Achillem esse veracem atque simplicem, Vlyssem versutum atque mendacem. Hæc siquidè apud eum Achilles aduersus Vlyssem infert. SOC. Videor iam quod ais, ô Hippia, intelligere. Versutum enim mendacem vocas, vt apparet. HIP. Maximè quidem ô Socrates. Talem nempe Vlyssem sæpe & in Iliade, & in Odyssea fingit Homerus. SOC. Ergo existimauit Homerus alium quidem esse veracem virum, alium verò mendacem, neque vtrunque eundè esse. HIP. Quid prohibet Socrates? SOC. An idem & ipse censes Hippia? HIP. Maximè omnium. Nimis enim errarem, si aliter ipse sentirem. SOC. Homerum quidè igitur mittamus, cùm ab eo sciscitari non liceat, quæ eius fuerit in condendis his carminibus sententia. Posthàm verò tu causam suscepisti, tibíque ea videtur quæ dicere Homerum asseris pro Homero simul ac teipso respondè. HIP. Fiet interroga paucis quod lubet. SO. Mendacésne vocas illos qui

qui facere aliquid nequeant, vt inualidos defessósve, an eos qui facere aliquid possint? HIP. Potentes maximè quidem, cùm in aliis multis, tum etiam in decipiendis hominibus. SOC. Potentes itaque sunt secundum sermonẽ tuum, atque versuti, nónne? HIP. Certè. SOC. [a] Versuti verò sunt & subdoli stoliditate quadam & imprudentia? an astutia potius atque prudentia? HIP. Astutia maximè omnium atque prudentia SOC. Prudentes ergo sunt, vt videtur. HIP. Valdè per Iouem. SOC. Prudentes verò cùm sint, ignoránte quod faciunt, an sciunt? HIP. Imò scientes maximè. Nam ob hoc alios seducunt. SOC. Cùm ergo scientes sint harum rerum quas sciunt, vtrum insipientes sunt, an potius sapientes? HIP. Sapientes videlicet in his ipsis ad decipiendum. SOCR. Siste obsecro, repetamus dicta, vt quid dicas, inspiciamus. Mendaces esse ais, potentes, prudentésque, scientes item & sapientes circa illa de quibus mendaces? HIP. Aio. SOCR. Alios autem veraces esse, alios contrà mendaces atque hos inter se longè contrarios? HIP. Aio & ista. SOC. Ex hoc ergo sequitur, vt mendaces ex potentiũ sapientiúmque numero sint. HIP. Maximè. SOC. Cum verò dicis potentes & sapientes esse mendaces ipsos ad eadem, vtrum dicis potentes esse ad mentiendũ si velint, vel impotentes ad ea quæ mentiuntur? HIP. Potentes equidẽ. SOC. [b] Vt ergo summatim dicamus, mendaces sunt qui ad mentiendũ potentes sapientésque sunt. HIP. Planè. SO. Ergo qui vir mentiri nequit, neque scit quicquam, non erit mendax. HIP. Sic est. SOC. Potens autẽ est qui facit quod vult, & quando vult, haud morbo vel quibusdam talibus impeditus, inquam,

[a] *Versuti qui.*

[b] *Mendaces qui.*

verùm quemadmodum tu meum nomen, quotiescunque vis, scribere potes, ita nunc interrogo. An non hominem sic affectum, potentem vocas? HIP. Sanè. SOCR. Dic ó Hippia, nónne es numerandi computandíque peritus? HIP. Maximè omnium. SOC. Siquis ergo te percontetur ter septingenta quantum compleant numerum, nónne, modò velis, omniũ quàm ocyssimè atque maximè de his respondebis? HIPP. Prorsus. SOCR. Nunquid ex eo quod circa ista potentissimus & sapientissimus es? HIPP. Nempe. SOC. Vtrum sapientissimus es ac potentissimus duntaxat? an etiam circa eadem optimus, circa quæ sapientia & potentia præstas, hoc est in numeris computandis? HIPP. Et optimus insuper Socrates. SOC. Vera itaque de his præ cæteris maximè dicere posses, an non? HIP. Reor equidem. SOC. An & falsa circa eadem? Age nunc Hippia, vt & suprà generosè magnificéque respondeas. Si quis quærat ter septingenta quot sunt, tũne magis de his mentiere, sempérque secundum eadẽ falsa de his pronunciabis, mentiri, & nũquam vera proferre volens? an qui numerorum ignarus est, poterit magis mentiri quàm tu, etiam si mentiri voles? an contrà potius ignorans sæpe dum volet falsa proferre, vera fortè præter animi sententiam proferet, quia rẽ ipsam ignoret: tu verò quũ sapiens sis, semper dũ mentiri voles, similiter mentieris? HIP. Est, vt dicis. SOC. Mendax itaque vtrũ circa talia mendax est, non tamen circa numeros, neque de numero mentietur? HIP. Imò & circa numeros. SO. Ponamus igitur hoc Hippia, circa cõputationem ac numerũ aliquẽ mendacẽ. HIP. Certè. SO. Quis hic erit? necesse est vt mẽtiri

tiri possit, vt ipse dicebas, si mendax futurus est. Nempe abs te dictum est, si recordaris, eum qui mentiri nequeat, non esse mendacem. HIP. Recordor equidem, atque ita dictum. SOCR. Nónne paulò antè constitit te esse ad mentiendum in computandis numeris potentissimum? HIP. Ita dictum fuit & istud. SOC. Num & quàm maximè es ad vera proferenda de numeris iisdem potens? HIP. Valde. SOCR. Idem ergo potest maximè in computando vera loqui, atque mentiri: is autem est qui bonus est in numeris videlicet computator. HIPP. Sic omnino. SOC. Quis igitur alius Hippia in computando fit mendax, nisi qui ad idem bonus? Hic enim potens, hic & verax. HIP. Apparet. SOCRA. [a] Cernis eundem veracé esse in his atque mendacem, & nihilo meliorem mendace ipso veracem esse. iidem nanque sunt, neque valdè contrarij, vt nuper existimabas. HIP. Haud certè nunc in his apparet. SOC. Vísne in aliis quoque consideremus? HIP. Vt lubet. SOC. Nónne es & geometriæ petitus? HIP. Sum. SOC. An non idem in geometria contingit? idem falsa quàm maximè de figuris pronuntiare potest, qui & vera. Est autem is geometra. HIP. Profectò. SOC. An alius ad hæc præter hunc bonus? HIP. Non alius. SOC. Nónne bonus ac sapiens geometra vtraque potest? Et si quis alius in figuris mendax, is maximè qui in iisdem est bonus: hic siquidé potés, malus autem ad mentiendũ impotens, neque vnquá fit mendax qui est impotens mentiẽdi, vt est concessum. HIP. Sunt hæc. SO. Tertiũ insuper inspiciamus astronomum, quã ipse artẽ magis etiam quàm superiores, soles Hippia

[a] *Is circa vẽ vnamquã- que falsum dicere optimè potest qui rem illam maximè nouit. & circa ipsam verum proferre potest.*

profiteri, sic ne? HIP. Sic certè. SOC. An non eadem in Astronomia contingunt? HIP. Consentaneum est ô Socrates. SOC. Quare & in astronomia si quis alius mendax, is erit maximè, qui bonus astronomus. Is nanque mentiri summopere potest, neque enim qui impotens est: is enim inscius est. HIP. Sic apparet. SOCR. Idem ergo & in astronomia verax erit & mendax. HIPP. Videtur. SOC. Age Hippia, passim ita per omnes scientias cogita, num ita sit, an aliter. nam ante alios omnes plurimis artibus es ornatus. Quemadmodum ego te quando-que [in foro inter mensas commemorantem & iactabundè prædicantem multiplicem tuam & maximè optandam sapientiam:] quum diceres te quondam Olympiam adiisse, & omnia quæ habebas corporis ornamenta propriis manibus confecisse. a Primò quidem annulum quem habebas (hinc enim cœpisti) tuum fuisse opus, quasi esses sculpendi peritus quinetiã sigillum quoddam tuum opus, & strigilem & vasculum vnguentarium similiter opus tuum, soccos quinetiam tuis consutos manibus, pallium & interulam abs te contextam. Quódque admodum mirabile visum est, & singularis sapientiæ indicium, eingulum dicebas ostendisse te opus tuum perficis pretiosisque simile. Item tua quædam poemata, epicos versus, tragœdias, dithyrambos, & orationes plurimas, variásque liberioribus numeris compositas: præterea te illa quæ in superioribus commemorabam ante alios omnes, tenere, & in rythmis harmoniisque & descriptionibus rectis, ac in cæteris generis huius permultis, si rectè recordor, excellere. At verò prætermiseram tuæ memoriæ artificium, quo pollere

a *Hippias omnis artificij peritus.*

mirum

mirum in modum mihi videris. fortè verò & alia multa sum oblitus. Verùm quod dixi, & in tuas (quæ multæ nimis sunt) & in aliorum artes respiciens, dic age, si repereris vnquam ex his quæ inter nos concessa fuerunt, mendacem & veracem diuersos, neque eundem existere. In qualibet autem sapientia calliditatéve, vel quomodocunque appellare iuuat, quære. Sed nunquam ô amice, inuenies: neque enim est vsquam: quod si est alicubi, dicas. HI. Haud in præsentia inuenio Socrates. SOC. Neque inuenies posthac, vt arbitror. Si autem vera loquor, recordare Hippia, quid ex superioribus sequitur. HIP. Non satis aduerto quod loqueris Socrates. SO. Nihil opus est in præsentia memoriæ artificio? patet enim quòd non putas oportere, sed ego tibi in memoriam reducam. Recordaris dixisse te Achillem virum fuisse veridicum, Vlyssem verò mendacem atque versutum? HIP. Vtique. SOCR. [a] Nunc autem sentis eundem apparuisse veracem esse atque mendacē. Ideóque si mendax erat Vlysses, erat & verax. Item si véridicus Achilles, erat & mendax: neque differentes hi viri inuicem, neque contrarij, imò similes extiterūt. HIP. Sempet quidem Socrates, captiunculas tales contexis, & occupans quod in sermone molestissimum est, ad hoc instas, & minima quæque contractas, neque aduersus totā rem ipsam de qua est sermo, contendis. Nanque si velis, nunc pluribus argumentis sufficientique ratione ostendam tibi Homerum, Vlysse meliorem Achillem veracémque finxisse: Vlyssem verò subdolum, & in pluribus mentientem, atque Achille deteriorem. At si tibi placet, cum mea orationem tuam compara,

[a] *Redarguitur Hippias & quos antea dissimiles esse dixerat, nunc cogitur fateri similes esse.*

qua ostendas alterum meliorem esse: atque ita præsentes hi magis intelligent, vter nostrûm rectius loquutus fuerit. SOCRATES. Haud istud dubito, vel contendo Hippia, quo minus me sapientior videaris. Verum consuetui semper, quum aliquis de re aliqua disputat, diligenter attendere, præsertim quando qui loquitur sapiens esse mihi videtur. Tunc sanè auidus intelligendi quod dicit, percontor, expendo, atque æstimo, vt clarius dicta percipiam. Sinautem, dicentem ipsum parui facio, neque requiro ab eo quicquam, neque quid dicat, attendo. Atque hac ipsa coniectura comprehendes, quos æstimem sapientes. Cernes enim me verba illorum accuratissimè auscultantem, sciscitantémque ab illis, vt aliquid discendo in vita proficiam. Et nunc quidem quum dicta tua animaduerterem, quibus illorum carminum testimonio Achillem ostendis aduersus Vlyssem, vt tractabundum dicere, mirum quiddam mihi visum est, si vera dixeris. Quoniam Vlysses ipse versutus, mendacij nullius redargui potest: Achilles autem versutus & varius secundum sermonem tuum esse videtur: mentitur enim. Nam cùm ea pronunciasset carmina, quæ tu nunc recensuisti,

Iliad. 1. *Is magis est quoniam quàm nigri ianua Ditis*
Infensus nobis, aliud qui pectore claudit,
Inde palàm profert aliud quodcunque videtur.

Paulò pòst addit, quòd neque ab Vlysse, neque ab Agamemnone persuadebitur, neque ad Troiam manebit.

Sed cras ipse Ioui reliquisse vbi sacra parato
Cœlicolis, curuo collectas littore naues,

In

In mare deducam. prima quas luce videbis
Nare per Helles pontiacum mare piscibus aptum:
In quibus aspicies, cupias modò visere fortes
Edoctósque viros remis incumbere. nam si
Neptunus ventis implebit vela secundis,
Tertia frugiferis Phthiæ tux sistet in oris.

Item supra aduersus Agamemnonem iurgans ait, Iliad. 2.

Naubus ecce domum nigris quia præstat, abibo
In patriã Phthiãneque enim mes optat vt hic te
Diutiùs repleam validis inglorius armis.

Hæc fatus, tum coràm omni exercitu, tum ad eius amicos nusquam apparet, vel se ad opus accingere, vel naues trahere, vt domum reuersurus, imò parum admodum curare, vt reuera sint quæ loquitur. Equidem Hippia ab initio te rogaui, quum ambigerem vter horum apud Poetam præstantior habeatur, putarémque vtrunque virum optimum esse, & difficile cognitu vter horum excellat magis mendacio, & veritate, aliáque virtute. Ambo enim in hoc quàm proximi sunt. HIP. Haud rectè discernis ô Socrates. Nam quæ mẽtitur Achilles, non ex insidiis, sed inuitus propter exercitus causam mentiri videtur, coactus restare atque succurrere, Vlysses autem sponte ac dolo. SOC. Decipis me carissime Hippia, ipséque imitaris Vlyssem. HI. Minimè omnium Socrates: quídnam dicis? & qua ratione? SO. Quoniam Achillẽ ais non ex insidiis mentiri, qui vsque adeò seductor erat atq; insidiator præter ipsam iactantiam, sicut fingit Homerus, vt tantò esset Vlysse calidior, vt ipso nõ animaduertente coram eo contraria sibiipsi loqui auderet, Vlyssémque falleret. Quocirca aduersus eum nihil inferre videtur Vlysses,

vtpote qui mendacium non aduertit. HIP. Quænā ista dicis ô Socrates? s o c. Nescis quòd posthea ad Vlyssem inquit prima luce se dicessurum: ad Aiacem verò non ita, sed aliter? HI. Vbinam? s o c r. His in carminibus,

Iliad. I. *Diri nulla prius belli me cura tenebit,*
Hectora quàm Priami natum vemisse sub armis
Myrmidonũ classem & tentoria longa petentem
Audiero, premat Argiuos qui Marte subactos,
Quique rates ignem post hæc iaculetur in ipsas.
Hectora nanque meas naues, aut castra furẽtem
Haud reor auersum dubio contingere bello.

An cẽses Hippia vsque adeò obliuiosum fuisse Thetidis filium à Chirone sapientissimo eruditum, vt quum paulò antea in vanos istos iactatores vehementissima oratione inuectus esset, ipse confestim Vlyssi quidem quasi sui ipsius oblitus dixerit nauigaturũ, se, Aiaci verò commoraturum: potius quàm insidiatorem [& qui Vlyssem pro antiquo & deliro homine reputans,] commentitiis machinamentis & dolis se longè potétioré illo fore speraret. HI. Haud dolo dixisse ista mihi videtur Achilles, ìmò ipsa simplicitate persuasus, aliter cũ Aiace quàm cum Vlysse fuisse loquutus. Vlysse autem, seu vera, siue falsa loquatur, semper insidias tendit. s o c. Melior ergo, vt videtur, est Vlysses Achille. HI. Minimè ô Socrates. s o c. An non suprà visi sunt qui spõte mendaciũ dicũ, meliores esse quàm qui non spõte? HI. Quóná pacto Socrates, qui scientes iniuriã faciunt, volentes insidiantur, & lædũt, meliores esse possunt, quàm qui hæc præter sententiã faciunt? quandoquidẽ multum ignoscitur illi qui per ignorantiam iniuriam infert, mendacium loquitur, vel aliud quicquam committit mali:

legésque

legéſque in eos ſeuerius animaduertunt, qui volẽtes mala faciunt, mentiuntúrq; quàm qui nolentes. SOCR. Vides Hippia vera me loqui, quum dico accuratum eſſe me ad ſapientum virorum interrogationes: quúmq; in cæteris valdè deficiã hoc tantùm habeo boni a Quæ enim natura ipſa rerum ſit, neſcio, quod hinc maximè coniectare licet, quia quoties cum aliquo veſtrũ loquor, qui opinione excellitis ſapientiæ, teſtéſq; doctrinæ Græcos omnes habetis, ſcire nihil appareo. Nunquam enim idem mihi, vt ita dixerim, ac vobis videtur. Quod autem euidentius eſt inſcitiæ argumentum, quàm ſi quis à ſapientibus viris diſſentiat? Mirificũ tamen hoc habeo bonum, quòd me ſeruat, quoniã ſine rubore verecundiæ ad diſcendũ me præparo. Rogo autem ac ſciſcitor, gratiámq; ingentem habeo reſpondenti, nec vlli vnquam ingratus extiti, neque apud auditores vnquam vendicans mihi aliorum inuenta, ſed docẽtem laudibus ſemper extollo, illíq; apud omnes quę ſua ſunt, tribuo. Atqui & nunc quæ dicis ipſe, nequaquam admitto, imò longè diſſentio, & hoc mea culpa contingere certè ſcio: quippe qui talem eſſe me fatear qualis ſum, ne me extollam. Mihi quidem Hippia omnino contrà ac tibi videtur. Opinor ſiquidẽ eos qui ſponte lædunt homines, iniuriam inferunt mentiuntur, decipiunt, delinquunt, meliores eſſe his qui non ſponte. Nonnunquã vero contra iudicio, & circa hæc oberro, vtpote qui rem ipſam ignorem. Ecce nunc animi morbus me quidam inuaſit, videntúrque mihi qui propoſito circa aliquid peccant, meliores eſſe, quàm qui præter ſententiam errant. Huius autem mali ſuperiores

a *Ironiæ Socraticæ in ſigne exemplum.*

sermones causam duco, quibus sit, vt in præsentia existimem eos qui non sponte peccant, deteriores esse his qui sponte. Ergo tu mihi ignosces, nec vlla inuidia te detineat, quin animum meum cures. Meltò mihi maius beneficium conferes, si insciti a liberaueris animum, quàm si ægritudine corpus. Si hoc velis multis verbis efficere prædico tibi hunc in modum te minimè curaturum, neque enim assequar. Sin autè ita vt suprà, respondere volueris admodum mihi proderis, spero autem tibi hoc haud noxiũ fore. Meritò verò te nunc inuocabo Apemanti fili. Nam ipse me induxisti, vt cum Hippia disputarem. Quare si nunc Hippias respondere noluerit, pro me ipso intercedito. EV. Nihil opus esse arbitror meis ad Hippiam precibus Socrates. Neque enim [ciusmodi sunt quæ præfatus est:] imò se libenter omnibus respondurũ est pollicitus. Nónne hæc sunt Hippia quæ dicebas? HIP. Dicebam equidem. Verùm Socrates hic, ô Eudice, semper dicentes interturbat, & quasi præstigiator quidam esse videtur. SOC. O vir optime Hippia, haud sponte hæc facio, essem vtique lapsus. Verùm præter sententiam ago, quamobrem ignosce mihi. Ais enim non sponte peccanti ignoscendum esse. EV. Haud aliter facias Hippia, sed nostri gratia, & propterea quæ tibi dicta sunt, respondeas ad ea quæ interrogat Socrates. HIP. Respondebo equidem, cùm tu roges. Pete ergo quod lubet. SOC. Vehementer cupio Hippia, quod modo dictum est, cõsiderare, vtri meliores sint an qui sponte volentésque peccant, an qui contrà. Spero autem hunc in modum rectissimè posse consi-

derari.

derari. Respondeiam. Vocásne cursorem aliquem bonum? HIP. Equidem. SOC. Et malum? HIP. Ita. SOCR. Nónne bonus qui bene currit, malus qui malè. HIP. Certè. SOC. An non qui tardè currit, malè currit? qui autem velociter, bene? HI. Proculdubio. SOC. In ipso itaque cursu celeritas quidè bonum, tarditas autem malum? HIP. Quid tum? SOC. Vter ergo cursor est melior? vtrũ qui sponte currit tarde, an qui secus? HIP. Qui vltrò SOC. Nónne currere est aliquid facere? HIP. Facere vtique. SO. Facere autè aliquid operari? HI. Profectò. SO. Ergo qui malè currit, malum hoc, & turpe operatur in cursu. HIP. Malũ. [illegible]ídni? SO. Malè autem currit, qui tardè currit. HIP. Sane. SOC. Nónne igitur cursor bonus de industria malum hoc, & turpe operatur, malus præter propositum? HIP. Videtur. SOC. In cursu igitur deterior est qui præter voluntatem agit mala, quàm qui volens. HIP. In cursu plane. SOC. Quid autem in palæstra? vter luctator est melior? num qui dedita opera cadit? an qui inuitus? HIP. Qui dedita opera. SOCR. Ita videtur. Peius autem ac turpius in palæstra cadere, an deiicere? HIP. Cadere. SOC. Et in palæstra igitur qui studio mala agit, & turpia, melior luctator est, quàm qui imbecillitate atque inertia. HIP. Videtur. SOC. Quídnam in omni reliquo corporis vsu? nónne qui corpore robustior atque aptior est facere pro arbitrio vtraque potest, tam quæ robusti homines sunt, quàm quæ debilis, & pulchra & turpia? Quapropter qui habitu corporis præstat, quoties malè secundum corpus facit, volens efficit; imbecillis autem inuitus. HI. Videtur quoque idem circa robur contingere.

SOC. Quid verò de ipsius figuræ concinnitate dicendum? nónne formosioris meliorisq; corporis est, impensa opera turpes figuras [expri-mere,] deformis autem contrà? quid tibi videtur? HIP. Quod & tibi. SOCR. Figuræ itaque concinnitas voluntaria ad virtutem corporis attinet, contraria verò ad vitium. HIP. Apparet. SOC. De voce verò quid ais? Vtram meliorē asseris? ex animíne voluntate dissonam, an ex inertia? HIP. Ex animi voluntate. SOC. Alteram verò peiorem. HIP. Absque dubio. SOC. Vtrum bona optas habere an mala? HIP. Bona. SOC. Vtrum eligeres pedes habere qui dedita opera claudicarent, an qui inuiti? HIP. Eos planè qui de industria. SOC. Claudicatio pedum nónne vitium est atque deformitas? HIP. Est. SOCR. Hebetudo autem nónne vitium est oculorum? HIP. Vitium SOCR. Vtros igitur potius oculos eliges, eósne quibus spōte quis confusè videat vel peruersè inspiciat, an contrà quibus nolens malè aliquis videat? HIP. Eos quibus volens. SOC. Ex his verò quæ tua sunt, pōtiora censes illa quæ malè agunt sponte quàm quæ inuita. HIP. Eiusmodi quædam videlicet. SOC. An non & reliqua omnia, aures, nares, os, omnésque sensus ratio vna comprehendit, quæ docet sensus præter propositum peccantes, eligendos esse nunquā, vtpote qui praui sint: eos autem qui ex instituto, tanquam bonos, potius eligendos? HIP. Mihi quidem videtur. SOC. Quorum verò instrumētorum melior vsus? Vtrum quibus volens aliquis errat, an quibus nolens? Ceu gubernaculum, vtrum melius illud quo de industria quispiam malè gubernet, an quo inuitus? HIP. Quo de industria. SOC. Nónne ar-

cus

eus similiter,& lyra,& tibiæ,ac cætera omnia. HIP. Vera loqueris. S O C. Vtra equi anima ad possidendum melior, eáne qua sponte quis malè equitet,an qua inuitus? HIP. Qua sponte. S O C. Est itaque melior. HIP. est. S O C. Melior igitur equi. animæ mala huius animæ opera volens quis faciet, contraria verò cõtrà. HIP. Omnino. S O C. Nónne eadem de anima canis cæterorúmque animalium ratio? HIP. Eadẽ. S O C. Vtrius autẽ sagittatoris animã tanquam melioré eligeres? Illiúsne qui volens aberrat à signo,an illius qui nolens? HIP. Illius qui vltrò. S O C. An non hæc ad sagittandi artem melior? HIP. Melior. S O C. Quare anima quæ aberrat insciа, deterior est ea quæ sciens aberrat. HIP. In sagittandi videlicet facultate. S O C. Quid verò in studio medicinæ? nónne quæ medendo debita opera mala quædam corporibus infert, quo ad medicinæ artẽ pertinet, peritior est, quàm illa quæ per ignorantiam peccat? HIP. Planè. S O C. Ergo hæc in medicinæ arte est melior. HIP. Melior. S O C. Vtra verò ad citharam pulsandã, vel inflandas tibias, & alia vniuscuiusque artis, vel scientiæ opera est instruction, nonne ad hçc & melior? & si quando præter artem malè quid facit, de industria facit: quæ verò deterior, præter sentẽtiã? HIP. Apparet. S O C. Seruorũ autẽ animas eligemus potius quæ scientes circa ministeriũ peccant, quàm quæ ignorantes, quasi ad hæc opera meliores? HIP. Sanè. S O C. [a] Animam verò nostrã nónne quàm optimam exoptamus habere? HIP. Nempe. S O C. An non melior erit, si sponte mala facit atque delinquit, quàm si nesciat? HIP. Graue id esset, ô Socrates, si qui sponte iniuriã faciunt, meliores

[a] *Animam sponte peccãtem meliorẽ esse ea quæ inuita peccet vide quibus argumentis probet Socr.*

essent his qui non sponte. SOCR. Ex his tamen quæ suprà dicta sunt, sequi videtur. HIP. Mihi verò nequaquam. SOCR. Putaram Hippia idem tibi quoque videri. Responde igitur iterum. [a] Iustitia nónne vel potentia quędam est, vel scientia, vel vtrunque? An non necesse est aliquid horum esse iustitiam? HIP. Necesse. SOCRAT. Si potentia quædam animæ iustitia est, potentior anima, iustior erit? Melior enim, ô vir optime, hæc talis nobis apparuit. HIP. Apparuit. SOCR. Quid verò si scientia iustitia sit? Nónne quæ sapientior anima, illa iustior? quæ insipientior, contrà iniustior? HIP. Ita est. SOCRAT. Quid si vtrunque? An non quæ ambo hæc habet, scientiam scilicet & potentiam, iustior erit? quæ scientiam non habet, iniustior? Nónne ita rem se habere necessarium est? HIP. Apparet. SOCR. Quæ verò potentior, & sapientior est, ea melior apparuit esse, & ad vtraque tam pulchra quàm turpia circa quamlibet actionem peragenda paratior? HIP. Certè. SOCR. Quoties itaque turpia facit, volens facit propter artem atque potentiam. Hæc autem, vel ambo, vel alterum, ad iustitiam pertinet. HIP. Videtur. SOCRAT. Enimuerò iniuriam inferre, mala facere est: nõ inferre, bona. HIP. Sic est. SOCR. Nónne ergo potentior ac melior anima, quoties iniustè aget, sponte aget? Praua autem contrà? HIP. Apparet. SOCR. Nónne vir bonus, qui animã habet bonam? Malus contrà, qui malam? HI. Absque dubio. SOCR. Quamobrem boni viri est, sponte iniuriam inferre, mali autem non sponte, siquidem bonus vir animam bonam habet. HIP. Habet quidem. SOCR. Si quis est igitur hominum qui sponte aberret, turpiá-

que, &

[a] *Virtus vel potẽtia quædam est, vel scientia, vel vtrumque.*

que,& iniusta committat, haud alius est, ô Hippia,quàm vir bonus. HIP. Concedere tibi ista non possum,ô Socrates. SOCR. [a] Neque ego ipse mihi Hippia,veruntamen ex superiori sermone necesse est in præsentia nobis ita videri. At verò vt suprà dicebam circa hæc semper sursum deorsúmue deerro, nec in eadē persisto sententia, neque mirum est me, meíque similes, rudésque homines ad contraria circumuagari,& si sapientes vos oberretis. Id autem nobis graue malum, si neque etiam ad vos profecti errare cessemus.

[a] Ironia.

CHARMIDES, VEL, DE TEMPERANTIA.

Marsilij Ficini Argumentum.

STudium Socratis in hoc dialogo est, omnes quidem ad temperantiam cohortari. Quoniam verò temperantiam sapientia prudentiáque comitatur, ideò Plato sæpe alibi,& in hoc dialogo sub ipsō temperantiæ nomine sapientiam quoque vult,& prudentiam contineri. Sapius autem quid sit temperantia quæritur, quod euidem neque Charmides neque Critias vnquam absoluit. Ille enim non temperantiam propriè, sed quæ comitantur eam, adducit in medium: hic autem quæ ad prudentiam magis pertinent: & id quidem semper inepiè, videlicet vt declaretur non esse cuiuslibet de virtute tam præclara disserere. Interea nota priscos sacerdotes consueuisse in sacru tertiam libationis pateram Ioni seruatori præcipuè consecrare, vt declararent principia, media, fines omnium, vt in Legibus Plato te-

fert, sub Ioue prouidentia disponi atque seruari. Sed ad Critiæ ineptias redeamus, dicente esse scientiã quandam quæ tam se, quam scientias omnes sciat: res verò ipsas quarum sunt scientiæ, nesciant. Quod quidem ideò est absurdum, quia veritas ipsa ratioque scientiæ in ipso eorum quæ sciuntur quasi quodam contactu congruentiaque consistit. Praterea neque perfectè sciri potest scientia, nisi quæ scientia sit discernatur: Id verò nisi rei cuius sit habeatur, haberi non potest. Item confitetur Critias posse aliquem quæ nullo modo cognoscit, interim cognoscere se non posse. Id autem Socrates idcirco non recipit, quoniam quæ nullo modo sciuntur, non possunt interim quodammodo sciri. Quisquis enim animaduertit se aliquid ignorare, eo ipso agnoscit & se carere. Si ita iudicat, ergo iam notionem ipsius, quandam in seipso describit, per quam iudicet & se carere, quo præcipuè careat. Quo fit vt quicunque rem aliquã se ignorare cognoscit, interea rem ipsam non prorsus ignoret, imò generali quadam adumbratione describat, generali inquam, propterea quod in speciali rerum distinctione scientia perfecta consistit, quam omnibus disputationibus Plato perquirit. Vbi verò Socratem inducit agnoscentem se nihil scire, iudicat eum, etsi non speciales, generales tamen rerum descriptiones habere, alioquin ignorantiam suam non posset agnoscere: ideòque dum scirbat nihil sciebat quodammodo cuncta. Quoniam verò Critias sermonem de temperantia traduxerat ad prudentiam, & id quidem licentia quadam Platonica, Socrates prudentiam asserit, id est, boni malique scientiam, autoritatem summam ad beatitudinem obtinere, tum quia & bonum finem, & bona ad ipsum media ipsa demonstrat, tum quia omnes tam res quã artes quatenus abipsa reguntur, nobis conducunt ad bonum, contra verò nequaquam. Postremo docet

ect Socrates nihil difficilius vel definiri vel comparari quàm temperantiã. Difficultas verò definitionis inde procedit, quòd vix à cæterarum virtutibus quarum ipsa consonantia quædam est, discerni potest. Adde quòd tanto difficilius intelligitur, verbisq; exprimitur, quanto difficilius intrinsecus possidetur. Profectò cum ex ipso corporis commercio maximè ad voluptatem intemperanter ámque proclives simus, in eáque ab infantia nutriamur, difficillimè temperantiam adipiscimur. Præterea primi sensus affectus videntur nonnihil interdum vel ad fortitudinem per iram audaciámque conferre, vel ad prudentiam per timorem, vel ad patientiam per dolorem, vel ad iustitiam liberalitatémque per amorem. Temperantiæ verò semper impetus omnis opponitur, cum enim in summa quadam tranquillitate solum collocari possit, à quouis affectu undique impeditur. Auget quoque difficultatem, quòd sicut in corpore consonantem omnino humorum membrorúmque temperiem, sic in animo harmonicam suorum omnium temperantiam reperire omnium est difficillimum. Quamobrem non iniuria Socrates tam in epilogo quàm in exordio, ad temperantiam cœlesti harmoniæ persimilem consequendam opus esse ait cœlesti virtute atque diuina, tum animo, tum rationibus & verbis infusa. Vbique verò admonet contendendum esse potius, vt sub legitimis institutis temperati efficiamur quam vt sub dialecticis rationibus de temperantia disputemus: quandoquidem summa quadam difficultate cognoscitur, & cognita sine vsu non modò nihil prodest, sed & obest quam plurimum, atque id quod maius est, nisi re ipsa possideatur, perfectè cognosci non potest. Impuro enim vem omnium purissimam non licet attingere.

SOCRATES, CHÆREPHO, CRITIAS, CHARMIDES.

PRIDIE cùm vesperi Potidæa ab exercitu rediissem, protinus solita exercitia, vt puta quibus diu abfuissem, magna cum voluptate repetiui, ac Taureæ palæstram, quæ ex opposito templi porticus regiæ est, sum ingressus. Vbi multos comperi partim ignotos mihi, partim notos, & eos quidem primos. Qui cùm me ex insperato ingredientem vidissent procul, subitò congratulari sunt, aliunde alius occurrens. Chærepho præcipuè, velut insanus esset, è medio statim prosiliens accurrit, ac manu me prehendens, ô Socrates, inquit, quo pacto prælio superstes euasisti? Nã paulò antè quàm abiremus, apud Poetidæam pugna commissa est, de qua hi nuper hîc audierant. At illi ego respondens, Ita, inquam, vt vides. Nunciatum est, inquit, pugnam acerrimam fuisse, atque in ea plurimos nobis notos homines occubuisse. Vera inquam, vobis nunciata fuerunt. An tu, inquit, prælio interfuisti? Interfui. Sede hîc, nobisque enarra nondum enim satis omnia intelleximus. His dictis, sedere me prope Critiam Callæschri filium iussit. Sedens itaque Critiæ & aliis congratulatus sum primò, deinde quæ in belli expeditione contigerant, quod quisque requirebat (alius enim aliud requirebat magis) recensui. Vbi verò hisce de rebus abundè locuti essemus, rursus ego illos interrogaui quænam esset his temporibus philosophiæ conditio, & qui adolescentes, vel sapientia, vel pulchritudine, vel vtrisq;

clari.

clari. Tunc Critias ad fores respiciens, vidén-
que adolescentes quosdam ingredientes & in-
uicem altercantes, & post eos turbam aliam,
quod de pulchris, inquit, ô Socrates, perconta-
baris, videris mox cognituru. Nam qui nunc
ingrediuntur, præcursores sunt amatoréque
cuiusdam, qui omnium huius temporis spe-
ciosissimus iudicatur, ac videtur & ipse iam-
iam ingressurus. Quisnam ille? & cuius filius,
inquam, Nosti, inquit, fortassis & tu. Sed cum
hinc abiisti, nondum adoleuerat. Charmidem
noueras filium Glauconis patrui nostri, pa-
truelem meum? Noui equidem, neque puer tũc
contemnendus erat. Nunc verò adultum esse
illum iam arbitror. Statim intelliges, ait, quan-
tus & qualis euaserit. Cum hæc ille dicit, Char
mides ingreditur. Ad me quidem, ô amice,
quod attinet, nihil perpendo. Profectò enim
perinde sum erga pulchros, vt * alba amussis. * Alba amuſ
Fermè enim omnes ætatis eius homines mihi sis preu.
pulchri videntur. Præcipuè verò tunc ille &
corporis proceritate, & egregia indole miran-
dus apparebat. Cæteri autem omnes capti eius
amore videbantur, vsque adeò illius ingressu
obstupuerunt turbatíque sunt. Multi præterea
post illum amatores sequebatur. Et quod ad
viros attinet, nihil mirum: verum & pueros e-
tiam animaduerti, quorum nemo ne minimus
quidem alium quenquam intuebatur, sed illũ
vnum cuncti tanquam imaginem quandã con-
templabantur. Hîc ad me conuersus Chære-
pho, qualis tibi, ô Socrates, adolescens videtur?
an non speciosa vultu? Mirificè inquam. At-
qui, inquit, si nudare se vellet, vultum præ illa
quę intus latet forma, deformem diceres. Eadẽ
hæc Chærephonti cæteti etiam consenserũt.

Insuperabilem hercle inquam, virum narratis, si paululum insuper quiddam huic adesset. Quid istud? inquit Critias. Si optimo inquam, animi habitu natura decorus esset, qualem esse, ô Critia, consentaneum est vestra è stirpe prognatum. Imò certè quo ingenium spectatur & pulcherrimus est, & optimus. Quid igitur non nudamus, inquam, animum prius, interiorémque formam potius contemplamur? Nam cùm tantus iam sit differere gaudebit puto. Certè, inquit Critias. Nam & sapientiæ studiosus est, & vt sibi, cæteríque videtur valdè poeticus. Longa, inquam, amice Critia serie nobilitarem hanc Solonis ex genere trahitis. Verum cur mihi iam adolescentem non mõstras, huc accersens? Neque enim decet etiamsi sit minor natu, cum eo differere, te patruele eius simul & tutore præsente. Probè, inquit. Vocandus est iam. Atque his dictis ad eum qui ponè sequebatur conuersus, Voca, inquit, Charmidem. sed heus, dices illi, me velle ipsum medico cuidam committere ob valetudinem qua de conquestus est nuper. Ad me verò Critias, nuper, inquit, Charmides cum manè surgeret, caput dolere querebatur. Quid prohibet igitur simulare remedium aliquod contra capitis grauidinem te habere? Nihil prohibet, inquam, modò veniat. At veniet. Quod & factum est: venit enim, tursúmque ingentem omnibus concitauit: vnusquisque enim nostrum vnà sedentium, locum cedere Charmidi volens quò iuxta ipsum sederet, proximum dedita opera impulit. Quo factum est vt eorum qui sedebant, nouissimi, alterum surgere cogeremus, alterum ad latus deturbaremus. Ille verò accedens, me inter Critiámque

que confedit. Tũ ego, ô amice, iam hærebam ac me ea confidentia deseruit, quã paulò ante habebam, fore vt cum eo facilimè disputarẽ. At posteaquam Critias dixit, me eum esse, cui medicamentum notum esset, aspexit me oculis tanquam prodigium quoddam, & [ad interrogandum se componebat:]omnésque qui in palæstra erant, continuò ad nos confluxerunt, ac circuli instar circundederunt. [a] Tum verò, ô generose, vbi aspexi quæ sub pallio latebant, totus exarsi, neque amplius eram apud me. Critiámque in amoribus sapientissimum iudicaui, qui de formoso puero loquens, alium admonens dixit, Cauendum esse ne coram leone hinnuli progressi partem quis auferat carnium: mihi quippe captus à bellua illa fuisse videbar. cùm autem ipse percontatus esset vtrum capitis medelam scirem, vix tandem me scire respondi. Quænam ista? inquit. Folium quoddam, inquam. At insuper addenda est incantatio quædam quam si quis adhibeat, folióque vtatur, sanitas restituitur. Absque incantatione verò folium nihil confert. Ad hæc ille, Exscribam equidem hanc te dictante incantationem. Vtrum si mihi persuaseris inquam? an etiam si non persuaseris? Ille subridens ait, si tibi persuasero Socrates. Hem, inquam nomen quoque planè tu meum tenes. Teneo, inquit, equidem, nisi iniurius sum. Frequens enim de te inter æquales meos sermo habetur. Meminí quinetiam cùm puer adhuc essem, te cum Critia hoc versari solitũ. Rectè tu quidem inquam. Audentius enim incantationis tibi modum ostendam. Paulò verò antè nesciebam quo pacto vim illius tibi monstrarem. Est autem talis, ô Charmides, vt

[a] *Socratis vt ga pueros turpiũ amator.*

caput solum curare nequeat: quemadmodum sæpe ex peritis medicis audiuisti, qui quoties qui dolore oculorum affectus eos consulit, aiunt non posse oculis mederi, nisi prius capiti medeantur, neque caput absque totius corporis medicina posse curari. Hac de causa regulis quibusdam tori corpori conferentibus vuntur, & à toto ad partem transeunt restituendam. an non audisti ita dicere illos, & ita esse? Prorsus inquit. Recténe loqui tibi videntur, inquam? sermonéque hunc approbas? Maximè omnium, inquit. Enimuerò cùm probari ipsi hæc audirem, recepi fiduciam, ac mihi paulatim rursus animus excitatus est, recreatúsque sum. Talis est, inquam, ô Charmides, incantationis quoque huius potentia. Quam didici ibidem in exercitu à quodam medicorum Thracum Zamolxidis sectatorem, qui & * immortalitatem afferre dicuntur. Adiecit præterea Thracius ille medicus, etiam Græcorum medicos quæ suprà narrata sunt prædicare. Cæterum a Zamolxis ait, rex noster ac deus tradit, quemadmodum oculos sine capite curare non decet, neque sine reliquo corpore caput: ita neque sine anima corpus. Eáque causa est, cur medicos Græcos morbi corporum multi lateant, quia totum ipsum ignorant, quod in primis curare oportet: quo malè affecto impossibile est partem aliquam bene valere. Omnia námque vel bona, vel mala ab anima in corpus, & hominem totum manant, indéque similiter vt ex capite in oculos effluunt. Illam igitur primùm, & maximè curari iubet, si modò caput & vniuersum corpus bene valere debeat. Animæ verò, ô beate, medelas esse docet incantationes quasdam. Eas [in-can-

* ἀπαθανατίζειν.

a *Zamolxis rex & Deus Scytharum.*

cantationes, bonos esse sermones,] quibus animæ temperantia tribuatur : qua inserta atque præsente facile esse sanitatem capiti torique corpori tradere. Ille igitur cum medelam incantationésque doceret, iussit vt nullis precibus motus alicui contra capitis dolorem remedium adhiberem, nisi prius animam incantationibus ipsis purgãdam commisissem. [a]Hũc sanè nostrorum temporum errorem dicebat esse quod plerique absque temperantiæ sanitatisque studio, medici esse contendunt. Me itaque mirum in modum præmonuit, mandauitque cauerem ne quis vnquam diues, seu no bilis siue pulcher, mihi vt aliter faciam, persuadeat. Illi hoc ego iureiurando interposito me obstrinxi: quamobrem necesse est paream, & parebo : quod si voles secundum hospitis præcepta, animam tuam prius incantationibus omnibus Thracis illius subiicere, capiti medicamentum admouebo. Sin minus, non potero, ô amice Charmides, tibi prodesse. Cùm igitur hæc audisset Critia, lucro, inquit erit grauedo hæc capitis adolescenti, si cogatur mente quoque & animo propter caput, melior fieri. Assero autem tibi Charmidem hunc æqualibus omnibus non specie tantum præcellere, verumetiam eo ipso præstare cæteris, cuius ipse incantationem habere dicebas. An nõ temperantiæ suprà dixisti? Huius ipsius, inquã. Scito igitur omnium suæ ætatis adolescentum hunc videri temperantissimum, & in cæteris omnibus pro ætatis incremento, nullo inferiorem esse. Consentaneum est, ô Charmides, inquam, in his quæ dixit Critia, te cæteros antecellere. Neque enim referre quisquam facilè posset, vt arbitror, duarum apud Athenienses

[a] *Incantationes animæ sunt bona & vtilia præcepta, quibus ipsa à vitiis reuocatur.*

familiarum coniugium, ex quo verisimilius sit pulchram honestámque prolem nasci, quã maiorum tuorum coniugio. Nam paternum genus huius Critiæ Dropidæ, ab Anacreonte Solonéque aliisque poetis permultis est illustratum, decore, virtute, & alia felicitate præcellens. Eadem quoque est materni generis gloria. Nemo enim Pyrilampo auunculo tuo aut pulchrior aut maior omnium qui continentem habitant visus est vnquam, quoties ille vel ad Regem magnum, vel ad alium in continenti habitantium legatus accederet. Ac summatim vniuersa hæc domus nulla in re est inferior alia quacunque. Quare probabile est te tali stirpe creatum primas partes in omnibus obtinere. Quantum igitur ad eam speciem quæ cernitur oculis, attinet, ô dulcis Glauconis fili, videris mihi nihil à superioribus tuis degenerasse: quod si ad temperantiam, & ad alia, vt Critias hic testatur, natura es institutus, beatum te, ô chare Charmides, mater pepe rit. Ergo sic se res habet. Si inest tibi, vt ait Critias temperantia, & sufficienter es temperans, neque Zamolxidis, neque [a] Abaridis Hyperborei incantationibus indiges, sed iam tibi medela est capitis admouenda. Sin autem deest temperantia tibi, incantatio medelam antecedere debet. Respondeta ipse mihi, vtrum assentiaris Critiæ, & asseras temperantiæ te satis habere, an deesse aliquid recognoscas. Tunc ergo ipsius Charmidis genę rubore suffusæ gratiorem speciem ostenderunt. [b] Nam pudor eam ætatem decet. Deinde admodum generosè respondit: Haudquaquam facile est quæ in præsentia quæsita sunt, vel admittere, vel renuere. Si enim me temperantem esse nega-

[a] *Abaris Hyperboreus.*

[b] *Pudor adolescentes decet.*

negauero primò quidē turpe videbitur quòd ipſe mihi derogem: deinde Critiæ huius, alioruque multorū quibus temperās eſſe videor, tanquā falſam ſententiā coarguā. Sin autē affirmauero, odioſa videbitur hæc de meipſo iactantia. Quapropter quorſum me vertam, neſcio. Probè loqui videris Charmides, inquam: itaque cōmuniter inueſtigandum puto, vtrum quod quæro poſſideas, nécne: ne vel tu aliter quàm velis, loqui cogaris, vel ego temerè mederi feſtinem. Si ergo gratū tibi futurū eſt, cupio vnà tecum inueſtigare: ſin minus, dimittēdum arbitror. Imò certè gratiſſimum, inquit, omnium. Quamobrem vt ipſe præſtare putas, ita perquire. Hunc in modū, inquā, cōmodior indagatio futura videtur. Conſtat profectò ſi ineſt temperantia tibi, habere te aliquid, quod de hac opineris. Neceſſe eſt enim inhærentem ipſam tibi, ſi modò inhæret, aliquē ſui ſenſum præbere, ex quo aliqua circa ipſam inſurgat opinio, qua quid, & quale temperantia ſit coniectes, nónne putas? Puto equidē. Nónne hoc inquā, quod cenſes, videlicet poſtquā ſcis loqui Græcè, dicere poſſis quídnam id tibi videtur? Fortaſſis, inquit. Vt ergo coniiciamus vtrū tibi inſit nécne temperantia, dic age, quídnam ex ſententia tua tēperantiā eſſe dicis? Piguit eum primò, neque libens ad reſpōdendū venit, demū ita reſpondit: [a]Temperantiā eſſe duco, de céteris agere ſingula, & quietè ac ſedatè per vias incedere, quietè loqui, ac quietè oīa facere, & vt breui complectar, quod quæris, ſedatio quędam eſſe mihi videtur. Recte, inquā. Ferunt ſanè quietos placidóſque homines téperatos eſſe: ſed videamus an vera loquantur. Dic igitur nunquid pulchrum aliquid temperantia ſit

[a] σωφροσύνη quid.

Est, inquit, prorsus. Vtrum in grãmatici facultate pulchrius est easdem literas citò scribere, an lentè? Citò. Legere autem celeritérne an tardè? Celeriter. Quinetiã pulsare citharam velociter, & prõptè certare pulchrius est, inquã, quàm quietè & tardè? Est, inquit. Quid verò in pugnorum brachiorúmque ludis, nónne celeritas ipsa laudatur? Vtiq;. Currere autem atque saltare, & cæteri corporis actus, nónne si properè & prõptè fiunt, ad pulchrũ spectant? si tardè, difficulter, placidè ac sedatè, ac turpe? Apparet, inquit. Paret ergo quantũ ad corpus attinet, nõ quod tardum ac sedatum, sed quod celerrimũ ac velox maximè, esse pulcherrimũ. Nónne, inquam? Omnino, inquit. Temperantiam verò pulchrum quid esse constitit? Constitit. Nõ ergo circa corpus id quod quietũ & lentum, imò celeritas ad temperantiam pertinebit, si modò pulchrũ quid est tẽperantia. Videtur, inquit. Docilitas verò nónne pulchrior quàm hebetudo? Pulchrior certè. Est aũt docilitas, inquã, citò perdiscere, hebetudo verò sero atque lentè. Profectò, inquit. Docere aliũ quàm ocyssimè nónne pulchrius quàm cũctãter ac tardè. Proculdubio. Reminiscí ité, & meminisse serò atque lentè, pulchriúsne, an facilè atque promptè? Prompte, inquit. [a] Solertia verò nónne celeritas quædam animi est, inquã, potius quàm tarditas? Est, inquit. Atqui & intelligere quæ dicuntur in grammatici cithariſtæque ludis, & cæteris omnibus nõ quã tardissimè, sed quàm ocyssimè, pulcherrimum est. Et hoc, inquit. Quinetiã in ipsis indagationibus, & consultationibus animi non qui tardè, & difficulter consiliũ dat, & excogitat, est laudandus, vt arbitror, sed qui brevi potius

[a] *Solertia celeritas quædam animi.*

atque

atque facilimè. Vera hæc sunt, inquit. Ex his colligitur, inquam, ô Charmides, tã in iis quæ ad corpus, quàm in iis quæ ad animũ spectãt, velocia prõptáque tardis & quietis pulchriora videri. Sic apparet, inquit. Non igitur quies quædam, inquam temperantia erit, neque vita quieta temperans, vt hac ratione coniicitur, quandoquidẽ quod temperatũ est, & pulchrũ esse debet. E duobus enim alterum, alterũ aut nunquã, aut rarò admodũ nobis in vita quietæ actiones pulchriores quàm veloces & vehementes apparuerũt. [a]Quod si, ô amice, nõ pauciores quietæ actiones quàm veloces & vehementes pulchritudine præstare reperirentur, neque hac etiam ratione cõficeretur tẽperantiã esse quietè agere potius quàm vehementer atque celeriter, neq; in ipso incessũ, neq; in sermone, neq; in alio quopiã: neq; vita quieta q̃ inquieta decẽtior esset & tẽperantior: quippe cũ in superiori sermone suppositũ sit pulchrũ esse aliquid tẽperantiã, pulchra verò non minus ipsa velocia quã quieta esse cõstiterit. Rectè inquit, dixisse mihi videris, ô Socrates. Rursus igitur, ô Charmides, inquã, attentius teipsũ contuere, & cogita qualẽ te temperantia præsens efficiat, qualísve sit ipsa, dũ talẽ efficit, hęc aũt animaduertens omnia, bene virilitérq; tespõde quid esse tibi videtur. Ille protinus seipsum colligẽs, diligẽtiúsq; cõtẽplatus: [b]Videtur, inquit, tẽperantia mihi verecundũ quẽdã rubo rem inducere, verecundũq; hominẽ facere, pudorémque esse temperantiam arbitror. Quid ais, inquam? an non pulchrum aliquid paulò antè temperantiã esse dicebas? Dicebã equidẽ, inquit. Nónne boni homines, inquã, ipsi tẽperati sunt? Sunt, inquit. An bonũ putas, inquã,

[a] *Concl. σωφροσύνην nõ esse in eo positam, vt sint quietæ & sedatæ cum animi tum corporis actiones.*

[b] *Secũda definitio σωφροσύνης à Charmide proposita.*

quod nõ bonos efficit? Nequaquã, inquit. Nõ solùm itaque pulchrũ, sed & bonũ est inquã. Mihi quidẽ videtur, inquit. Non credis, inquã, rectè Homerũ loqui, dicentẽ, pudorẽ viro egeno bonũ non esse? Credo equidem, inquit. Est ergo, vt apparet, inquã, pudor non bonũ, ac bonũ. Apparet, inquit. Temperãtia verò bonum duntaxat, siquidẽ bonos facit eos quib. adest, malos verò nequaquã. Ita mihi, vt loqueris, esse videtur, inquit. [a] Ergo tẽperantia pudor nõ est, quandoquidem tẽperantia bonum est dũtaxat, pudor autem nihilo magis bonũ est quã malum. Rectè quidẽ mihi, inquit, dici hoc videtur, ô Socrates. Vetũ attende obsecro, quale tibi videtur quod rursus adducã. [b] Modò .n. recordatus sum, quod mihi traditũ est à quodam dicente temperantiã esse, vt sua quisq; agat: considera an rectè loqui videatur tibi qui hæc dicit. O scelerate, ex hoc Critia illud audisti, vel alio quopiam sapientum? Videtur sanè inquit Critias, ex alio, nam ex me nunquã audiuit. Quidnam refert, inquit Charmides, ô Socrates, ex quo audiuerim? Nihil, inquam, profectò. neque enim id considerandum est, quis dixerit: sed vtrũ verè dicatur, nécne. Probè nunc loqueris, inquit. Rectè per Iouem, inquam. Mirabor tamen, si quomodo hoc se habeat, inuenerimus, nam est ænigmatis cuiusdam persimile. Quamobrem, inquit? Quia non arbitror ita sensisse illum vt verba sonãt, inquam, temperantiã scilicet esse, vt sua quisq; agat. [c] Nihilne putas grãmaticum agere, quando scribit vel legit? Puto equidẽ aliquid agere, inquit. Videtúrne tibi grãmaticus nomen suum tantum scribere ac legere? vel etiam vos pueros erudire? Neque enim minus ini-

Odyss. p.

a *Conclud. σωφροσύνη non est pudor, siquidẽ σωφροσύνη est bona: pudor aũt non magis bonus est quàm malus.*

b *Tertia definitio σωφροσύνης.*

c *Refutatio proxima de sensibus.*

mi-

micorum tunc nomina quàm vestra amicorúque scribebatis. Certè non minus, inquit. An cum ageretis hoc, inquã, curiosiores eratis quã decet, & à temperantiæ lege discedebatis? Minimè, inquit. At verò non vestra agebatis tantùm, si scribere ac legere agere aliquid est. Est vtique, inquit. Præterea mederi, ô amice, ædificare, texere, & cuiuslibet artis opus explere, agere aliquid est, an nihil? Aliquid prorsus, inquit. An videretur, inquã, tibi bene illa ciuitas instituta, in qua leges iuberent, vt vestem quisque suam texat lauétque calceósq; conficiat suos, & strigilem & vascula olearia vel vnguentaria, & supellectilia quæque? aliena quidem attingat nunquam, propria verò ipsemet peragat atque conficiat? Nequaquam, inquit. Veruntamen si temperatè disposita est ciuitas, bene instituta est, inquam. Quidni, inquit. Ergo temperantia non erit talia quædam agere, & hunc in modum agere sua? Nõ, vt apparet, inquit. Quare per ænigmata loquebatur, inquam, vt suprà dixi, is qui prædicabat, agere sua, temperantiã esse. Neque enim vsque adeò fatuus fuisse putandus est, vt idem eius fuerit sensus, qui & verborum sonus. Num fatuus quispiam, ô Charmides, hoc tibi tradidit? Minimè, inquit, omnium. Imò quidam meo iudicio sapientissimus. Omnino igitur sententiam suam obscuris verbis inuoluit, inquã, vt arduum cognitu sit, quid est agere sua. Fortassis, inquit. Potésne aperire nobis, agere sua quid sit, inquam? Ignoro equidem, inquit. Forte etiam qui hæc dixit quid sibi vellet, nõ satis intelligebat. Dum ita loqueretur, subrisit Charmides, Critiámque aspexit. Critias autem licet antè ad disserendum aduersus Char-

midem aliósque cupiditate gloriæ instigatus, se hactenus continuerat, sed vlterius ad hæc se continere non potuit, visúmque est mihi verũ esse quod fuerã suspicatus, illam scilicet de reperãtia superiorẽ sententiã à Critia Charmidem accepisse. Quare Charmides nolens ipse responsum tutari, & hunc in Critiã laborẽ reiicere cupiens, eum quasi tedargutum ostẽdit, quod ille minimè tolerauit, imò aduersus eum haud secus indignatus fuisse videtur, ac poeta aduersus histrionem incptè sua poemata recensentem. Ideóque illum intuitus: Itáne putas, inquit, ô Charmides, si tu nequaquam intelligis quis eius fuerit sensus, qui agere sua temperantiam esse asseruit, neque ipsum etiam intelligere? O vir optime Critia, inquam, nihil mirũ est hunc adolescentulum non intelligere. Te verò decens est hęc cognoscere, & propter ætatem, & propter studium. Si ergo affirmas ipse temperantiam esse quod hic dixit sermonémque hunc suscipis, libentius tecum, vtrum id verum sit, nécne, indagabo. Affirmo equidem, inquit, & suscipio. Recte facis, inquam. Sed dic obsecro: Vtrum quę paulò antè quærebã, admittis? artifices videlicet ómnes aliquid facere. Equidem, inquit. Videntur, inquã, tibi sua tantùm, an aliena insuper facere? Aliena quoque, inquit. Temperãter agunt itaque qui non sua tantùm faciunt, inquã? Quid prohibet, inquit? Quod ad me, inquã, spectat nihil. Sed vide ne quid apud eum prohibeat, qui cum supposuerit temperantiã esse agere sua, deinde tamen ait nihil obstare quin & illi qui aliena agunt, temperati sint. Cõcessi equidem, inquit, eos qui aliena agunt, temperatos esse: sed nũ & eos qui faciũt, cõcessi?

sti? Dic mihi inquam Critia, non [a] idem vocas agere atque facere. Non certè, inquit, neq; idē operari atque facere. Nā id ab Hesiodo didici, qui ait, Opus nullum turpe. An censes ipsum, si talia quædam opera nominasset, operarísque & agere, qualia tu suprà narrabas, fuisse dicturum opus nullum cuipiā turpe, seu coria incidenti, seu cauponi condimenta obsoniáq; vēdenti, siue in taberna sedenti? Haud ita censendum, ô Socrates. Imò verò ille, meo quidē iudicio, [b] effectionem aliud quàm actionē & operationem existimauit, & effectionē quidē interdum opprobrio esse, quando quid prēter honestum facimus, opus autem nullum vnquam dedecori nobis contingere. Quæ enim honestè & vtiliter fiunt, opera nuncupauit, operationésque & actiones effectiones quasdā huiusmodi. Existimādū præterea illū sola hęc propria esse censere: noxia verò omnia penitus aliena. Quāobrē arbitrari oportet & Hesiodū, & alium vnūquenq; sanè mentis virū, hominem ita sua agentē, temperatū vocare. [c] Cū primùm, ô Critia, loqui cœpisti, inquā, percepi te propria & sua cuiusque bona dicere, bonorūq; effectiones, actiones denominare. [d] Etenim persæpe Prodicum audiui hunc in modū nomina distinguentem. Concedo equidem tibi pro arbitrio nominibus vti, modò id declares, quid nomine quoque significare velis. Nunc igitur iterum à principio clarius definito, vtrum bonorum actionem, vel effectionem, vel quomodocunque velis aliter nominare, temperantiam esse dicas. Hoc ipsum inquit. Non ergo temperanter agit, inquam, qui mala, sed qui bona potius agit. Tibi verò, ô bone vir, nónne id videtur, inquit? Mitte

[a] *Agere facere, & operari differunt.*

[b] *Effectio interdum probro vertitur*

[c] *Actiones quid propriè.*

[d] *Prodicus in distinguēdis nominib. accuratus.*

istud in præsentia, inquam nondum quod mihi videtur, verum quod ipse nunc dicis considerabamus. Enimuerò nunquam, inquit, temperate illum agere dicerem qui non bona, sed mala agat. Nam actionem ipsam bonorũ, temperantiam esse manifestè definio. Fortè nihil prohibet, inquam, quin verè loquaris.

Hoc tamen admiror, si homines temperatè agentes ignorare putas quòd temperatè agant. Nequaquam puto, inquit. An non paulò antè abs te dictum est, inquam, quòd nihil artifices prohibet aliena etiam facientes, temperanter viuere? dictum profectò, inquit, sed quid tum postea? Nihil aliud, inquam. Verùm dic vtrum medicus tibi aliquis videatur, dum sanum efficit aliquem, vtilia sibi, & illi quem curat, efficere? Mihi quidem, inquit. Nónne agit decentia, inquam, quisquis hæc agit? Certè, inquit. Qui verò agit decentia, inquam, nónne & temperatè? Et temperatè, inquit. Nunquid medicum necesse est intelligere, quando curat vtiliter, & quando non? & vnumquenque artificem quando conducturum sibi est opus ipsum quod efficit, & quando non conducturum? Fortè non, inquit. Quandoque igitur, inquam ego, cùm medicus vtiliter operatus est vel contrà, seipsum non cognoscit vt operatus est: etiamsi cum vtiliter operatus est, vt ipse fatebaris, & temperatè egit, an non ita dicebas? Equidem, inquit. Nónne igitur, inquam, vt apparet, interdum vtiliter operatus agit quidem temperatè, & temperatus est, ipse verò ignorat quòd temperatè agat, sitque temperans? Fieri hoc, inquit, non potest, ô Socrates. Verùm siquid est in superioribus dictum vnde hoc

a *Ex modò dictis nascitur quarta definitio σωφροσύνης, vt sit seipsum cognoscere.*

hoc necessariò sequatur, illud libentius retrahabo: neque me pudebit fateri aliquid aliud non rectè dixisse, potius quàm consentire, vt qui seipsum ignorat sit tēperans. Fermè nāque hoc ipsum temperantiā esse arbitror, seipsum cognoscere, [a] illíque assentior qui præceptum hoc tēplo Apollonis ipsius inscripsit. Atqui videtur hæc inscriptio tanquā Dei salutatio quędam ad homines qui templū ingrediuntur, eius loco quæ saluere iubet: quasi non probè dicatur, salue, neque iubere hoc inuicem deceat, sed temperatè potius viuere. Ita homines templum ingredientes singulari sententia. Deus alloquitur, alitérque quàm homines nos salutat, vt sensit ille, meo iudicio, qui inscripsit. Et ingredienti nihil præcipit aliud quàm viuere tēperatè. Verùm obscuris hoc præceptū verbis tanquā vates interserit. Quippe Cognosce teipsum, idem est, quod temperatè viue: vt literæ testantur, egóque interpretor. Fortè verò aliud esse putabit quispiam: quod quidē contigisse illis qui sequentia apposuerunt, existimo, hoc est, Nihil nimis, &, [b] Sponsionis comitem esse miseriam. Nam illi quidem Cognosce teipsum, consiliū quoddam esse putarunt, non Dei ipsius ad eos qui ingrediuntur [salutationem.] Deinde & vt ipsi nihilo deteriora consilia [adscriberent,] reliqua insuper adiecerunt. Cuius igitur gratia, ô Socrates, hæc omnia dico, hoc est. Superiora quidem omnia tibi concedo. Fortè nanque rectius de illis aliquid ipse dixisti, forsitan & aliquid ego: nihil verò ex his quæ diximus manifestum: deinceps autē ratione huius tibi reddere volo, si non concesseris temperantiā esse seipsum cognoscere. Sic mecū agis, inquā, ô

[a] *Cognosce teipsum.*

χαίρειν.
σωφρονεῖν.

[b] *Sponsionis comes miseria.*

[a] *Socrates sibi rerum omnium scientiam detrahens, se ignarum omnium prædicat.*

[b] *Refutatio quartæ definitionis.*

Critia, [a] quasi ego quæ interrogo, nosse affirmem, offérsque mihi te, si voluero, concessurum: hoc autem non ita se habet. Quæro enim tecum semper de eo quod in medium est adductũ, idcirco quia illud ignoro. Videbo porrò, vtrum concedam, nécne. Consíste modò quoad ista considerem. Considera inquit. Ecce considero, inquam. [b] Si tẽperantia cognoscere aliquid est, constat eam scientiam aliquam & alicuius esse. Nónne? Est vtique, inquit, sui ipsius videlicet. Nónne & medicina est scientia sani? Prorsus, inquit. Si ergo tu quæreres, medicina quum sit sani scientia, quid nobis confert? quídve efficit? respondere vtique prodesse quammaximè, sanitatem porrò pulchrum opus nobis perficit. Accipis hoc? Accipio, inquit. Ac si rogares iterum, architectura cùm sit ædificandi scientia, quódnam opus moliatur, domos vtique responderem, & eadem de cæteris artibus ratione responsum daré. Postquàm igitur temperantiã sui ipsius scientiam esse dicis, tua interest respondere, si quis hunc in modum requirat: O Critia, tẽperantia quæ sui ipsius scientia est, quódnã pulchrum opus nobis efficit, nominéque dignum? dicas, amabo. Non rectè, inquit, interrogas Socrates neque enim aliarum scientiarum hæc est similis, neque aliarum aliæ: tu verò perinde ac si similes essent, interrogas. Nã dic obsecro: Computatricis, geometricæ scientiæ quodnam tale opus est, quale domus architecturæ; & textoriæ, vestis opus est, aliáq; permulta eiusmodi, quæ multis artibus quisq; tribuere posset? Potésne mihi tu harum eiusmodi aliquod opus ostendere? At non poteris. Vera dicis inquam, hoc tamen monstrare tibi possum, cuius

scientia

scientia sit harum scientiarum quælibet, quod aliud est quàm scientia quæque. Quemadadmodum computandi peritia paris & imparis multitudinis scientia est, quo pacto ad ipsum, & inuicem se habeant. Nunquid? Profectò, inquit. Nónne aliud est, inquam, par & impar quàm ipsa computandi scientia? Est, inquit. Quinetiam ponderandi facultas, grauioris leuioríque ponderis libratio est. Graue autem ipsum & leue aliud quiddam est, quàm ars ipsa librandi. Assentiris? Assentior, inquit. Dic itaque temperantia cuius potissimum scientia est, quod sit aliud quàm temperantia ipsa? Hoc profectò, inquit, quod modò quæris illud ipsum est, quo temperantia ab aliis omnibus scientiis differt. Tu verò similitudinem aliquam huius ad alias exigis. Sed aliter se res habet. Nempe cæteræ omnes alterius cuiusdã scientiæ sunt, sui ipsarum minimè. Sola hæc & aliarum scientiarum, & sui ipsius scientia est. Et permultum abest vt hæc ignores: verùm arbitror te, quod paulò antè negabas, efficere: nam me refellere tentas, & illud de quo sermo est, prætermittis. Quid agis, inquam?

[a] An putas si te redarguero, alterius gratia me id facturum, quàm cuius gratia me ipsum examinarem, si quid dicam, metuens ne dum scire puto quod nescio, mea me ignorantia fallat? Et nunc quidem id summopere me facere asserо, perpendere videlicet & examinare sermonem mei ipsius gratia primùm, fortè etiam meorũ familiarium causa. An non commune bonum esse hoc omnibus hominibus arbitraris, vt rei cuiusq; conditio omnibus innotescat? Maximè equidem, ô Socrates. Audacter itaque, ô beate, vt tua fert opinio, ad interrogata respondens,

[a] *Redargutionum Dialecticarum, non autem Sophisticarum finis.*

ne cures Critiásne sit, an Socrates qui redarguitur, sed ad ipsum sermonem attende, quónam redargutus euadat. Sic faciam, inquit, nam probè loqui videris. De temperantia quod dicis, age, inquã, repete. Aio equidem, inquit, ex omnibus aliis scientiis hanc solam & suiipsius & reliquarum scientiarum esse scientiã. Nónne & insciticæ, inquã, scientia est? siquidem & scientiæ? Omnino. Solus itaque temperans, inquam, seipsum nosset, examinaréque poterit quid norit, quid ignoret: iudicare insuper ex aliis hominibus, quod quisque nouit, & nosse putat: siquidem nouit, quidve ignorat ipse & nosse putat: aliorum autẽ nullus hoc poterit. Atque hoc est esse temperatũ, & temperantia, seipsúmque cognoscere, intelligere scilicet quæ nouit, quæve non nouit. Súntne hæc quæ dicis? Sunt, inquit. Tertium igitur, inquã, vt dicitur, Seruatori velut à principio cõsideremus.

Prouerb.

a *An σωφρο σύνη sit seipsum cognoscere, vel sui ipsius scientia: non posse autem id esse, exemplis & inductione similium ostenditur.*

a Principiò vtrum fieri hoc possit nécne, vt quæ quisque nouit, & quæ nõ nouit, nosse itẽ & nõ nosse cognoscat. Deinde si id fieri possit, quænã intelligentibus sit futura vtilitas. Quærendum, inquit. Animaduerte, inquã. Critia, num in his certi quicquã habeas: ego enim nihil, & qua in re dubito, si voles, aperiã. Imò volo, inquit. Sequentur hæc, si stabit quod ipse modò dicebas: Vna quædã videlicet scientia, quę nullius alterius quàm sui ipsius, aliarũque scientiarũ scientia sit: atque insciticę rursus sciẽtia eadem. Prorsus, inquit. Vide inquã, amice, quàm absurdus noster hic sermo sit. Enimuerò si hoc idem in aliis quibusdã consideraueris, vt arbitror, impossibile tibi videbitur. Qua ratione, inquit, & vbi? Hîc planè, inquit, cogita enim vtrum videatur tibi visus quidã esse, qui

non

non sit earum rerum visus, quarum cæteræ visiones: sui ipsius autem & cæterarũ visionum, & item non visionis sit visio: neque colorem videat vllũ cũ visio sit, seipsam verò duntaxat & alias visiones inspiciat. Videtúrne visio tibi vlla talis esse? Nulla, inquit. Nũ & vim inquã, aliquam audiendi reperire posse confidis, quæ vocem audiat nullam, seipsam verò, & auditus alios, & non auditus præcipiat? Neque istud possibile, inquit. In summa sensus omnes considera, vtrum sensus inueniri aliquis possit, qui seipsum, cæteróque sensus percipiat, nihil tamen eorũ sentiat quæ sensus alij sentiunt. Impossibile & hoc existimo, inquit. An fortè cupiditatẽ aliquã esse censes, quæ voluptatẽ affectet nullã, sui ipsius autem & reliquarum libidinum sit cupiditas? Nequaquã, inquit. Neque voluntatem, inquam vt arbitror, quæ bonum nullum exoptet, seipsam verò & cæteras voluntates expetat. Minimè, inquit. Amorẽ quin etiam aliquem talem esse dices, vt pulchri nullius sit amor, imò sui ipsius cæterorúmque amorum sit ardor? Non equidem. Timorémne aliquem excogitasti vnquam, qui seipsum & metus alios expauescat, terribile verò & periculosum nihil exhorreat? Nunquam prorsus, inquit. Opinionem præterea talem, vt opinionum aliarum & sui ipsius opinio sit, nihil autem eorum quæ opiniones aliæ suspicãtur opinetur ipsa? Nullo modo. Veruntamen scientiam quandã eiusmodi esse diximus, quæ dogmatis nullius scientia est, sui ipsius autem, & aliarum scientiarum scientia. Diximus certè, inquit. An non mirum, inquam, quiddam, sic est? nondũ enim contendamus non esse, sed vtrum sit consideremus. Scitè loqueris, inquit,

Dic iam, Estne scientia hæc alicuius scientia? habetque vim quandam huiusmodi, qua alicuius sit? Prorsus inquit. Item maiúsne dicimus eam vim habere, qua aliquo maius sit? Habet nimirũ, inquit. Nónne minori aliquo maius, si maius erit? Necessarium est, inquit. Si maius quippiã reperiemus, quod maioribus aliis & seipso maius existeret, neque tamen maius esset aliquo eorũ quibus cætera sunt maiora, omnino sibi hoc cõueniret, vt sicut maius est seipso, ita sit & minus? Prorsus necessariũ est, ô Socrates. Quinetiã si duplũ sit, inquã, aliquid ad alia, & ad seipsum, certe ad seipsum dimidiũ erit duplum, & ad alia dimidia duplum. Nempe quicquid duplũ est, non alterius est quàm dimidij duplũ. Verũ est, inquit. Præterea quod seipso plus est, nónne & paucius? & quod grauius, item leuius? quódue senius, etiam iunius? & in cæteris omnibus eodem modo, quicquid sui ipsius potentiam ad seipsum habet, nónne & illam habebit essentiam, ad quam est eius potentia? Dico autem tale aliquid. Auditum nullius alterius dicimus esse quàm vocis auditum? Profectò, inquit. An non si seipsum audiet, inquam, vocem se habentem audiet? Neque enim aliter posset audire. Necessariò sequitur, inquit. Visus quoque, ô vir optime, inquam, si seipsum videbit, necesse erit eum aliquem colorem habere. Nam absque colore visus cernere nihil potest. Nihil potest, inquit. Vides, inquã, ô Critia, ea quę narrauimus, partim impossibilia omnino videri nobis, partim diffidendũ maximè ne non vim suã habeant ad seipsa? quòd enim magnitudo & multitudo ac cætera huius generis vim suam habeant ad seipsa, penitus impossibile, nónne? Sic

est

est omino, inquit. Quod verò visus & auditus, inquã, seipsos percipiãt, motus se moueat, & se caliditas calefaciat, & cætera talia à quibusdam non creditur, nonnullis fortè credendum videtur. Magno quodam viro opus est, ô amice, qui satis per omnia id distinguat, vtrũ nihil omnino vim suam ad seipsum habere valeat præter scientiam: sed ad aliud: an queãt alia, alia nequeant: & si aliqua sint quæ ad seipsa vim habeant, vtrum eorum in numero hæc scientia sit, quàm temperantiam nominamus. Equidem sufficere me ad hæc discernenda, nequaquam confido. Quocirca neque asserere possum, vtrũ fieri possit, vt scientiæ scientia sit. Quod etsi detur, non prius tamen assentiar esse huiusmodi temperantiam, quàm inuestigauero a vtrum prosit quicquam nobis temperantia talis existens, vel nihil prosit. Tẽperantiam enim vtile quiddam ac bonũ esse vaticinor. Tu igitur Calleschri fili, quãdoquidem temperantiã ponis scientiæ inscitiæq; scientiam ostende primùm possibile hoc esse quod suprà dicebam: postea præter id quod possibile esse & conferens: atque ita mihi circa temperantiæ ipsius definitionem forsitan satisfeceris. Critias verò cùm hæc audisset, méque dubitantẽ videret eorũ more qui oscitantes intuitu oscitant, ipse quidẽ visus est hęsitante me, cogi similiter hæsitare. Sed vtpote ingenij laude semper antea insignis, præsentes veritus est, neque confiteri mihi voluit se ad ea quæ obiecerã respondere non posset, neq; apertè quicquam protulit, suámque hęsitationẽ occulit. At ego vt disputatio nostra procederet: Si tibi, inquã, videtur, ô Critia, dabimus nunc scientiæ scientiam esse posse. Vtrum verò

a *Etiam si aliqua sui ipsius possit esse scientia eam tamen inutilem fere ostenditur.*

possit nécne, aliàs indagabimus. Veruntamen si quàm maximè id possibile sit, quid magis possibile est cognoscere quæ nouit aliquis, & quæ nõ nouit? hoc vtiq; esse diximus seipsum cognoscere, temperatúmque esse. Nónne? Maximè, inquit, ac sequitur quodammodo Socrates. Nam si quis eam habet scientiam quæ seipsam cognoscit, talis & ipse sit, quale est id quod habet: quẽadmodum cùm velocitatem habet quis, velox: & quando pulchritudinem, pulcher: & quando cognitionem, cognoscens. Quare quum cognitionẽ ipsam suiipsius quis habet, seipsum tunc cognoscẽs efficitur. Haudquaquam id ambigo, inquam, quin si quis in seipso habet aliquid sese cognoscens, ipse quoque se nouerit. Sed quænã necessitas cogit hominẽ sic affectum, quæ nouit quæve non nouit cognoscere? Hęc videlicet, inquit, quia idẽ est hoc & illud. Fortè sic est, inquam, sed ego semper similis esse videor, neq; rursus intelligo quomodo idem sit, [aliquem ea quæ nouit cognoscere & ea quæ non nouit.] Quî isthuc ais, inquit? Ita inquam, scientia ipsa scientiæ exístens, nunquid vltrà discernere potetit, quà quòd ex his hoc quidem scientia est, illud inscitia? Non vltrà, sed eatenus, inquit. Idem est igitur, inquam scientia & inscientia sani, atq; item scientia & inscitia iusti? Nullo pacto, inquit. At verò hoc quidem medicina, hoc autẽ ciuilis peritia inquam, hoc verò nihil aliud quàm scientia. Quídni, inquit? Nisi quis nouerit sanum insuper ac iustum, sed solam scientiam, vtpote huius solius scientiam habens, quod quidem scit aliquid, quódve scientiam quandam habet, agnoscet tam circa seipsum, quã circa alios, nónne? Quòd verò cognosat hac

Quid Scientia scientiæ, possit præstare & quodnam sit proprium ipsius munus.

hac scientia, quánam ratione intelliget? cognoscit enim sanum & salubre medicina, non temperantia, harmonicum musica, non temperantia, ædificium architectura, non temperantia, & similiter omnia, nónne? Apparet, inquit. Temperantia verò, inquam, si scientiarum scientia est duntaxat, quomodo intelliget quòd sanum salubréq; cognoscit, vel quòd ædificium? Nullo, inquit. [a] Non ergo intelliget quid cognoscat hoc ignorans, sed quia cognoscat tantùm. Videtur, inquit. Non igitur temperatum esse erit hoc, neque temperantia, intelligere quæ nouit, quæve nõ nouit, sed vt videtur, quia nouit, & quia non nouit solùm. Apparet, inquit. Neque poterit etiã hic alium examinare alicuius scientiam profitentem, vtrum sciat quod pollicetur, an nesciat. Imò hoc solum, vt videtur inquam, agnoscet, quòd scientiam quandam habet: cuius autem rei scientiam temperantia non ostendet. Non videtur, inquit. Neque igitur simulantem medicam à vero discernet, neque alium quempiam scientem à nescio. Sic autẽ consideremus: si tẽperatus, aut alius quiuis diiudicaturus est, verum & falsum medicũ, an non sic faciet? De medendi quidem arte cum illo nihil differet. Nihil enim aliud, vt dicebamus, intelligit medicus quàm sanum atque ægrotũ, salubréque & noxium: an non ita? Ita prorsus, inquit. De scientia porrò nihil nouit, inquam, hoc enim soli tribuimus tẽperãtiæ. Sic est, inquit. Neq; de medicina igitur medicus quicquam nouit inquam: quandoquidem medicina scientia quædam est. Vera loqueris, inquit. Quod quidem scientiam aliquam habeat, tẽperatus agnoscet: [Medicum autẽ experientia

[a] *Si σωφροσύνη est scientiarum scientia nequaquam res ipsas intelliget. sed duntaxat quòd sciat vel ne sciat.*

oportet capere, qualis sit scientia medicina, quoniam considerat, quorum ipsa sit scientia id est circa quod subiectum versetur: aut neque quaquam hoc vna quæque scientia intelligitur esse non solum scientia, sed certa quædam scientia, quòd certi alicuius & definiti subiecti sit scientia?] Ita sanè. Per hoc igitur medicina alia ab aliis scientiis est, distincta est, quòd salubris est insalubrisque peritia. Nempe, inquit. An non in his considerare debet, inquam, quisquis medicinam considraturus accedit, in quibus videlicet ipsa versatur? Neque enim in extraneis in quibus non est, quærenda videtur. Non certè, inquit. In salubribus itaque eorúmque contrariis medicum considerabit inquantum [medendi facultate præditus est,] quicunque rectè hunc perscrutabitur. Videtur, inquit. Nónne in his ita vel dictis vel factis animaduertet, quæ verè dicantur, & quæ rectè agantur? Necessarium, inquit, est. An poterit vllus absque medicinæ peritia hæc assequi? Nullus, inquit. Neque alius, vt videtur, præter medicum, neque temperans igitur. Nam præter id quod temperans esset & medicus. Vera hæc sunt. Omnino igitur temperantia, si scientiæ inscitiæve scientia est, neque discernere medicum poterit medendi peritum, itémque medicinæ peritiam simulantem, vel sese habere putantem, neque alium quenquam eorum qui aliquid sciunt, præterquam hominem artis suæ professorem, quemadmodum artifices alij. Sic apparet. Quænam nobis vlterius, ô Critia, à temperantia cùm talis sit, est prouentura vtilitas? Si enim quod in principio supposuimus, cognosceret temperans

a *Concl. Sapientiæ non admodum magnã fore vtilitatem, si ipsa sit scientiæ scientia.*

perans quæ nouit, quæve non nouit, illa quidem, quòd noscit, hæc verò, quòd ignorat, & alium sic affectum diiudicare posset, emolumentum ingens temperantia præditi reportaremus: quippe sine peccato vitam ageremus, & nos quicunque temperantiæ participes, & cæteri omnes quicunque nostro imperio regerentur. Neque enim nos quæ ignoramus, agere aggrederemur: sed scientes homines perseruati illis vtique cederemus: neque aliis nostræ gubernationi subiectis agere concederemus aliud quicquam, nisi quod aggressi rectè forent acturi, id est autem, cuius haberent scientiam. Atque ita per temperantiam, & domus instituta rectè gubernaretur, & disposita ciuitas optimè regeretur, & aliud vnumquodque cui tẽperãtia ipsa præesset: nam errore sublato, rectitudineque ducente in singulis actionibus necesse est, ita viros instructos honestè atque bene agere, bene autem agentes beatos esse. An non sic, ô Critia, de temperantia dicebamus, dicentes quantum bonum sit nosse quę nouit aliquis, & quæ non nouit? Ita prorsus, inquit, Nunc autem vides nullam scientiam talem esse nobis apparuisse. Video equidem. [a] Nunquid bonum hoc continet, ea quam nunc inuenimus temperantiam esse, scilicet & scientiam & insciti am scire: quòd quicquid discendum tentabit, qui hac armatus est, facilius perdiscet, clarioráque omnia illi se offerent, vtpote circa omnia quæ discenda sunt, scientiam ipsam prospicienti, aliósque melius in his rebus examinabit quæ ipse discet. Qui autem absque hoc examinabunt, imbecillius & ineptius hoc faciunt. An eiusmodi

[a] *Quisnam possit esse vsus temperãtiæ hoc præsupposito ipsam esse scientiam scientiæ.*

quædam sunt, ô amice, quæ nobis temperantia confert? Nos autem maius quiddam excogitamus, ídq; maius quàm sit, esse requirimus. Fortè sic est, inquit. Forsitan, inquam ego, fortassis etiam nihil admodũ vtile indagauimus. Quod quidẽ inde coniecto, quia absurda quædam sequi videntur circa temperantiã, si ipsa sit talis. Videamus ergo si placet, concedentes fieri posse vt constet scientiã sciri :[a] quódque in principio posuimus, temperantiam videlicet esse, cognoscere quæ nouit aliquis, vel non nouit: ea re ne illam priuemus, sed demus potius, hísque concessis, diligentius etiã inuestigemus, vtrũ in præsentia nos iuuet, si talis existat. Quæ enim dicebamus modò, quòd ingés quoddã nobis esset temperantia bonũ, si [præficeretur rerum administrationi familiæ, aut ciuitati,] haud rectè, ô Critia, concessisse videmur. Quamobrem, inquit? Quoniam facilè nimium asseruimus bonum ingens fore hominibus, si nostrum singuli quæ quidem cognoscunt, egerint: quæ verò ignorant, scientibus aliis quibusdam reliquerint. Nónne rectè hæc asserta sunt? Non, inquam, vt mihi videtur. Absurda reuera loqueris Socrates. Per canem, inquam, ita in præsentia mihi videtur: atque hîc illum intuitus, dixi mihi absurda apparere, méque timere ne minus rectè consideraremus. Reuera enim si talis est temperantia, haud sanè video quid nobis afferat boni. Qua ratione, inquit, dicas, vt & nos quid sentias, cognoscamus. Negaturum quidem me arbitror. Necesse tamen quod occurrit, considerare: neque frustrà ac temerè præterire, si quis ipsius quoquo modo habet curam.[b] Scitè loqueris, inquit. Audi iam meum somnium, siue per cornu

[a] *Temperantia etiam si cognoscat ea quæ aliis artibus & sciẽtiis continentur non tamen vtilis erit ad benè beatéque viuẽdum, cùm ipsa diuersa sit à scientia boni & mali.*

[b] *Somnia alia per corneam alia per eburneã portam transire credebantur.*

cornu, seu per ebur emerserit. Si enim nobis quàm maximè dominaretur temperantia talis existens, qualem modò describimus [nihil præter quàm ex singularum scientiarum præscripto ageretur,] neque aliquis gubernatorem esse se iactans, cùm minimè sit, nos falleret, neque medicus, neque dux exercitus, neque alius vllus scientiæ falsus professor nos effugeret. His hunc in modum dispositis, aliud quiddam nobis contingeret : nam melius quàm nunc corporibus valeremus, & in maritimis militaribúsque periculis tutiores euaderemus. Vasa item & instrumenta, vestes, calceos, vniuersam denique suppellectilem ex arte magis commodiúsque institutam possideremus, ex eo quòd veris artificibus vteremur. Quod si etiam velis, vaticinationem concedamus futuri scientiam esse, & temperantiam illi præsidentem vanos ostentatores vitare, veros autem vates ad futurorum prædictionem eligere. Ita profectò genus hominum institutum, quòd scirè ageret viuerétque assentior. Nam custos vitæ hominum temperantia nunquam subrepere insciti am, & viribus vti suis permitteret : quòd autem secundum scientiam agentes, bene ageremus, essemúsque beati nondum percipere possum, ô amice Critia. Haud facilè alium bene agendi finem perfectionémque reperies, inquit, si actionem secundum scientiam spreueris. Paulò diligentius inquam, explica secúdum quam scientiam. Num secundum scientiam coriariam? Non per Iouem, inquit. An fortè ærariam fabricam? Neque istam, inquit. Num secundum lanificium, artificiúmque lignorum, aut quiddam huiusmodi? Neque istud,

inquit. Haud vlterius itaque eo in sermone ſtandum videtur, quo aſſerebatur beatum eſſe illum qui ſecundum ſcientiam viueret, nam hi ſecundum ſcientiam viuentes, beatè viuere abs te minimè affirmantur, ſed ex iis qui circa quædam ſcienter viuunt, placet mihi vt beatus accipiatur. Ac forſitan dicis, quem ego paulò antè dicebam, vatem futurorum omnium præſcium? Húncne, an alium inquit? Et hunc & alium, inquit. Quem inquam? Nunquid eum hominem qui non futura ſolùm, verumetiam præterita præſentiáque cognoſcat, nihílque ignoret? Fingamus eiuſmodi aliquem: hoc tu neminem alium magis è ſcientia viuere dicas, vt arbitror. Neminem prorſus, inquit. Hoc item addatur, quænam ſcientiarum potiſſimũ beatum facit, num ſimiliter cunctæ? Non ſimiliter, inquit. Verùm qualis maximè illa? Qua quis nouit præſens, præteritum atque futurũ? Nunquid ea qua talis ludere? Quid talos memoras, inquit? An fortè qua computare? Nequaquam. Num qua ſalubria? Hęc quidem magis. Illa verò quam dicis maximè inquam, qua quid? Qua bonum ac malum? O improbe, iamdudum me clam circulo quodam circunducis, occultáſque quòd id quod facit bene agere, & beatum eſſe, non ſit ſcienter & ſecundũ vniuerſas ſcientias viuere, [a] imò ſecundum vnam quandam boni malíue ſcientiam. Porrò ſi velis, ô Critia, ex aliis ſcientiis hanc excipere, minus & ipſa medicina ſanos efficiet, & cõtraria calceos minus ſuppeditabit, minúſque textoria veſtes, gubernatoria, maritima pericula, militaris, belli diſcrimina declinabit, ſeruabítque minus? Nihilo minus, inquit. At verò, ô amice Critia, inquam, ſublata hac ipſa ſcien-

[a] *Scientia boni & mali hominem reddit beatum.*

scientia boni scilicet, atque mali, nihil horum bene vtilitérue agetur. Vera loqueris, inquit. Haud hæc, vt videtur, temperantia est, sed ea cui opus est nobis prodesse. Non enim scientiarum & inscitiarum scientia est, sed boni mali ue cognitio. Quocirca si vtilis nobis est temperantia, ad aliud quiddam confert. An non prodest & hæc, inquit? Nempe si scientiarum scientia est temperantia, cæterisque scientiis præsidet, huic quoque scientiæ bonum malúmue discernenti similiter imperans, nobis proderit. Nunquid bonam corporis valetudinem præstabit, inquam, hæc potius quàm medicina? cæteráque artium aliarum opera hæc efficiet, artifices autem singuli à propriis cessabunt operibus? An non iampridem inter nos constitit temperantiam esse scientiæ, inscitiæue scientiam, nec vllius alterius? an non ita? Ita prorsus apparet, inquit. Non ergo erit opifex sanitatis, inquam. Non inquit. Alterius enim artis opus est sanitas. Alterius certè. Neque vtilitatis igitur, ô amice. Nam alteri hoc opus arti paulò antè tribuimus, nónne? Maximè. Quo pacto itaque vtilis nobis temperantia erit, quum vtilitatis nullius sit artifex? Nullo modo videtur, ô Socrates. Vidésne Critia, me suprà non iniuria timuisse, méque ipsum culpasse, quòd nihil magnum & vtile de temperantia perspiciam. Nunquam enim quod omnium conceditur pulcherrimum, hoc nobis apparuisset inutile, si quo pacto ad rectè inquirendum ipse vtilis essem. Nunc autem passim succumbimus, neque inuenire valemus ad quid potissimùm significandum temperantiæ nomen instituit ipse nominum autor, quanquam multa concessimus à ratione tamen pe-

a *Recapitulatio dubitationum quæ sese obtulerunt in excutienda vltima definitione Sapiētiæ.*

nitus abhorrentia. aPorrò scientiæ scientiam
esse conuenimus, reluctante ratione, idque
protinus refellente. Quinetiam hac ipsa scien-
tia reliquarum scientiarum opera nosci con-
cessimus, ratione similiter repugnante: vt vir
temperans talis esset, vt quæ nouit, sciat sei-
psum nosse, & quæ non nouit, ignorare rur-
sus intelligat. Hoc vtique magnificè nimium
liberéque concessimus, haud aduertentes im-
possibile esse, vt quæ nullo modo quis nosci,
noscat quodammodo. In hoc autem non con-
sensimus, videlicet aliquem ignorantem ali-
qua, quòd non cognoscat ipsa cognoscere: esse
nihil est, vt mea fert opinio, quod hoc videa-
tur absurdius. Verumtamen ita nos ineptos
potius quam duros pertinacésque hæc inda-
gatio nacta, nihilo magis veritatem inuenire
potest: sed vsqueadeò seipsam irrisit, vt quod
iamdiu nos communi consensu confinximus,
& temperantiam esse posuimus, hoc tandem
inutile quiddam insolenter & contumelioſe
nimium apparuerit. Tua quidem id causa po-
tius quàm mea, ô Charmides, ægrè fero, si tu
tam egregia specie ac temperantia animi præ-
ditus, nihil tanta virtute iuuaberis, nihilque
ipsa in vita tibi proderit. Molestius quoque
fero incantationis gratia, quam à Thrace illo
didici, si in re nullius pretij percipienda tan-
tum studium posui. Hæc itaque sic se habere
haud satis credo, imò ignauum esse me inue-
stigatorem arbitror, quippe qui temperantiam
seu moderationem animi magnum quoddam
bonum existimem: quod si habes, te beatum
esse minimè ambigo. Verùm cogita vtrum
possideas, & incantatione non egeas. Nam si
habeas, tibi equidem consulam vt me delirum
pu-

putes & inuestigandæ veritatis impotem, te verò quò es temperantior, cò beatiorem. Et Charmides. Nescio per Iouem, inquit, ô Socrates, vtrum habeam, nécne. Nam quo pacto illud intelligam, quod vos, vt ais ipse, quid sit inuenire nondum potestis? Equidem tibi non multùm credo Socrates. Imò indigere incantatione me arbitror, & quantum ad me attinet, nihil obstat quo minus quotidie mihi incantationibus medearis, quoad ipse satis habere me putes. Esto inquit Critias: verum, ô Charmides, si sic egeris argumento istud mihi erit, quòd temperatus sis, quia incantationibus Socratis te subiicias, nec ab eius latere vnquam discedas. Pariturum me & passim, inquit ille, sectaturum existimato. Nempe grauiter peccarem, nisi tibi tutori meo parerem, & quod iubes exequerer. Iubeo equidem, inquit Critias. Efficiam id sedulò, inquit, hodiéque incipiam Quænam his, inquam, deliberant? Nihil amplius, Charmides, inquit. Nempe decretum est. Vímne inferes inquam? neque mihi vllum vicissim consultandi relinques arbitrium? Vim prorsus inquit, illaturum putabo, quandoquidem hic præcipit. Ad hæc tu quoque quid acturus sis consulta. Nullus inquam restat consultandi locus, nam tibi agere aliquid affectanti cogentíque nemo resistere poterit. Neque tu ergo, inquit repugna. Haud equidem aduersabor inquam.

LACHES PLATONIS, VEL, DE fortitudine.

Marsilij Ficini Argumentum.

PLato sæpenumero magistratus optimos legibus anteponit, quòd leges absque illis omnino videantur inutiles: eas enim seruabit nullus: Magistratus autem optimi ipsi sint leges. Sed ait, Magistratus nõ posse optimos fieri, nisi ciues viri sint optimi: neq; viros fore tales, nisi adolescentes quoque pueriq; sint tales. Quapropter in omnibus penè dialogis parentes in primis ad rectè educandos filios adhortatur, sciens, non posse genus humanum absque gubernatorib. optimis vel honestè viuere, vel feliciter gubernari. Præterea nunquã fore bonos in republica principes, nisi viri sint probatissimi, statim videlicet à tenera ætate diligenter exculti. Cũ autem pueritia plerunq; sub domesticorũ prouidentia satis fermè regatur, adolescentia verò licentiam nacta solutiorẽ passim absq; frænis oberret, merito Plato noster plurimũ de adolescentibus corrigendis frænandisq; pertractat, grauiterq; conqueritur eam ætatem, quæ cũ mollitie lasciuiáque petulantiã superbiámque coniungit, ideóque in summo discrimine posita est, tum à domesticis parum obseruari, tũ à legibus, magistratibúsque infeliciter negligi præsertim cũ adolescentes tã se inuicem coinquinent, quã à grãdioribus passim inficiantur. Itaque in legibus & Republica magistratũ inter cæteros proprium adolescentiæ præficit. Qui tanquã, vt ita loquar, episcopus exploratores quotidie tam nocte quã die per totã mittat vrbem, singulos singulorũ adolescentũ mores, verba gestus obseruaturos, singu-

láque eorũ tum facta tũ dicta ad magistratũ velus ad pastorem patrémque fideliter delaturos. Nec tamen necessaria adolescentia diligentia soli ex omnibus Platoni sunt curæ: qua quidem in re nec Aristoteles ipse Platonem potuit non summopere cõprobare. Sed ad dialogum veniamus. Lysimachus & Melesias de filiis cogitant educandis de suis cõquesti parẽtibus, quòd publica curiosius pertractantes, domestica filiósque neglexerint, cũ tamen prima reipublicæ cura in curanda iuuentute consistat: & quãuis iam senes, tamen vt rectius ea re deliberent, Nicià Lachetémque etiam senes, quibus & filij sunt, ac consultandum similiter conuocant, ac ne quid minus prospectum sit, Socratem consilio adhibent, non modò socium, sed & iudicem, Socratem inquam, nihil aliud in omni eius vita tractantem, quàm tum de omni ætate, tum maximè de adolescentia ritè curanda. Tu verò considerabis interea miras Socraticæ vitæ laudes, item veras esse laudes quæ à viro laude digno proficiscuntur. At verò quoniã in aliis ciuitatib. institutio legum ad mansuetudinẽ magis declinat quã ad audaciã, in aliis verò cõtrà. Plato vtrunque arbitratus periculosum, & mansuetudinẽ audaciæ, & vicissim audaciã mansuetudini iubet in politico pariter cõmisceri. Siquis verò Charmidem Lacheti cõiunxit, exhortationemq; tum ibi ad temperantiã, tũ hic ad fortitudinem inuicẽ copulauerit, adolescentũ animos ritè contemperabit. Mitto quòd in hac præsentis dialogi ad fortitudinem exhortatione tam Nicias, quàm Laches militarem fortitudinem vltrà quã deceat admirantur, & Nicias præter armorũ laudes, quasi ad militiã præludia summopere necessaria laudib. supra modũ extollit. Sed hũc nõ iniuria Laches emẽdat. Posthæc sententia trãsfertur ad Socratẽ. Vbi animaduerte nullã cõsonantiã delectare magis, quã quæ in sapiẽte sit ex ipsa animi sermonisq; cõcor

dia. Atque contrà nullā dissonantiā magis offende re, quàm vbi lingua ménsque dissonant. Deinde hominem perditum, etiam si belle loquatur, audiendum non esse. Neque licere de moribus loqui nisi morato. Præterea Socratem semper consuetisse de quacunq; re disputaretur, disputationis socium eò perducere, vt totius vitæ suæ redderet rationem: quasi aliena frustrà cognoscas, nisi teipsum noris. Additur necesse in primis esse seipsum alicui examinanti subiicere, cui sæpe rationes ante actæ vitæ reddantur. Quod quidem confessionem annuam à Christianis institutam valdè confirmat. Additur & tandiu discendum, quandiu viuendum. Socrates autem omnium cautissimus iudicium sibi iniunctum ait traducendum in Seniores. Sed interea obsecratus à cunctis rem ipsam aggreditur, ante omnia quidem diligentiam in filiis educandis probans, improbans negligentiam. Adiungit non posse fieri vt quis ad fortitudinem aliquem adhortetur, nisi sciat quid ipsa fortitudo sit exprimere. Mox interrogatus Laches quid fortitudo sit confidentius respondet, esse virtutem per quam quis non deserens ordinem, expugnat hostem. Quod quidem ideò confutatur, quia potest aliquis Scytharum more non minus fugiendo quàm permanendo hostem vincere, atque æquè fortis esse. Ideóque Homerus eum appellat fortem qui opportunè audere scit atque timere. Paulò post ad quamlibet materiam fortitudinis victoria trahitur, quasi fortem virum deceat non modò formidines, verumetiam dolores, libidines, voluptates exuperare. Hinc quæritur communis ad hæc omnia fortitudinis definitio. Ad hæc respondet Laches, hanc esse quandam animi tolerantiam. At quoniam minus sufficienter est definitum, Socrates addere cogit tolerantiam ipsam oportere honestam esse atque conferentem, eiusmodi verò non erit, nisi pru-

prudèter id fiat. Ideóque compellit Lachetẽ dicere, fortitudinem propriè tolerantiam prudentem esse. Siquidem fortitudo pulchrum quiddam est atque bonum. Deinde quæritur quænam tolerantia, & ad quid prudens, id est, circa quam materiam, quódque officium. Labitur autem Laches quando generatim interrogatur, vtrum vbi audacia maior est, ibidem fortitudo sit maior: idque concedit: rursúsque admittit necessariò audaciam in eo esse maiorem, qui absque rei ipsius peritia, cognoscens tamen periculum, rem ipsam aggreditur, quam in eo qui peritia incedit instructus. Cautius enim tutiúsque is agit. Laches denique recipit, vbi plus audaciæ minúsue peritiæ prudentiæq; est, fortitudinem esse maiorem. In qua quidem concessione & sibiipsi repugnat, & admittit falsum. Nam fortitudo quidem pulchrum quiddam est, & conferens, audacia verò imprudens est, turpis, & noxia. Inter hæc nota tritam Socratis Platonisque sententiam. Ad illa quisque bonus est, ad quæ est sapiens: ad illa malus, ad quæ ignorans. Profectò quemadmodum errores omnes, tum manus in apprehendendo, tum pedis in gradiendo ab ipso videndi defectu procedunt, sic errata hominum omnia tum in eligendo, tum in agendo ex defectu intelligentiæ proficisci Socrates arbitratur. Nam vbi dux ipse cæcus est vel cæcutiens, omnia labuntur in præceps. Post Lachetem definit Nicias fortitudinem, metuendarum rerum & non metuendarum scientiam, qua videlicet ratione & quatenus metuenda inuadendáque sunt. Vocat vtique fortitudinem habitum quendam cum prudentia circa metuenda & inuadenda constantem. Audaciam verò sine prudentia temerariam vocat ferocitatem. Socrates contra Niciam sic argumentatur, Quorumcunque aliqua scientia est, non alia præteritorum est vt facta sunt, alia præsentiũ vt fiunt, alia futu-

vorum vt optimè fieri possunt, sed eiusmodi scientia est hæc omnia intelligere. Si ergo fortitudo scientia est audiendi & metuendi circa bona atque mala, videlicet vt futura sunt, nimirum est eiusmodi scientia eorundem vt præsentia sunt, atque præteritorum omnium ergo simpliciter. Est igitur vniuersa virtus. Nos autem fortitudinem ab initio tanquam virtutis partem aliquam quærebamus. Obiectio hæc non tam refellendi, quàm tentandi Niciæ gratia facta est. At Nicias definitionem suam nescivit defendere. Socrates autem inter seniores propter modestiam doctorem agere nolens, simulat se definitionem similiter ignorare: hortaturq; eos vt vna secum virtutum præceptores sibi antè perquirant, quam scientatem erudiendæ iuuentutis profiteantur, ostendens in omni ætate moralem disciplinam esse magnopere necessariam, ac sine rubore verecundiæ semper esse discendum. Definitiones verò quas vel hic de fortitudine, vel in Charmide de temperantia quæritis non hic, aut ibi, vbi exhortari & admonere duntaxat consilium est, sed in Republica & Legibus absoluuntur.

LYSIMACHVS, MELESIAS, NICIAS, LACHES, FILII NICIAE ET LACHETIS, SOCRATES.

VIRVM spectatis armis dimicantem, ô Nicia atque Laches: quam verò ob causam spectare hunc nobiscum vnà ego & Melesias hic vos iussimus, tunc quidem minimè declarauimus. Nunc autem aperiemus: nam liberè vobiscum loquendum existima-

ſtimamus. Sunt enim nonnulli qui hæc deri-
dent: ac ſi quis [eorum conſilium exquirat,
non dicunt quæ cogitant, ſed ſpectantes, quid
maximè gratum futurum ſit ei qui conſilium
petit, aliud quàm quod ſibi videtur reſpon-
dent. nos verò cùm exiſtimaremus vos, & ma-
ximè idoneos ad iudicandum, & cum iudica-
uerit is, nobis ſimpliciter aperituros animi ve-
ſtri ſententiam hac ratione potiſſimum per-
moti vos adhibuimus ad conſultationem eius
rei de qua vobis cum ſumus modò commu-
nicaturi.] Eſt autem quo de altius ſum exor-
ſus, eiuſmodi. Hi nobis filij ſunt, hic quidem
huius filius, auito nomine Thucydides nuncu-
patus: meus item alter, aui ſimiliter nomen
ſeruans: nam Ariſtidem nominamus. Vide-
túrque nobis quàm diligentiſſima horum cu-
ra ſuſcipienda, neque agendum putamus quod
multi ſolent, qui filios ſuos cum primum ado-
leuerint, pro ſua ſinunt libidine viuere: imò
verò nunc incipiendum eſſe ipſorum curam
habere, quo ad eius facere poterimus. Cum
itaque eſſe vobis filios videamus, iudicauimus
vos præ cæteris cogitaſſe, qua ratione educan-
di ſint vt optimi fiant: quòd ſi non multum a-
nimaduertiſtis, in præſentia admonemus vos
id negligere non debere, exhortamúrque vt
vnà nobiſcum de filiorum educatione deli-
beretis. Quam verò ob cauſam nobis hæc vi-
deantur, ô Nicia atque Laches, audire decet,
quamuis paulò prolixiora ſint quæ ſequun-
tur. Viuimus enim vnà ego & Meleſias hic, at-
que hi nobiſcum adoleſcentuli epulantur, no-
ſtróque conuiuio adhibentur. Vnde quemad-
modum in principio ſermonis ſignificaui, li-
berè vobiſcum audactérque loquimur. Sanè

vterque noſtrum multa poteſt patris ſui præclara tum pace, tum bello geſta his pueris narrare, quibus illi vel reipublicæ ſuæ vel ſociis profuerunt, à nobis verò geſta referre nulla poſſumus. Quare & horum nos pudet, & patrum negligentiam ſæpe culpamus, quòd nos poſtquam adoleuimus, in mollicie quadam & delitiis viuere permiſerunt, rebus aliorum interim intenti. Eadémque adoleſcentibus his oſtendentes, edicimus, ſi ſeipſos neglexerint noſtráque præcepta contempſerint ignobiles eos futuros: ſin aurem cutauerint, fortè dignos auitis nominibus euaſuros. Ipſi verò parituros ſe nobis reſpondent. Nobis autem de hoc inuicem conſultantibus qua diſciplina vel conſuetudine potiſſimum optimi fieri poſſunt, expoſuit quiſpiam operæpretium eſſe vt armis dimicare perdiſcant, laudauítque iſtum quem vos modò certantem ſpectaſtis, & contueri iuſſit. Optimum itaque fore putauimus, vt & nos ad hoc ſpectaculum veniremus, & vos vnà conuocaremus, tum ad ſpectandũ, tum etiam ſi vultis de adoleſcentulorum educatione communi cõſilio deliberandum. Hęc ſunt quæ conferre vobiſcum cupiebamus. Veſtrum nunc intereſt, tam de hac re diſcenda ſit nécne conſulere, quàm de aliis ſiquàm diſciplinam vel ſtudium adoleſcentis laude dignum habetis: tum de ſocietatis communione quid facturi ſitis, prædicere. NIC. Sententiam profectò veſtram, ô Lyſimache & Meleſia probo, & vobiſcum vnà inueſtigare paratus ſum, ſimilitérque affectum hunc Lachetem exiſtimo. LAC. Rectè putas, ô Nicia: profectò enim quod paulò antè referebat Lyſimachus de ſuo & Meleſiæ patre, quàm aptiſſimè dictum

ctum videtur aduersus illos, & nos, omnes qui-
eunque ciuilia tractant: nam, quod querebatur
Lysimachus, illi tam filios quàm cætera dome-
stica negligunt. In his itaque probè Lysimache
loqueris: quòd autem nos ad consultandū de
adolescentum institutione accersis, Socratem
autem istū non inuitas, admiror: primò quidē
conciuē, deinde in eo crebro quod vel discipli
nā, vel studiū iuuenū liberale, quale tu requi-
ris, habet, occupatū. LY. Quid ais Laches? Socra-
tes hic talia vnquam curauit? LA. Et maximè
quidem Lysimache. NI. Ego quoque huius rei
non deterior quàm Laches testis esse possum.
Nuper enim hospitem ad me deduxit erudien
di filii gratia Agathoclis discipulū Damonem,
musicæ præceptorem, vrbanum quidem virū
præ cæteris, atque peritum non in musica so-
lùm, sed etiam in cæteris facultatibus, quibus
certè dignus fit vt eius disciplinæ consuetudi-
nique adolescentes eiusmodi committantur.
LYS. Nequaquam, a ô Socrates, Niciáque, & a *Socrates adhuc iuue-nis iam seni-bus Lysima-cho filio Aristidis, & Melesia filio Thucy-didis.*
Laches, ego & æquales mei iuniores cognosci-
mus, vtpote qui nos domi ob ætatem plurimū
continemus. Verum si quid boni, ô Sophro-
nisci fili, conciui huic tuo consulere potes, cō-
sule. Decet enim: nam paternus nobis es ami-
cus. Semper enim ego ac pater tuus familiares
amicíque fuimus, ac ille vita prius decessit,
quàm vlla inter nos simultas exoriretur. Mihi
quoque quodammodo aures Socratis nomen
circumsonat, quod hi pueri domi altercantes
inuicem frequenter vsurpant, celebrántque
summopere, quos ego nondū percontatus sum
vtrum Socratem sophronisci filiū dicant, an a-
liū. Sed ô pueri dicite mihi, hícne Socrates ille,
quem adeò frequenter commemorate soletis?

PVE. Iſte proculdubio pater. LY. Bene quidem per Iunonem, ô Socrates, quòd patrem tuum extollis & cõdecoras virorum optimũ, & quòd nobis propria tua erunt, tibíque noſtra. LAC. Ne virum hunc dimittas Lyſimache: nam ego alibi ipſum quoque animaduerti, non patrem tantùm, verumetiam patriam condecorantem, porrò a in ipſa apud Delium fuga, mecum vnà pedem retulit, tibíque hoc affirmo, quòd ſi cæteri ſimiliter ſe geſſiſſent, ſtaret noſtra ciuitas neque tantã perpeſſa fuiſſet ruinam. LY. Optima hæc laus eſt, ô Socrates, [quæ tibi nunc tribuitur à viris fide dignis & quidem in his potiſſimum propter quæ te laudant.] Scito igitur me tua exiſtimatione lætari, tibíque ſummã beneuolentia eſſe deuinctum exiſtimato. Oportebat autem te iam ad nos accedere, domeſticóſque & familiares, vt decet, putare. Sed quando id factum non eſt poſthac, poſtquã nos inuicem agnouimus, ne aliter facias, imò beneuolentia quadam domeſtica cõplectaris & nos & hos iuniores, vt noſtra inter vos amicitia vtrinque ſeruetur. Hæc ſanè & tu facies, & nos deinceps iterũ in memoriã reuocabimus. Ad id autem quod inquirere cœpimus, quid dicitis? Nũ conducere putatis adoleſcentibus hãc diſciplinã, vt armis pugnare perdiſcant? SO. Conabor equidem, ô Lyſimache, ſi quid potero de his conſulere, & ea ad quæ me prouocas atque hortaris omnia facere: verũ par eſſe mihi videtur, vt cũ & iunior his, & ad hæc imperitior ipſe ſim, audiam primò quid ipſi ſentiãt, diſcãq;, ac ſi quid præter illorũ ſentẽtias habuero, tũc demũ tibi hiſque aperiã. Ac cur nõ ipſe prior, ô Nicia, loqueris? NIC. Nihil prohibet Socrates. b Videtur mihi

a *Socrates admodũ inuenis in pugna apud Delium fortiter dimicauit & strenuum se gessit.*

b *Armorum tractandorũ scientia cõmendatur.*

mihi peritia hæc passim prodesse iuuenib. neq; in his immorandum, quibus iuuenes otiũ nacti sese dare consueuerunt, sed eam facultatem comparare præstat, per quam habitus corporis robustus acquiritur. Nulla enim alia exercitatione inferior hæc est, aut minus laboriosa. Decet præterea liberũ hominẽ maximè exercitatio talis, & equestris peritia. Nam in eo certamine cuius nos athletæ sumus, & in his quorũ nobis est certamẽ propositũ, hi soli decertant, qui in eiusmodi belli instrumentis se exercent. Conferet quinetiã peritia hæc in ipsa pugna, quoties in acie ordinẽq; cũ aliis pernultis certandum. Maximè verò tunc proderit, cùm acies dissoluentur, & singulari certamine oportebit vel insequi repugnantẽ, vel in fuga inuadẽtẽ repellere. Nũquã sanè qui hac facultate instructus est, vni succũbet, fortè verò nec eriã plurib. imò per hanc passim exuperabit. Præterea alterius cuiusdam præclaræ disciplinæ facultas hæc desiderium affert: quilibet enim cum didicerit armis pugnare, discipli nam circa ordinandas acies, quæ statim sequitur, affectabit: hæc autem assequutus, & circa hæc cupiditate gloriæ inflammatus, ad exercitus præfecturam se conferet, ac summatim ad omnia quæ circa hæc versantur instituta studiáque præclara & cognitu vsúque digna, sese prima illa ducente conuertet. Adiiciemus itẽ quiddam non contemnendum, quòd vnumquenque in prælio audentiorem fortioremq; ipsum ipsi mirum in modum hæc facultas possit reddere. Neque illud insuper reticendũ, quanuis leuius videri possit, [quòd decentiori habitu compositum ibi virum efficiet, vbi maximè talem conspici oportet] Ibidem certè

ob ipsam dexteritatē atque habilitatē hostib⁹ terribilior apparebit. Mihi itaque, ô Lysimache, & operæpretium esse videtur, vt hæc adolescentes percipiāt: & quā ob causam ita putē, exposui. Veruntamē libenter audirem, siquid præter hæc Laches velit afferre. LYC. Ablurdus profectò sermo existimaretur, ô Nicia: si quis aliquā disciplinam diceret minimè comparandam. Præstare enim videtur scire omnia.

a *Vituperatio eius artis quæ docet armis pugnare.*

a Enimuerò facultas hæc circa arma, si disciplina quædā est, vt ferūt qui eā docent, & talis præterea qualē Nicias prædicat, discenda est. Sinautē disciplina non est, sed nos decipiūt qui hanc pollicentur, vel disciplina est quidem; sed haud multi prętii, quid hāc discere necesse est? Hæc vt dicam ex eo fit, quòd, vt reor, si alicuius hæc esset prætii, b nunquā Lacedæmonios latuisset, quibus nihil aliud curæ est in omni vita, quā ita se in omnibus comparare, vt bello cæteros omnes exuperēt. Quæ res si fortè illos latet, non tamen latuisset huius rei magistros, quòd & Spartani armis summopere studeant: & quòd si quis propter hanc artem in prætio fuerit apud illos, is apud alios pecunias facilè cumulare possit, quēadmodūtragœdiarū poeta apud nos honoratur. Nempe qui tragœdiis cō fidit suis, haud foris circū Atticā aberrat, per vrbes alias se ostentans, sed statim huc aduentat, & sua, idque meritò nostris qui hīc sunt hominibus, ostendit. Eos verò qui in armorū exercitatione versantur, video Lacedæmonem putare quasi quoddā inaccessibile templū, neque summo etiā pede ascendere vnquā audere. Imò circū oberrant, & apud alios se potius iactant, præcipuè inter illos, qui & ipsi se aliis multis in re militari inferiores esse confitentur.

b *Lacedæmone non exercebatur armorum tractandorum ars.*

tur. Præterea non paucis, ô Lysimache, generis huius hominib. interfui dimicantibus, & quales sint noui. Licet autem nobis etiã hinc coniectare. Quasi enim dedita opera nullus vnquã in bello illustris euasit eorũ qui [armorũ tractandorum attem exercuerunt, quanquã in omnibus aliis artibus ii celebres euadãt, qui illas studiosè exercuerunt.] soli tamen hi præter cæteros ad hoc voti impotes sunt, vsq; adeò infortunati videntur. Etenim Stesileũ hunc, quem vos mecũ tanta in turba sese ostentantẽ contemplati estis, & mira nimium profitentẽ, alibi quandoque inspexi certius re ipsa seipsũ haud sponte intuentibus demonstrantẽ. Naui enim in qua vehebatur, onerariam quandam aggrediente, falce cuspidata pugnabat, maxima quidem, maximus & ipse. Reliqua quidem viri huius gesta haud digna auditu sunt, hoc tamen non est silentio prætereundum, quid contigerit ex tam miro viri huius machinamento, qui telo falcem addidit, eo siquidẽ dimicante falx se nauis instrumentis implicuit. Trahebat autem Stesileus vt explicaret, neque poterat: nauis autem transibat, interea nauem cursu comitabatur hastam tenens: cùm verò nauis nauem iam præteriisset, & is hastam tenens attraheretur, ad extremum teli manu deuenit. Risus ergo ac strepidus onerariã in naui cõcitus ob Stesilei gestus, & ob id insuper quia lapide iuxta pedes eius in tabulatũ iacto, quidã coegit vt hastã dimitteret. Tunc sanè & illi qui triremi vehebãtur haud vlterius risũ cõtinere potuerunt, cũ cuspidatã illã falcẽ ex naui oneraria suspensam intuerentur. Fortè alicuius hæc prætii sunt, vt Nicias asserit, veruntamen ea quibus interfui, talia fuere. Quam-

obrem vt iam à principio dixi, siue disciplina hæc est, parum prodest: siue non est, sed simulant qui hanc profitentur, haud res studio digna videtur. Ita sanè arbitror, si quis timidus facultatem hanc sequatur, audaciorem ob hanc effectum, clariorem fore quã fuerit. Sin autem fortis quispiam eam sectetur, obseruatum ab omnibus, si parum quid aberret, magnas calumnias subiturum: inuidiosa nanque scientiæ huius professio: quocirca nisi virtute mirum in modum cæteris præstet, qui hanc sibi scientiam vendicat, vitare non poterit quin ridiculus habeatur. Eiusmodi videtur mihi Lysimache, huius disciplinæ studiũ. Oportet autem vt ab initio dicebã, summopere hunc Socratẽ obsecrare, vt circa propositam quæstionem pro sua ipse sententia cõsulat. LYS. Rogo equidem Socrates. Nam arbitri cuiusdam sententiam consultatio hæc desiderat: si enim hi inuicẽ conuenissent, minus eiusmodi consultatione esset opus nunc: postquàm verò Laches, vt cernis, & Nicias dissident, præstat audire nunc cuius ipse sententiæ potius suffrageris. SO. Quid verò Lysimache? hisce tu adhærebis, si plures nostrũ laudabunt? LYS. Quidnam aliud quis agat ô Socrates? SO. Nunquid & tu Melesia similiter faceres? Ac si de exercitatione filii consultares, nũ pluribus nostrũm fidem præstares, an potius illi qui sub perito exercitandi magistro discisset, léque exercuisset? ME. Illi meritò Socrates. SO. Ipsi itaque maiorem fidem adhiberes vni, quàm nobis quatuor. MEL. Forsitan. SOC. Scientia enim, non multitudine iudicare, quod rectè est iudicandum, oportet. ME. Pro-

cul-

culdubio. SOC. Nónne id in primis considerandum est, si quis inter nos artifex in ea re sit, qua de nunc deliberamus? an non? & si quis talis inueniatur, ei credendũ sententia cęterorum postposita? Si nullus, alius quidem nobis inuestigandus. [a] An exigua quadam de re nunc vos periclitari censetis tu & Lysimachus, potius quàm de vestrarum possessionum omnium pretiosissima? Filiis namque bene maléue institutis vniuersa domus paterna eodem modo gubernabitur, quo & filii affecti sunt. ME. Vera loqueris. SOCRAT. Diligenter igitur huic rei inuigilandum. MEL. Valdè. SO. Quónam igitur pacto quod modò dicebam considerauissemus, si inuenire propositum fuisset quis nostrûm sit certando maximè artificiosus? Nónne eum perscrutati essèmus qui & didicit & exercuit? cuíque videlicet idonei huius rei præceptores extiterunt? MEL. Ita quidem arbitror. SOC. An non prius etiàm quid illud sit, cuius præceptores quærimus, indagaremus? ME. Quî istuc ais? SOCRAT. Si clarius, fortè percipies: non videtur inter nos à principio constitisse quid illud sit de quo quærimus, quis nostrûm in eo maximè præstet, & huius gratia præceptores habuerit, & quis non. NIC. Nónne quærebamus, ô Socrates, vtrum oporteat discere adolescentes armis dimicare, nécne? SOC. Ita prorsus, ô Nicia, sed cùm de oculorum medela quærit aliquis, adhibendáne sit an non, tunc de medela putas, an de oculis consultari? NIC. De oculis. SOCRA-

[a] *Liberorum educatio quantæ curæ esse debeat.*

Et quando quæritur, vtrum frænum equo adhibendum nécne, & quando, tunc non de fræno, sed equo potius consultatur? NIC. Verum. SOC. Vt autem paucis comprehendam, quoties quis aliquid alicuius gratia quærit, de illo ipso consultatio est, cuius gratia aliud quæritur, non de eo quod quæritur alterius gratia. NIC. Necesse. SOCR. Oportet itaque consultorem considerare, vtrum ad eam rem curandam peritus sit, cuius gratia in præsentia deliberamus. NIC. Omnino. SOC. An non dictum est de disciplina perquiri, adolescentum animi gratia? NIC. Dictum. SOC. Ergo num quis nisi rûm curandorum animorum arte polleat, valeátque eos sufficienter excolere, & præceptores eruditos habuerit, inquirendum, est? NIC. Nunquámne vidisti, ô Socrates, quosdam fine præceptoribus in re quadam peritiores, quàm præceptoribus adhibitis euasisse? SOC. Vidi equidem Laches, quibus ipse tamen non crederes, si se optimos artifices prædicarent, nisi opus aliquod artis suæ rectè perfectum & elaboratum, & vnum & pluta monstrauerint. NIC. Verum est quod dicis. SOCR. Nos itaque decet, ô Laches & Nicia, postquàm Lysimachus atque Melesias ad consultandum de filiis conuocarunt, cupientes optimos illorum animos effici, si præceptores nos habuisse fatemur, eos ostendere qui & ipsi primùm optimi fuerint, & multorum adolescentum animos erudiuerint, posteà nos quoque docuerint. Vel si quis nostrûm præceptorem habuisse neget, opera sua monstrare debet, in mediúmque afferre quínam Athenienſium, vel hospitum, aut serui, aut liberi, diligentia ipsorum absque controuersia boni euaserint. Sin autem

neutrum

neutrum ostendere possumus, vt alios consultores adeant, iubere debemus, neque in amicorum filijs deprauandis id subire periculi, quo apud adolescentum domesticos accusationem maximam mereamur. Equidem, ô Lysimache atque Melesia, de me ipso in primis aſſero, nullum hac de re mihi magistrum extitisse, quanquam à tenera ætate semper rem hanc affectaui. Veruntamen Sophistis mercedem soluere non valeo, qui soli polliciti sunt * bonum me & honestum efficere. Ipse verò proprio ingenio artem hanc inuenire etiam nunc minimè possum, quàm si Nicias hic vel Laches inuenit vel didicit, haud equidem admirabor. Etenim pecuniis magis abundant, vt ab aliis discere queant: & seniores sunt, vt iam inuenire potuerint. Videntur antè mihi ad erudiendum sufficere: neque enim tã intrepidè de studiis iuueni cõmodis aut incõmodis statuissẽt, nisi putassent satis sibi nota. Ac cætera equidẽ his credo, quòd verò inter se dissentiant admiratus sum. Atqui quemadmodum paulò antè Laches iubebat, ne me dimitteres, sed per contareris, ita nunc ego vicissim te rogo iubeóque Lysimache, ne Lachetem Niciámque dimittas, sed ab his scisciteris, dicens eis Socratem dixisse, rem se nec intelligere, neque diiudicare posse vter vestrum vera loquatur: [a] quippe cùm nec inuentor harum rerum ipse fuerit, neque ab alio docente didicerit. Tu autem Laches ac Nicia dicite vtrique nobis, quem circa iuuenũ educationẽ doctissimũ conueneritis, & vtrũ discẽtes ab aliquo sciatis hæc, an ipsi potius inuentores sitis? Quod si didicistis, quis vtriusq; magister? quíve alij artis eiusdẽ professores? Vt si minus vobis ad hæc à reipublicæ negotiis

* καλὸν κ' ἀγαθὸν.

a *Quæ scimus vel ex nobis inuenimus vel ex aliis discimus.*

supereſt otij, eos adeamus, perſuadeamúſque vel muneribus, vel gratia, vel vtriſque, vt & noſtrorum & veſtrorũ filiorum curã ſuſcipiant, ne improbi facti maioribus ſuis dedecori ſint. Si nauré ipſi vos hoc inueniſtis, adducite exẽplis cauſa, ſi quos fortè alios diligentia veſtra ex prauis bonos clarósque homines reddideritis. Enimuerò ſi nũnc primùm docere incipitis, animaduertendum eſt ne non in * Care (vt aiunt) Periculum fiat, ſed in veſtris & amicorum filiis. & planè contingat, quod prouerbio dicitur, In * dolio figulariam experiri. Dicite itaque, quid ex his adeſſe & competere vobis aſſeritis, negatíſve? Hæc tu ab his ſciſcitare Lyſimache, neque eos dimittas prius, quàm reſpõdeant. LYS. Probè loqui Socrates, ô viri, mihi videtur. Si ergo vobis gratũ futurũ eſt, ô Nicia atque Laches, interrogantibus reſpondere, ipſi videritis: mihi certè & huic Meleſiæ gratum, ſi velitis omnia quæ interrogat Socrates, ratione percurrere. Etenim ſtatim à principio dixi idcirco ad cõſultandũ vos adhibitos eſſe, quod cogitata vobis hæc iã, vt decens eſt, arbitrarẽmur: præſertim cùm filios habeatis vt nos, ea fermè in ætate iam conſtitutos, in qua de eruditione iſt cogitandum. Si ergo nihil prohibet, dicite obſecro, vnáque cum Socrate hoc conſiderate, & a reddentes, & accipientes inuicem rationem. Rectè nanque & hoc hic dicebat, de maxima quadam rerum omniũ noſtrarum in præſentia nos deliberare. Videte itaque vtrum ſic agendum exiſtimetis. NIC. Videris certè mihi Lyſimache, Socratem ex patre tantùm cognoſcere, neque cum eo vnquam conſuetudinẽ habuiſſe, niſi fortè dum eſſet puer, patrem ſequutus aliquando vel in templo, vel

* Prouerb. in Care periculum facere.

* Prouerb. in dolio figulariam experiri.

a *Dare & accipere inuicem rationes.*

vel alio populari conuentu tibi adhæserit. Virum autem hunc factum nondum, vt apparet, es alloquutus. LYS. Cur ô Nicia? NIC. a Ignorare videris, quòd quicunque sermone, quasi genere, propinquat Socrati, illíque disputans hæret, licet de alio quoquam cœperit disputare, cogitur tandem Socratis verbis circunductus suæ vitæ reddere rationẽ, quæ sit præsentis, quæ ante acta ipsius vitæ conditio. Et postquàm in hæc incidit, non prius eũ dimittit Socrates, quàm cuncta hæc sufficienter examinauerit. Ego autem hoc familiariter vsus sum, ac necessariũ esse cognosco huius ex verbis hæc percipi, ac quòd nunc mihi hoc subeundum sit non ignoro. Delectat me admodũ huius, ô Lysimache, consuetudo. Neque enim obesse puto vt in memoriam reducatur, si quid non rectè vel fecerimus, vel faciamus. Imò verò necesse est eum qui hæc non refugit, cautiorem in posterum fieri existimantem secundum Solonis leges tandiu discendum, quandiu viuitur, neque sperandum à b senectute mentem nobis datum iri. Mihi itaque nec insuetũ est, nec iniucundum à Socrate hoc examinari. Atqui iampridem id sciebam, sermonem nobis non de pueris præsente Socrate, sed de nobis ipsis futurum. Quamobrem nihil prohibet, quo minus cum Socrate vtcunque vult ipse, differam. Verùm considera quo pacto Laches erga hæc affectus sit. LAC. Simpliciter equidem Nicia erga sermones afficior, imò verò si vis dupliciter. Porrò sermonum amator videri cuipiam possem, & aliquando contrà. Nam quoties de virtute vel de sapientia quadã aliquem audio disputantem, reuera virum dignũque sermonibus ipsis, mira quadã afficior

a *Socrates ad rum, quibus cum disputaret & cõgrederetur, vitã & mores explorare solitus fuit.*

b *Senectus ipsa per se non dat mẽtem.*

voluptate, contemplans dicentem simul ac dicta quàm congrua inter se & consona sint.

[a] *Harmonia vitæ seu morum & orationis.*

[a] Atque hic profectò vir musicus esse mihi videtur, harmoniam suauissimum modulatus, non lyram, neque iocularia quædam instrumenta, sed vitam reuera contemperans concordia verborum & operum, concinentem secundum [b] Doricam videlicet melodiam, non Ionicam, aut Phrygiam, aut Lydiam, sed eam certè quæ sola Græca est harmonia. Talis itaque vir mirificè suis me verbis delectat, facitque vt sermonum amator esse videar: tanta attentione dicta illius accipio. Quisquis autem agit contrà meas offendit aures, & quò loqui videtur ornatius, eò magis facit vt videar à sermonibus abhorrere. Socratis quidem verba nondum expertus sum, opera certè antea sum expertus, & quandoque mihi cõpertum est, hunc præclaris sermonibus omnique libertate loquendi dignum esse. Si ergo & hoc habet, cũ eo planè consentio, atque libentissimè ab eiusmodi viro examinarer, neq; molestum mihi erit ab eo aliquid discere. Atqui & Soloni (isthuc modò adiici patiatur) concedo, nempe, sed à bonis duntaxat multa senescẽs discere volo. Hoc igitur sit mihi concessum, ipsum præceptorem bonum esse, ne fortè dum inuitus disco, indocilis esse videar: [c] neq; mihi curæ est, vtrum sit præceptor iunior, vel nondum opinione hominum clarus, vel aliud tale quid habeat. Tibi igitur prædico Socrates, vt me quomodocunque vis & doceas, & redarguas, & discas quod ipse nouerim. Sic certè erga te affectus sum ex eo die, quo mecum subiisti discrimen, tuaque virtutis fecisti periculũ, specimen tale præbens, quale exhibere debet quis-

[b] *Harmoniæ species.*

[c] *In idoneo monitore, nõ spectanda ætas vel fama.*

quisquis iustè periculum est facturus. Dicas ergo quod lubet, nihil ætatē nostrā veritus. SOC. Ergo incusare vos non poterimus, quasi minus ad consulendū inuestigādúmque paratos. LYS. Sed nostrū certè hoc negotiū est, ô Socrates. Vnū enim ego te nostrûm reputo. Cogita pro me adolescentū gratia, quid ab iis quærere nos oporteat, cúmque his differendo cōsulta: nam mihi quidem multa memoria propter senium exciderunt, ex his quæ perquirere statueram. Nec eorū sanè quæ audiam, si qui alij sermones interuenerint, meminero satis. Quapropter vos inuicem quæ proposuimus, percurrite, ego verò audiam, & cū audiuero, vnà cum hoc Melesia quicquid statueritis, peragā.

SOCR. O Nicia atque Laches, Lysimacho Melesiæque parendum. Quæ igitur suprà inuestigare contendimus, videlicet quinam præceptores nobis disciplinæ talis extiterint, vel quos alios ipsi nos meliores fecerimus, fortè nihil obesset inter nos ipsos examinare. Verùm eiusmodi quædam consideratio eodem recidet, imò perinde erit, vt à principio. Nam si de aliquo quocunque tandem compertum nobis sit, quòd id præsens alicui melius efficiat cui sit præsens: tum si hoc illi admouere possemus, etiam illud ipsum quo de consilium caperetur, quo quis pacto quàm facillimè atque optimè sibi acquireret, intelligeremus. Fortè non intelligitis, verum sic facilius comprehendetis. Si sciremus quòd visus oculis præsens meliores illos facit quibus adest, rursúsque possemus oculis ipsum adhibere, patet quòd etiam quid ipse visus sit, cognosceremus, de quo aliquādo consultandū nobis esset, qua ratione quàm facillimè & cōmodissimè ipsum

quis cõparet: Si enim idipsũ nobis ignotũ esset quid visus, quid auditus sit, nunquã idonei cõsultores medicinæ circa oculos aurémve essemus, inuestigãtes quomodo optimé quis visũ auditúmve recuperet. LAC. Vera narras ô Socrates. SOC. Nónne hi nos in præsentia, ô Laches, adhibuerunt in consilium, qua ratione virtus animis filiorum suorum adhibita, eos meliores efficiat? LAC. Profectò. SOC. Nónne igitur constare id oportet, videlicet quid ipsa virtus sit, intelligere? Si enim quid virtus sit, penitus ignoremus, quo pacto consulere cuiquã poterimus, viámque optimã & facillimam ad virtutẽ consequendã ostẽdere? LAC. Nullo modo ô Socrates. SOC. Fatemúrne Laches, quid virtus sit intelligere? LAC. Fatemur certè. SOC. Si intelligimus, certè quid sit etiã exprimere possumus. LAC. Nihil prohibet. SOC. Haud tamen quid vniuersa sit virtus statim vt optime, perquiramus. Maius nanque id opus: sed de parte primũ aliqua videamus, vtrũ satis nobis pateat, atq; hũc in modũ facilior nobis erit inuestigatio. LA. Vtcũque placet, agamus. SOC. Quam itaque potissimũ virtutis partem eligemus? an videlicet eam ad quã ipsa armorum disciplina spectare videtur? Videtur autẽ multis ad fortitudinem, nónne? LAC. Et maximè quidem. SOCR. Primùm ergo quid fortitudo sit, ô Laches, apetire conemur: deinde inuestigabimus quo pacto ab adolescentibus, quoad exercitatione & doctrina fieri potest, cõparetur. Quapropter annitere quid fortitudo sit, nobis exponere. LA. Haud dictũ difficile istud ô Socrat. Certò scito illũ esse fortẽ, qui ordinẽ seruãs in oppugnãdis hostibus instat, nec fugit. SOC. Bene loqueris Laches. Sed ego for-

a *Definitio rei de qua à nobis consilium quæritur ante omnia cognoscenda.*

b *Fortitudinis definitio vitiosa quia non generalis.*

forsitã cũ verbis obscuriorib. te rogarẽ, causam dedi, vt aliud respõderis, quàm quod interrogãs ipse sensissem. LA. Qua ratione id ais Socrates? SO. Explicabo si potero. Fortis vtique is est quẽ dicis ipse, quicũq; ordiné nõ deserẽs aduersus hostes pugnat. LA. Hũc ipsum dico. SO. Atqui & ego. Sed nunquid & ille qui non permanẽs, sed fugiens pugnat? LA. Quomodo fugiẽs? SO. [a] Quẽadmodũ Scythæ dicũtur non minus fugiendo, quã insequẽdo pugnare. Vnde & Homerus equos Æneæ laudãs ait, celeriter hinc & illinc persequi atque fugere? Æneámq; ipsum similiter ab ipsa metuẽdi scientia quãdoq; laudauit, dixitq; illũ esse metuẽdi fugiẽdiq; peritũ. LA. Et rectè quidẽ, ô Socrates. nã de currib. loquebatur, tu verò de Scytharum equitib. loqueris, equites sane illorum sic dimicãt: [grauis autẽ armaturæ milites apud Græcos, eo modo pugnãt, quo modò dicebã.] SOCR. Præter Lacedæmonios fortasse ô Laches. Nempe Lacedæmonios aiunt in Plateis, cum in scutiferos incidissent, non sustinuisse primum illorum impetum, neque perstitisse, sed fugisse potius. Postquã verò Persarũ solutæ sunt acies, se equitũ more conuertisse, atque ea pugna victores euasisse. LA. Vera narras. SOC. Meritò ergo dicebã, ex eo quòd ego non probè interrogassem factũ esse, vt tu quoque non rectè respõderis. [b] Interrogare enim volebã non solùm de iis qui circa leuẽ armaturam fortes sunt, sed etiam de equitibus, déque omnibus simpliciter in quouis belli genere fortibus, neque in terra duntaxat, sed in maritimis tempestatibus, imò etiam de iis quicunque aduersus morbos, vel inopiam, vel ciuilia negocia fortes sunt. Neque

[a] *Scythæ fugiendo pugnant.*

Iliad. 5.

Iliad. 15.

[b] *Fortitudo circa quæ versetur.*

de his tantùm qui aduersus dolores metúsve constantes sunt, sed de illis etiã qui contra voluptates cupiditates pugnare fortiter possunt siue persistentes, siue etiam tergiuersantes. Sũt nanque & in hisce rebus, ô Laches, fortes nõnulli. LAC. Et maximè quidẽ ô Socrates. SOC. Nónne omnes hi fortes sunt? Veruntamẽ partim circa voluptates, partim circa dolores, partim circa cupiditates, partim circa timores fortitudinem possident: & qui timidi sunt, circa eadẽ, vt arbitror, timidi. LAC. Sic est omnino. SOC. Quid sit vtrunque horum, interrogabã. Rursus itaque pro viribus exprime quid ipsa fortitudo sit, quę in his omnibus eadem reperitur. Nondum quid dicam intelligis? LACH. Non satis. SOC. [a] Dico autẽ perinde ac si interrogassem, quid est ipsa velocitas, quæ currendo, citharámque pulsando, & loquendo, & discendo, cæterisque permultis in rebus nobis adest: quã quidẽ, vt dictu dignũ est, vel in manuum, vel pedum, vel oris, vocisque, vel intelligentiæ motibus possidemus. Nónne & tu similiter dicis? LAC. Prorsus. SOC. Ergo si quis me percontaretur, ô Socrates, quid esse dicis istud quo in omnibus velocitatẽ nominas? respondereb vtique vim breui in tempore multa peragẽtem, tam circa vocem, quàm cursum, ac cætera omnia mihi videri. LAC. Rectè. SOC. Conare igitur & tu Laches, fortitudinem similiter definire, quænam ipsa potentia sit in voluptate, doloréque, & omnibus quibus conuenire modò dicebamus, eadem fortitudo per singula nominata. LACH. [c] Videtur mihi fortitudo tolerantia quædam animi esse, si quod per omnia fortitudini conuenit, dicendum. SOC. Dicendum profectò, si nobis ipsi

[a] *Definitionis vniuersalis exemplum.*

[b] *Velocitas quid.*

[c] *Alia definitio fortitudinis, quæ etiam reprehenditur vt latius patẽs definitio.*

ipsi ad interrogata respondeamus. Arbitror autem non quamlibet tolerantiam fortitudinem te putare. Quod hinc sanè conicio. Hoc fermè cognosco Laches, te pulchrum quiddã fortitudinem esse putare. LAC. Imò certè pulcherrimũ. SOC. Nónne tolerantia quam prudentia comitatur, & pulchra est & bona? LAC. Omnino. SOC. Ea verò quam imprudentia, nónne contra dãnosa ac noxia? LAC. Nempe SOC. Pulchrum ne ipse vocabis quod tale sit dãnosum ac noxium? LAC. Nefas istud ô Socrates. SOC. Non ergo tolerantiam eiusmodi fortitudinẽ nuncupabis, quandoquidem haud pulchra est, quũ tamen fortitudo ipsa sit pulchra. LAC. Vera loqueris. SOC. Prudens itaque tolerantia secundũ orationem tuã est fortitudo. LAC. Videtur. SOC. Videamus ergo quænam tolerantia, & qua in re prudens sit fortitudo, nunquid ad omnia tú magna, tum parua? veluti si quis toleret, dum prudenter argẽtum erogat, cognoscens ex hoc sumptu se lucraturum, húncne fortem dices? LAC. Nequaquam. SOCR. An verò si quis medicus, cùm filius eius, vel alius quiuis pulmonis angustia grauatus, potum dari cibúmque petit, toleret, neque flectatur? LAC. Neque tolerantiam hanc fortitudinem appellabo. SOC. [a] At verò in bello tolerantẽ virũ promptúmque ad pugnam, qui prudenter singulis circũspectis præuideat, & auxilia affutura, & aduersus pauciores, debiliorésque sibi pugnandum, tum loco commodiore vteretur, virúmne, inquam, tali cum prouidentia & apparatu tolerantem, fortiorem dices eo, qui in contrario quodam exercitu sustineat ac tolerat? LAC. Imò verò hunc qui in contrario Socrates. SOC. Imprudentior

[a] *Fortiores esse videtur qui sine arte & scientia aliquid arduum aggrediũtur, quã qui cũ arte & scientia.*

tamen est huius, quàm illius alterius toleran-
tia. LA. Vera loqueris. SOC. Ergo & hominem
equestri scientia præditum, & in equestri cer-
tamine tolerantẽ, minùs fortẽ dices eo, qui ex-
pers huius scientiæ tolerat? LAC. Mihi quidem
ita videtur. SOC. Atqui & illum præterea qui
sciens funda iacere, arcúmq; intẽdere, vel aliud
quodnis toleret, minus fortem? LA. Omnino.
SOC. Itẽ quicunque sine arte natandi in puteũ
descendentes, eo in opere tolerare ac persiste-
re audent, vel in alio quouis opere sine arte,
eos tu fortiores dices iis qui sunt illarũ artiũ
eruditi? LA. Quid aliud quis dixerit, Socrates?
SOC. Nihil, si modò ita quis putet. LA. Puto
equidem. SOC. Attamen imprudentius hi pe-
ricula subeunt tolerántque, quàm illi qui arte
hęc aggrediuntur. LAC. Videntur. SOC. Nón-
ne suprà turpis ac noxia nobis audacia tole-
rantiáque imprudens apparuit? LAC. Maxi-
mè. SOC. Concessum est autẽ fortitudinẽ pul-
chrũ aliquid esse. LAC. Concessum planè. SO.
[a]Nunc rursus concedimus turpẽ illam impru-
dentémq; tolerantiã fortitudinẽ esse. LAC. Sic
apparuit. SOC. Recténe loqui tibi videmur?
LAC. Mihi verò minimè per Iouẽ, ô Socrates.
SOC. Non ergo secundũ Doricã harmoniam,
vt verbis tuis vtar, ego ac tu modò concini-
mus: Nam opera nobis verbis non consonant.
Re quidẽ ipsa dicet aliquis fortitudinis nos es-
se participes, verbis autẽ minimè, vt arbitror,
si nos in præsentia audiuerit disputantes. LA.
Verissima narras. SOC. Videtúrne tibi pul-
chrum esse, vt sic affecti simus? LAC. Nequa-
quam. SOC. Vísne sermoni quem induximus,
hoc saltem credamus, pareamúsque? LACH.
Quídnam, & cui potissimùm? SOC. Sermoni
inquam

[a] *Fortitudinem non esse cum imperitia coniunctam ostenditur.*

inquam, tolerare iubenti. Si ergo tibi placet, & in hac ipsa quæstione consteruatus toleremúsq; ne ipsa nos fortitudo derideat, quòd minus fortiter ipsam inuestigemus, si sæpenumerò tolerantia ipsa constantiáque fortitudo est. LAC. Ego quidem, ô Socrates sum ad perseuerandum paratus, quamuis insueti mihi sermones sint: sed quidã me aduersus superiora contendendi instigat ardor, ac reuera ægrè fero, si vsqueadeò ineptus sum ad ea quæ sentio proferenda. Nempe mihi videor quid fortitudo sit, intelligere. Nescio tamen quo pacto paulò antè me subterfugerit, vt quid ipsa sit, verbis complecti nequiuerim. SOC. Nónne bonum venatorem decet, amice, [repetito cursu ferani insequi,] neque ignauè desistere? LAC. Decet profectò. SOC. Vis itaque Niciam istum ad venationem hanc inuitemus, siquo pacto is nobis sit sagacior? LAC. Quidni velim? SOC. Age Nicia, amicis tuis sermonum fluctu nutantib. subueni, vacillantibúsque siquam vim habes, accurre. Cernis quantum nostra deficiant, ac dubia sint. Tu ergo explicans quid esse fortitudinem putes, ambiguitatem solue, tuámque sententiam ratione confirma.

NIC. Videmini, ô Socrates, mihi iamdiu non rectè fortitudinem definiisse. Ea portò sententia, quàm rectè abs te inductam quandoque audiui, [non vtimini. SOC. Quam sententiam intelligis Nicia? NIC. [a] Sæpenumerò extè audiui, quemlibet in iis bonum esse, in quibus sapit: non bonum in quibus est indoctus. SOC. Vera per Iouẽ refers. ô Nicia. NI. Nónne igitur si fortis vir bonus est, est & sapiẽs? SO. Audis Laches? LA. Audio equidẽ, sed quid dicat, non satis intelligo. SOC. At ego

[a] *Vnusquisque in ea re bonus est in qua sapiens est.*

mihi intelligere videor. Opinor enim hunc sapientiā quandā, fortitudinē dicere. LACH. Quā sapientiā Socrates? SOC. Nónne ab hoc istud quæris? LAC. Certè. SOC. Age Nicia, huic declara, qualis sapientia secundum orationem tuā sit fortitudo, neq; enim tibicinaria. NIC. Non SOC. Neque etiā citharistria. NIC. Haud equidē. SOC. At verò quēnā tandē, & cuius rei scientia? LAC. Rectè admodum interrogas illū, ô Socrates: ideóque exponat quam sapientiā esse dicat. NIC. [a] Scientiā metuendarū rerū, & non metuendarū, tam in bello, quàm in cæteris omnib. LAC. Quàm absurdè hic, ô Socrates, loquitur! SOC. Quāobrem ita dicis Laches? LAC. Quamobrē? Quia diuersa est à fortitudine sapientia. SOC. Nónne hoc dicit Nicias? LAC. Non hercle, & idcirco delirat. SOC. Quin doceamus illum, omissis conuitiis. NIC. At cupit Laches is, ô Socrates, me tanquā nihil dicentē redargui. postquàm ei paulò antè hoc ipsum accidit. LAC. Absque dubio Nicia, idq; conabor ostendere: nihil. n. dicis. Nónne in morbis medici metuenda cognoscunt, an videtur tibi fortes ista cognoscere? vel tu medicos fortes vocas? NIC. Neq; agricultores arbitror, licet hi in agris colendis, quæ sint metuenda, cognoscāt, quinetiā artifices alij, quæ audere decet, & quæ metuere suis in artibus. sciūt, qui nihilo magis fortes sunt. SOC. Quid tibi dicere Laches videtur, ô Nicia? aliquid certè dicere videtur. NIC. Aliquid certè dicit, non tamen verūm. SOC. Quare? NIC. Quoniā [b] medicos arbitratur vlterius quicquā nosse circa ægrotos præter id quod ægrū noxiúmque vel quod sanum & salubre. Ipsi verò hoc duntaxat intelligunt. Vtrum verò extimescendum,

[a] *Alia definitio fortitudinis allata à Nicea & refutata à Lasbete.*

[b] *Medici circa ægrotos nihil cognoscūt, nisi noxium vel salubre.*

malúm.

malúmque alicui sit esse sanũ potius, quàm ægrotare, censes hoc, ô Laches, medicos intelligere? An non putas præstare nonnullis ex morbo nõ cõualescere, quàm cõualescere? Dic enim, túne asseris omnib. præstare vt viuant, nec multis conducere mortẽ? LAC. Hoc equidem potius. NIC. Quibus mori præstat eadẽ metuenda, maláque existimas, quę & illis quibus viuere? LAC. Nequaquã. NIC. Harũ verò rerũ iudiciũ medico tribuis? vel alteri cuidam artifici præterquàm metuenda, & nõ metuẽda intelligenti, quẽ ego fortẽ voco? s o. Aduertísne Laches, quid iste loquatur? LA. Aduerto equidem, quòd vates fortes nũcupat. Nam quis alius norit quibus mori præstet, quàm viuere? Atqui, ô Nicia, vtrum fateris vatẽ esse te, vel neque vatem, neque fortem? NIC. Nunquid vatis officium putas, quatenus cedendum, quatenus audendũ sit, dignoscere? LAC. Puto equidem: nam cuius sit præterea? NIC. Eius planè quem ipse dico multò magis vir optime. Quippe[a] ad vatem spectat solum futurorũ portenta signáq; prænoscere, siue mors cuiquã immineat, siue morbus, seu iactura rerum, vel victoria, vel clades in bello, aut alio quouis certamine. Quid autẽ ex his cuiq;, aut pati aut non pati præstet, cur vates potius, quàm quiuis alius iudicabit? LACH. Nescio quid iste sibi velit Socrates: neque enim vatem, neque medicum, neque alium quempiam declarat, quem fortem esse dicat, nisi fortè Deum quendam esse ipsum dixerit. Mihi quidem videtur Nicias ingenuè fateri nolle se mihi dicere, sursum verò deorsúmque fertur, & ignorantiam suam abscondit. Enim verò & nos paulò antè, ego sci-

[a] *Vatis officium quodnam sit.*

licet ac tu Socrates, tergiuersari simpliciter poteramus, si dissimulare voluissemus, adeò vt non videremur nobis ipsis contraria loqui. Si igitur in iudicio nobis esset orandum, deceret quodammodo hoc efficere. Nunc autem quid opus est in hoc cœtu frustra se verbis inanibus ornare? SOCR. Nihil, vt mihi videtur, Lathes. Sed videamus ne fortè Nicias aliquid se dicere putet, neque verborum gratia hæc dicat. Quare ab ipso planius sciscitemur, quid sentiat: ac si quid veri afferre videtur, assentiemur, sin minus, docebimus. LAC. Ipse, si vis interroga, Socrates. Ego enim satis percontatus sum. SOCR. Nihil prohibet. Communis enim & mihi & tibi erit interrogatio. LAC. Omnino quidem. SOCR. Die mihi, ô Nicia, imò die nobis: nã & mihi & Lacheti quæstio hæc est communis: fortitudinem esse dicis metuendorum & non metuendorum scientiam? NIC. Equidem, SOC. Hoc autem dignoscere non cuiuslibet viri opus esse, post quàm neque medicus, neque vates hoc scit, neque fortis est, nisi hanc ipsam scientiam adeptus. An non ita dicebas? NIC. Ita prorsus. SOC. Quare, vt Prouerbio dicitur, Non sus hoc quæuis norit, neque fortis erit. NIC. Non certè, vt mihi videtur. SOC. Constat vtique Nicia, quod neque Cromyoniam suem fortem fuisse credis. * Neque iocandi gratia hæc dico, verum arbitror eum qui ita loquitur, nullius bruti admittere fortitudinem, neque concedere brutum aliquod adeò sapiens esse, vt quæ perpauci homines propter difficultatem cognoscunt, ea leo, vel leopardus, vel aper aliquis nouerit: sed necesse est illum qui ita, vt tu fortitudinem definierit, dicere leonem, serpentem, taurum ac simiam, ad fortitu-

* Prouerb. Vide Plut. in Theseo.

a *An fortitudo sit in bestiis.*

fortitudinem æquè omnia natura esse instituta. LAC. Per deos rectè loqueris Socrates, ídque nobis,ô Nicia,reuera respondes: vtrum sapientiores nobis has feras esse dicas, quas omnes fortes esse fatemur: vel contrà omnium opinionem, fortes esse negare audeas. NIC. Equidem Laches,neque bruta fortia voco,neque aliud quicquam ob insciriam terribilium nihil formidans, intrepidúmque & fatuum. An pueros omnes fortes vocare me putas,qui ob insciriam nihil metuunt? Arbitror equidè intrepidum non idem esse ac forte. Nam fortitudinem & prouidentiam in paucis admodum reperiri existimo: ferocitatem verò & audaciam metu carentem, omni absque prouidentia, in multis & viris,& mulieribus,pueríisque & feris. Quæ igitur & tu,& alij multi fortia nominatis,ego ferocia nuncupo: fortia verò quæ prudenter discernunt,quæ audacia & quæ metu sint digna. LAC. Vides,ô Socrates,quàm bellè hic vir,vt putat ipse, se verbis ornat. Eos autem fortitudinis honore priuare contendit,quos alij omnes fortes esse consentiunt. SOC. Ego verò nequaquam,ô Laches, sed bono animo esto. Aio enim te,& Lamachum sapientes esse, si fortes estis, & alios insuper multos Athenienses. LAC. Nihil aduersus hæc inferam, etiam si quid valeam, ne me reuera calumniatorem quendam maledicum esse dicas. SOC. Ne dicas,ô Laches: haud enim aduertisse videris hunc à Damone amico nostro eiusmodi sapientiam accepisse. Damon autem Prodici est admodum studiosus. [b]Prodicus verò præ sophistis cæteris mirus in explicanda distinguendáque nominum vi fertur. LAC. Profectò his studiis se extollere So-

[a] *Intrepidũ & fortem esse differunt.*

[b] *Prodicus in explicanda distinguendaq; nominum vi mirus.*

ctates magis sophistam decet, quàm virum qué ciuitas dignum iudicat, qui præsit. SOC. Decet eum Laches, qui res maximas gerit maximam quoque habere prudentiam: inquirendum verò nunc censeo ad quid potissimum significandum Nicias fortitudinis nomen instituit. LAC. Tu ipse perquire hæc Socrates. SOCR. Efficiam vir optime: ne tamen putes ex communi te disputatione excludi, etiam tu mentem adhibe, & nobiscum dicenda considera. LAC. Esto ita, si ita agendum videtur. SOCR. Imò certè videtur. Tu autem Nicia, dic nobis rursus ab initio. Scis enim principio sermonis fortitudinem nos veluti quandam virtutis partem considerauisse? NIC. Equidem. SOCR. Nónne & tu quod suprà est inductum, vt partem aliquam respondisti, tanquam sint & partes aliæ, cunctæ autem virtutis nomine nuncupentur? NIC. Quidni? SOC. An tu easdem quas ego partes nominas: Nam ego quidem præter fortitudinem, temperantiam, iustitiámque, & talia quædam nomino, num tu quoque? NIC. Ego quoque. SOC. Attende iam hęc enim admittimus. De his autem quæ [a] metu digna terribiliáque sunt, & de his quæ audacia digna sunt, deinceps consideremus, ne fortè tu alia esse putes, alia quoque nos putemus. Quæ enim nos putamus, tibi exponemus. Tu verò si dissentis, doce. Arbitramur terribilia esse, quæ metum incutiunt: audenda, quæ metum nullum obiiciunt. Metum verò inferunt non præterita mala, non præsentia, sed quæ expectantur. Metum siquidem futuri mali expectationem vocamus. An non & tu idem sentis, ô Laches? LAC. Et maxime quidem Socrates. SOC. Audis, ô Nicia, terribilia metuen-

[a] *Terribilia seu metuenda quæ sint*

quendáque futura malà nos dicere: audenda, futura bona, vel certè non mala. Túne ita de his, an aliter sentis? NIC. Ita certè. SOC. Horum scientiam fortitudinem vocas? NI. Prorsus. SOC. Videamus præterea vtrum & in hoc tertio nobiscum sentias. NIC. Quid istud? SO. Dicam equidem. Mihi sanè atque huic videtur,[a] quorumcunque scientia aliqua est, non aliam scientiam esse præteritorum vt facta sunt, aliam præsentium, vt fiunt, aliam futurorum vt optimè fieri possint, sed eiusdem scientiæ opus esse hæc omnia posse. Quemadmodum circa sanum, & salubre per omne tempus non alia scientia, quam medicina, prospicit quæ fiunt, quæ facta sunt, quæ fient, quo pacto fiant, & circa illa quæ terra nascuntur, agricultura se similiter habet. Quinetiam in bello vos ipsi testes eritis, rem militarem subtiliter, & alia omnia & futura prospicere, neque enim subiici illam vaticinio vultis, sed præesse potius, vtpote acutius quæ in bello fiunt, quæue futura sunt prævident. Atqui & lex ita statuit, non vatem præfecto exercitus dominari, sed præfectum exercitus vati præesse. Asseremus hæc, ô Laches? LAC. Asseremus. SOC. An tu nobis consentis, ô Nicia ad eandem scientiam pertinere, eadem vt præterita, vt præsentia, vt futura sunt cognoscere? NIC. Equidem: nam ita mihi videtur, ô Socrates. SOC. Nónne vir optime, fortitudo scientia est metuendorum, contrariorúmque, vt ipse prædicas? NIC. Est vtique. SOC. Consistit autem ea quæ metuimus, futura mala: quæ verò audemus, futura bona esse. NIC. Planè. SOCR. Eadem verò scientia est earundem rerum præteritarum, præsentiúmque, & futurarum. NIC.

[a] *Scientia subiectum suũ secundũ omnes temporũ differentias complectitur.*

Redarguitur ea definitio fortitudinis, quæ ipsam dicit esse scientiã metuendorũ quod latius & angustius pateat.

Vera hæc sunt. SOC. Non solum igitur metuendorum contrariorúmque fortitudo scientia est, neque enim futura duntaxat bona malaue intelligit verumetiam præsentia præteritáque, & omnia simpliciter, vt aliæ scientiæ prospicit. NIC. Ita videtur. SOCR. Patrem itaque tertiam fortitudinis nobis Nicia respondisti, quanquam nos quid vniuersa fortitudo sit, interrogauimus. Enimuerò, vt videtur in præsentia, secundum orationem tuam, non modo metuendorum, contrariorúmque fortitudo scientia est, sed bonorum omnium atque malorum, omniúmque simpliciter (vt quidem ex verbis sequitur) quomodo libet sese habentium. Sicne modò, an aliter iudicas, Nicia? NIC. Ita mihi videtur, ô Socrates. SOC. Putas, ô beate vir, huic aliquam deesse virtutem, qui norit omnia prorsus, vt effecta sunt, fiúntque, & fient, maláue similiter? Eúmque virum indigere temperantia, & iustitia putas quàm humana bona, & mala prudenter intelligat, deuitet hæc, appræhendat illa, quíque recte cum omnibus viuere norit? NIC. Vera loqui videris, ô Socrates. SOCR. Quod ergo abs te inductum est Nicia, non pars virtutis, sed vniuersa virtus est. NIC. Apparet. SOCR. Veruntamen fortitudinem diximus partem aliquam esse virtutis. NIC. Diximus planè. SOC. Quod verò nunc dicitur, non apparet. NIC. Non. SOCR. Non ergo inuenimus Nicia, quid ipsa sit fortitudo. NI. Non videmur. LAC. At qui rebar, ô amice Nicia, inuenturum te, postquam me Socrati respondentem despiciebas, Ideóque sperabam te ex Damonis sapientia hæc nobis declaraturum. NIC. Bellè facis, ô La-

Laches, quòd nihil tibi negotij ampliusesse putas, eo quòd ipse modò nihil de fortitudine nosse visus es: solũ verò id curas, vtrũ ego quoque talis videar, neque quicquam referre censes, modò rerum illarum nihil vterque intelligamus, quas scire quenque conuenit, qui esse aliquid vult. Videtur ergo reuera [tibi accidere, quod vulgo, hominibus solet accidere] quod non in teipsum, sed in alios respicias. Ego autem arbitror à me de his rebus tolerabiliter dictum. Siquid verò minus commodè dictum est, posthac cum Damone ipso corrigam (quem tu quum nunquam videris, existimas deridendum) & cum aliis: & vbi solidè assecutus fuero, etiam te citra inuidiam docebo. Nam hac maximè indigere disciplina videris. LAC. Sapiens quidem es, ô Nicia, verumtamen Lysimacho huic & Melesiæ consulo, vt studium meum ac tuum circa filiorum eruditionem non exigant, sed Socratem hunc, quẽadmodum principiò dixi, ne negligant. Ego quoque si mihi adulti essent filij, idem fecissem. NI. Enimuerò & ipse censeo, si modò velit Socrates curam adolescentum suscipere, alium neminem esse quærendum. Nempe Niceratum huic libentissimè commendarem, si ipse vellet. Verùm quoties de hoc verba ei facio, alios quosdam ostendit, ipse recusat. Experire ergo Lysimache, num Socrates tibi magis obtemperet. LYS. Par est, ô Nicia: quandoquidem & ipse multa vicissim in eum conferre paratus sum, quæ aliis non multis sane faceremus. Quid ais, ô Socrates? Morémne geres, curabísque, vt optimi adolescentes euadant? Durum certè id esset Lysimache, si quis eiusmodi curam renueret. Quapropter si ego i

[a] *Vitiũ hominibus admodum familiare, vt se nequam quam, sed alios dunta xat intueantur.*

superiori disputatione peritus apparuissem, hi autem insci, meritò ad opus hoc ipse præcipuè vocandus essem. Cùm verò in eadem dubitatione hæreamus, quis nostrûm potius eligatur? Mihi quidem nullus præcipuè eligendus esse videtur. Cæterũ cùm ita hæc se habeant, videte num rectè nobis consulam. Oportere, ô viri, existimo (nam nihil horum efferi volo) in commune omnes inuicem quærere primùm quidem nobis ipsis optimũ præceptorem, egemus enim: deinde adolescentibus, neque pecuniis, neque vllis aliis rebus parcentes. Ita verò viuere, vt nunc viuimus, & filios ita curare, non consulo. Siquis autem nos irriserit, quod tam grãdes naturæ præceptoris ludum ingredi statuamus, Homeri illud obiiciendum. Ait enim viro egeno verecundiam nihil conducere. Quamobrem spretis omnibus, [qui aliquid aduersus nos dicturi sunt,] communem nostri adolescentúmque curam suscipiamus. LYS. Placent mihi quæ dicis Socrates, statuóque quò senior sum eò studiosius vnà cum adolescentibus discere. Sed heus, tu, sic prorsus facito. Cras prima luce domum venito, ac ne negligito, vt de his rebus consilium ineamus. Nam hodiernus iam soluendus est cœtus. SO. Efficiam quod iubes Lysimache: & si Deus voluerit, cras ad te veniam.

CLI-

CLITIPHO PLATONIS, VEL, exhortatorius.

DIMIDIATI DIALOGI PERSONAE, SOCRATES, CLITIPHO.

NVPER mihi retulit quidam, Clitiphonem Aristonymi filium loquentem cum Lysia, Socratis quidem consuetudinem vituperare, Thrasymachi verò laudare magnopere. CLIT. Quisquis ille, ô Socrates, fuerit, haud rectè narrauit, quæ de te cum Lysia sum loquutus. Nam in quibusdam laudaui te, in quibusdam minimè. Postquam verò apertè succenses mihi, quanquam dissimulas te nihil curare, libentissimè ego ipse tibi illa referam, præsertim cùm soli simus, ne adeò te despici putes. Fortè enim nunc non rectè audisti, quocirca infensior mihi redditus es, quã deceat. At si ipse mihi potestatem liberè loquẽdi dederis, libentissimè rem tibi narrabo. SOC. At turpe nimium esset, si te prodesse mihi volentem non tolerem. Constat enim vbi intellexero quà malus, quà bonus sim, deteriora declinaturum esse pro viribus, meliora prosecuturum. CLIT. Audi igitur. Equidem tecum versatus, sæpenumero Socrates vehementer obstupui, dum te loquentem audirem, mihique visus es, præclarissimè omnium dicere, quoties obiurgans homines veluti è machina

tragica * Deus subitò exclamares, Quónam ruitis homines? Nescitis quò feramini, neque opportunum quicquam agitis, qui omni studio pecuniis cumulandis incumbitis: filios autem quibus eas relicturi estis, negligitis, neque vt illis iustè vti sciant, eos iustitiæ præceptoribus commendatis, qui doceant iustitiã, si doceri potest, & si exercitatione atque consuetudine comparanda est, diligẽter exerceat. Neque vos etiam ipsos curastis vnquam. Sed cùm videatis literas, musicam & gymnasticam vos filiósque vestros ad sufficientiam consecutos, quam virtutis disciplinam perfectam existimatis, deinde nihilominus circa pecunias paruos esse, cur non præsentem educationem contemnitis? cur non quæritis aliquos, qui vos ab hac in musica dissonantia liberent? Et enim propter hoc delictum socordiámque magis, quàm propter pedis ad lyram dissonam motionem, & frater aduersus fratrem, & ciuitas aduersus alias ciuitates immoderata, & discordi seditione suborta feruntur, & commisso prælio extrema patiuntur & inferunt. Vos autem dicitis non propter ruditatem iscitiámque, sed sponte iniustos esse eos, qui sunt iusti. [a]Rursúsque asserere non dubitatis, iniustitiam turpem esse rem, Deóque odiosam. Quam igitur ob causam hoc tantùm malum sponte quis eligit? Respondetis, hominem superatum voluptatibus id subire. Nónne superari præter voluntatem est, quandoquidem ex voluntate est superare? Quapropter iniustè agere, præter voluntatem esse omnino ratio conuincit. Diligentiorem itaque curam, quàm solet adhiberi, & viros omnes priuatim, & publicè ciuitates decet. Quoties ista Socrates audio

* Proverb. Θεὸς ὅστις μὴ χαρίεις.

a An sponte iniusti sint, qui sunt iniusti.

dio te dicentem, mirum in modum delector ac laudo. idémque facio, cùm ea quæ sequuntur auscultо.[a] Addis enim eos quicunque corpus quidem exercent, animum verò negligũt, quod natura subiectum est colere, spernere verò quod imperat. Item vnicuique vsum eius rei qua vti nescit, relinquere. Illi verò qui oculis, auribus, toto corpore nescit vti, præstare neque videre, neque audire, neque aliter vti corpore, quàm vti. Similiter & in artibus. Quicunque enim lyra propria vti nescit, patet vt ipse ais, quòd neque alterius lyra scit vti: & qui aliena nescit vti, nescit & sua. Eadémq; est de cæteris instrumentis & possessionibus ratio. Atque eò tandem præclarè tibi sermo procedit, vt inferas, qui nescit anima vti, præstare huic vt otium agat anima, neque viuat, quàm vt viuat, & sui iuris in agendo ipse sit. Quem si qua necessitas cogit viuere, melius huic esse, vt seruus vitam ducat quàm liber. Licet ergo tánquam nauis, ita cogitationis gubernacula committere alteri cuiquam, qui gubernatoriam humanæ vitæ adeptus sit disciplinam, quam sæpe tu Socrates Politicam vocas, eandémque iudiciariam & iustitiam. His ergo sermonibus aliisque eiusmodi multis atque præclaris, virtutem asserentibus posse doceri, suíque ipsius in primis suscipere curam iubentibus, nunquam fermè aduersatus sum, neque vt arbitror in posterum aduersabor. Perutiles enim ipsos existimo, pluriműmque ad exhortationem valere, & ad homines quasi dormientes excitandos conducere. Adhibui itaque mentem, vt qui essem reliqua auditurus: percontatus sum non te primum, ô Socrates, sed æquales tuos, vel contubernales, vel

[a] *Animi quàm corporis lõgè maior cura habenda.*

ſocios, vel quomodocunque aliter affectos tibi oportet dicere. horum, inquam, eos ante alios, qui primi apud te habentur interrogaui. quis poſt hæc ſermo potiſſimum ſequeretur, ac more tuo, quodammodo ita præfatus quæſtionem expoſui. O viri optimi, quo pacto, inquam, Socraticas ad virtutem hortationes accipere deinde debemus? An quaſi ſolum hoc extet, prodire verò ad opus réque perficere minimè? Atqui noſtrum & hoc per omnem vitam erit officium, eos qui nondum ſatis incitati ſunt, prouocare, atque ita ſemper inuicem exhortari? An potius & Socratem, & nos ipſos, cùm non negemus hoc ipſum agẽdum eſſe, ſic inquirere decet, quid poſthac? vnde iuſtitiæ ſtudium incipiemus? Si quis nos ad curandum corpus hortans, tanquam pueros qui nequaquam aduertunt curam eius gymnaſticam atque medicinam eſſe, obiurget quòd de tritico, & hordeo, & vitibus ſemper cogitemus, déque omnibus quæ corporis gratia quærimus, artem verò & induſtriam, qua bonus corporis habitus fiat, nullam inquiramus, cùm tamen ſit aliqua: fortè illum rogaremus quas artes circa cultum corporis eſſe dicat, atque ille, vt arbitror, reſponderet medicinam atque gymnaſticam: Eodem pacto nunc quam artem circa animæ virtutem verſari censeamus, reſpondeat quiſquis petitiſſimus horum ſibi videtur. Reſpondet ergo ad hæc, artem hanc quam ex Socrate audiuiſti, nullam aliam, niſi iuſtitiam eſſe ſcias. Tunc ego, non ſolum, inquam, mihi nomen adducas, ſed vlterius ſic exponas. Medicina porrò ars quædam dicitur, ab hac duo fiunt: nam & medici ex medicis efficiuntur, & ſanitas reparatur. Alterum

terum horum haud amplius ars aliqua est: artis autem docentis perceptæque opus, est quod dicimus sanitatem. Ab architectura similiter duo fiunt, ædificium videlicet & architectura, illud quidem opus, hæc autem doctrina. a Iustitiæ quinetiam esto iustos alios facere, quemadmodum superiores singulo artifices: sed opus alterum, quod nobis vir iustus efficere potest, quid enim dicemus? declara. Respondit alius quidem, vt arbitror, conferens: alius, decens: alius, conducibile: alius, vtile. At ego reſpõdens obtẽci in ſingulis artibus eadem hæc nomina eſſe, rectè facere, vtilia, conducibilia, & alia huius generis. Illud verò artis cuiuſque proprium dicito, ad quod hæc reſpiciunt. Quemadmodũ in arte fabrili quod bene, pulchrè, decẽter ſe habere dicitur, illuc tendit, vt ex lignea materia aptè ſupellectilia fiant, quæ quidem ars minimè ſunt, ſed artis opus. Dicatur ſimiliter, & iuſtitiæ ipſius opus. Hîc quidam ex tuis familiaribus Socrates reſpondit, & belliſſimè quidem loqui viſus eſt. Opus iuſtitiæ propriũ, inquit, q. nulli⁹ alteri⁹ facultatis, eſt amicitiã in ciuitatibus parere. Ille rurſus interrogatus, amicitiam eſſe bonũ quoddam aſſeruit, malum verò nunquam. b Cùm verò interrogaretur de puerorum brutorũmque beneuolentiis, quas amicitias communiter appellamus, amicitias eſſe negauit, quippe cùm ſæpius obſint, quàm proſint: dixítque illas falſò amicitias nuncupari: veram autem amicitiam eſſe proculdubio cõſenſionem. Cùm autem quæreretur, vtrum aſſenſionem illam vocaret opinionis, an ſcientiæ cõcurſum: opinionem quidem contempſit, quia concurſus opinionum multi inter homines ac

a *Iuſtitiæ opus, an ſit amicitias cõciliare in ciuitatibus.*

b *Quid ſit vera amicitia & inter quos ſit.*

noxij sunt: amicitiam verò bonum omnino opúsque iustitiæ esse concesserat. Quare idem dixit esse concessionem & scientiam, non opinionem. Cùm verò huc loquendo delati essemus, ambigui auditores aduersus illum protinus inclamarunt, quòd eodem sermo reuolueretur: quoniam & medicina sit consensio quædam, & artes reliquæ, & circa quid versantur declarare queant. At verò tua hæc quã dicis, iustitia, vel consensio, quò tendit ignorat, quódue opus sit latet. Eadem abs te tandem quæsiui Socrates. Tu verò statim iustitiæ opus esse dixisti, prodesse amicis, inimicos lædere. Deinde verò visus tibi est vir iustus nunquam lædere quenquam, sed prodesse in omnibus vnicuique. Hæc non semel tantùm, ô Socrates, aut bis tentata sunt: sed cùm diu supplex vos sequutus fuerim, denique defessus sum, existimans te ad inflammandos homines, vt studium virtutis capessant, cæteris esse aptiorem. E duobus verò alterutrum necesse est, aut enim eatenus tantùm vales, vltra verò nihil, quod quidem in quauis arte contingere potest: ceu in arte gubernatoria fieri potest, vt qui gubernare nescit, excogitauerit aliquas eius artis laudes, quibus ad eam homines prouocet, quasi dignissima sit, & in cæteris artibus eodem modo. Idem fortasse tibi quis tribuet, quasi nihilo magis iustitiam ipsam cognoscas, etsi præclarè eam laudas. Ego autem non sic existimo. E duobus enim alterum, inquam: aut nescire te arbitror, aut nolle mecum communicare. Quamobrem ad Thrasymachum, vt opinor, me conferam, & aliò quocunque potero, sperauerόque à dubitationibus liberari. Neque verò aliò me conferrem

rem, si velles ipse exhortationibus istis quandoque facere finem. Porrò quemadmodum si me iam satis ad curam corporis, quæ gymnasticæ est, incitasses, post exhortationé huiusmodi aperires mihi qualis mei corporis esset affectio, & quali curatione indigeret: ita in præsentia facito: pone Clitiphonem tibi concedere ridiculum esse, vt in aliis rebus quis studium ponat, animam verò cuius gratia in cæteris laboratur, negligat, & alia quæcunque post hæc sequuntur & dicta modò sunt retulisse me puta. Obsecro te Socrates ne aliter facias, ne quemadmodum nunc, ita & posthac coram Lysia cæterisque hominibus, partim quidem laudare te, partim verò vituperare necesse sit. Ei nanque qui nondum ad virtutem sit prouocatus, conferre te plurimum asseram: Persuaso autem contrà impedimento esse te propemodum, quominus ad virtutis finem perueniens, beatus efficiatur.

CÆTERA DESVNT.



INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN HOC primo volumine continentur.

ABaris Hyperboreus pagina 800
Accidentia à definitionibus remouenda pag. 619
Ἀδολέσχης 515
apud Ægyptios Rex non est sacerdotij expers 617
Ab Affectibus superari nihil aliud est quàm inscitia, contra affectibus dominari nihil aliud quam sapientia 717
Agere, facere, & operari differunt. 807. Actiones quid propriè ibid.
Alcibiadis fastus ad summa quæque tendentis 82
Alcibiades ad Eurysacē genᵒ suum referebat 103
Aliquid, vnum, & ens se inuicem consequuntur 529
Amici varia definitiones in Lysi e 348 & deinceps
Amicitiæ definitio logica 110
Amicitiæ veræ inter homines causa 369
An amicitia foueat & cōseruet ciuitates dialectice disputatur in vtramq; partē 110
Amicus bonus omnibus rebus præferendus 357
Amussis alba prouerb. 795
Anaxagoras amplum neglexit patrimonium vt liberius philosopharetur 315
Anima libro & tabulæ rasæ similis 273
Animæ immortalitas quibus argumentis asseratur in Menone 53
Animæ pars immortalis, quibus vunculis diuinis vincienda 642
Anima quædam per se, quædam per corpus comprehendit 450
In anima quid sint morbus & seditio 517
prout Anima affecta est ita quisque se bene vel malè habere censendus est 619
ἀντίστροφον 296. 412
ἀπαθανατίζειν 798
Archelai Macedonum tyranni mors 128

Architectus, & *faber*, quid differant 16
Architectus non operatur, sed operantibus præest 577
Arithmetica duplex 295
Armorum tractandorum scientia commendatur 834 Lacedæmone non exercebatur 836
Ars propriè quid 294
Ars acquirendi quæ 517 duplex ibid.
Artes aliæ effectrices & causæ, aliæ quasi concausiæ & adiuuantes 605
Artes vnde & qua de causa in genus humanum inuectæ 596
in *Artibus* singulis pauci alicuius pretij 771
Athenienses peregrinos interdum suis copiis præfecerunt 501
Athenienſium ceremoniæ antiquiſſimæ circa defunctos 145
Axiomata nota & immediata non debeni quæri 734

B

Beatus nemo niſi ſapiẽs 125
in *Bonitate* perſeuerare ſolius Dei eſt 699
Bonum eſt id cuius gratia cætera ſiunt 252
Boni ſummi propria conſequẽtia 249
Bonorum gradus 307
Bona tam animi quàm corporis magis nocent præſentia quàm abſentia, ſi abſit ſcientia quæ illorum vſum legitimum doceat 738
Bonum appetere quomodo cogat mali præſentia 364
Bona an a nobis expetantur duntaxat mals depellendi cauſa 368
vir *Bonus* ſimilis Deo, item ſacratiſſima res 150
Bonus ſibi ipſi ſufficiens eſt 36

C

in *Care* periculũ facere 743 842
apud *Carthaginenſes* filios Saturno immolare ſanctum & legitimum erat 145
Cauſa & inſtrumentum plurimum differunt 613
Ciuilis ars 666. ciuilis ſcientia doceri non poteſt 667
Ciuilis ars non eſt nutritio, ſed curatio gregis 597
Ciuilis artis, quænam artes ſint ſubiectæ 636. & 637
cum *Ciuili*, quænam artes ſint maximè coniunctæ 635
Ciuili ſcientia præditus quomodo textoris munere fungatur 638. eadem quas naturas in matrimonio iungendas debeat miſcere 641 *Ciui-*

Ciuilium virorum liberi cerdonibus nihilo meliores 30
in Ciuili actione principatum tenet non scientia, sed recta opinio 77
quanam sint Ciuitatis instrumenta inseruientia operi viri politici 614
Clinias pater Alcibiadis ad Coroneam oppetiit 92
Cœlorum motus contrarij causa 590. Cœli mutata conuersione in cõtrarium regressa est hominũ natura 591
Cognoscere se ipsum, quid 120
Coloris definitio 47
si nulla possunt Coniungi & simul copulari tollitur omnis oratio 558
Consilium res sacra est 25
Consonantia quadam numerosa indiget vita hominis 676
verè Contraria coniungi & copulari non possunt 558
Contrarium vnum vni est 684
Contraria vni duo esse non possunt 125
Contradicendi in omnibus rebus facultatem profitetur sophista 523
Corpus nõ sitit nec esurit 268
Corybantes 465
Cretenses sapientiæ summi magistri 699
Crisо Imeræus cursor 688
Cupiditas quid sit & vbi nascatur 267. & 268
Curatio hominum bifariam diuidenda in voluntariam & violentam 599

D

Dædali statuæ nisi ligarentur fugere solitæ 75. 168
Dæmonium Socratis 33
Definitio est veluti interpretatio quædã differentiæ 481
Definitio debet conuenire omni definito 329
Definitiones accuratæ ex quibus constare debeant 167
Definitio omnia definiti singularia complectitur 397
Definitio rei necessariæ in disputationibus 25
Definitionis vocabulis tragicis & minimè propriis conceptæ exemplum 47
à Definitionibus accidentia remouenda 619. 621
Definitio rei solius nominis notitiæ præstat 506
ad Definitionis quæstionem nõ sunt adferendæ species sed vnum in multis declarandũ 532. 396
δεινὸς & καλὸς multiplicis sũt significationis 695
δεινότης & σοφία opponuntur 437
Demonstratio & necessitas

probabilibus rationibus oppo nitur 418
Deus non ducitur muneribus. item Deus magis ad animũ respicit, quàm ad dona & sacrificia hominum 138
Deus non malè vult hominibus 805
Deus summus hominum Rex pastor & gubernator 596
Deus nec voluptate nec dolore afficitur 265
à Deo alienum esse, summa est hominis miseria 438
à Deo omnia condita & facta esse agnouit Plato excluso casu seu fortuna à mundi fabrica 565
Dialecticæ nomen Metaphysicæ tribuitur 297
Dialectica aliarum artium inuenta examinat 749
Dialecticæ officium rectè diuidere, & nosse quæ genere aut specie communicent, & quæ secus 550
Dialecticæ artis insignis commendatio 190. vbi habes
Dialecticæ exercitationis exemplum
Dialectica disputatio, quare potissimùm discernatur à contentiosa 244
Dialecticæ opus pertinet ad purè philosophantem ibid.
Dialecticus ex concessis ab eo qui cũ disputat arguit 46
discrimen inter Dialecticas, placidas disputationes seu redargutiones, & concertationes 425
Differentia potissimùm definitionem constituit 481
Dialegerum Platonis tres species 37
Disciplinis quibusuis admixtis grauius peccatur quàm cibis quibusuis emẽdis 660
Disputandi ratio per interrogationes & responsiones Socratis semper probata 145
Disputare seu διαλέγεσθαι & ratione vti 115
Disputare Plat. est accipere & reddere rationes 689
Diuisiones generum in species parũ visitatæ antiquis, & quæ eius rei causa fuerit 568
Diuisio generis per species optima methodus visa Platonis ad inuestigãdas definitiones 612
Diuisio per partes æquales & species facienda 579. 583
Diuidere in membra tunc vtile licet, quum διχοτομία vti non possumus 613
Diuidendo vnum in multa secari debet, & ex multis vnum colligi 610
Diuitiæ, liberi, & eiusmodi neque bona neq; mala 758

Docilitas & mansuetudo ingenij rarò concurrunt 393
Doctrinæ via non, breuissima sed optima quæq; sequenda est 612
in Dolio figulariam exercere 842

E

Effectrix facultas quæ 507
Eleatica philosophia à Xenophane orta 536
Ἐλεγκτικῆς, seu artis redarguendi vtilitas summa 520
Elementa prima ex quibus omnia componuntur, orationem non admittunt 472
Ens etiam est non Ens respectu multarum rerum 557
Ens non Enti opponitur 555
non Ens est non minus quàm ipsum Ens 556
non Ens Entis non est contrarium, sed diuersum quid duntaxat 554
nec Entia omnia simul miscẽtur, nec nulla 547
non Ens cum Ente miris modis est implicitum 533
non Ens est in omnibus generibus 554
de Entium numero veterum Philosophorum opiniones diuersæ 535. 540. 541
Entium in quatuor genera diuisio. Infinitum, Terminum, Mixtũ ex vtroque: tum causam ipsam mixtionis 252 253 & sequentibus
Entium diuisio. Quicquid est, illud ꝓpter se est, vel propter aliud 291
Ephesij origine erant Athenienses 501
Essentiam rerum an percipiat sensus necne 451
inter οὐδοκιμεῖν & ἐπαινεῖσθαι, οὐφραίνεσθαι & ἥδεσθαι differt 690
οὐθύνειν quid, dum ad castigationes refertur 675 & οὐθύναι 676
Euryclem circumferre prouer. 548
Euthyphron de cuius nomine dialogus inscript⁹ est fatidicus & ariolus quidam fuit 156
Excellentes in vnaquaque arte magistri pauci 678
Exempla in rebus paruis prius spectanda, vt deinde rebus maiorib⁹ & difficilioribus accommodentur 601
Exempli generatio ibid.
Exempla obsides sermonum 473
Exemplorum vsus & necessitas ad res præsertim magnas & difficiles docendas 600

F

Falsum cogitationi primùm deinde orationi accidit 559

Felicitas, summum bonum 735
Figuræ definitio 46
Fortitudinis variæ definitiones allatæ & refutatæ 847 & sequentibus
Fortitudo an scientia 708
an Fortitudo sit in bestiis 854
Fortem & intrepidũ esse differunt 855

G

Generis dignoscendi à specie nota 169
Genus pro subiecto 263
Generatio est essentiæ causa 292
Gorgias cuilibet copiam ipsum interrogandi dabat 40

H

Harmoniæ species ibid.
Harmonia vitæ seu morum & orationis 844
Heracliti opinio de perpetuo rerum fluxu 277
Heraclitidictum de simia 323
Heracliteorum mos in disputando 442. illorum hæc fuit opinio omnia moueri 443
Hipparchus Pisistrati filius Homeri Poëmata in Attica intulit 5. Anacreontem Athenas acciuit, Simonidẽ apud se habuit 6. Hermis inscripsit salutaria vitæ præcepta ibid. Hipparchus ab Harmodio & Aristogitone cæsus 7
Hippias omnis artificij peritus 780
Hippocrates Cous ex Æsculapij genere 657
in Homeri poesi, quæ potissimùm continentur 488
Homo est anima vniuscuiusq; non corpus 115
de Hominibus terra genitis fabula 589
de Humani generis & aliorũ animantium genere fabula 668
ex Hypothesi aliquid considerare 61

I

Idea pro forma ipsa seu definitione tam generis quam speciei interdum accipitur 161
Idea pro specie seu forma 300. 306
de Ideis an sint, & quid sint probabiliter in vtraque partem disputatur in Parmenide 180 & sequentibus
ipsa Idea similitudinis non admittit contrarium nempe Ideã dissimilitudinis: participia tamen Ideæ contrarij alterum contrarium possunt recipere 782
Idea vniuscuiusque rei cõtrarij sui nullo modo particeps est

est 323
Ideæ non sunt notiones generum & specierum in animo existentes 185
Ideas Heraclitei primi inuexerunt, nihilque aliud verè esse præter Ideas dixerunt 540. 542
Ignorantia quid 518 duplex 519
Ignorantia sui, qua homines vulgò laborare solent, circa tria versatur 285
Ignorantia quantorum malorum causa 130
Ignorantia quædam bona, quædam mala 131
Ilias præstantius poëma Odyssea 774
Imitandi duæ species εἰρωνικὴ & φαλαζονικὴ 527
Incantationes animæ sunt bona & vtilia præcepta, quibꝰ ipsa à vitiis reuocatur 799
Indigens est amicum illius quo indiget 369
Infinitum non cadit sub scientiam 245
Insipientiæ multæ species 127
Inuidus dolet amicorum rebus prosperis & gaudet aduersis 286
Iouis Corinthus 750
Iustitia & sapientia maximo sunt in pretio, cũ apud Deos tum apud homines 139
Iusta & vtilia an eadem sint 94. & 96. 98
Ionici, Siculi siue Italici Philosophi, qui 536

L

Lacedæmoniorum reges genus vnde ducunt 103. eorundem dignitas 104. Lacedæmoniorum institutа 105 Lacedæmone ingens auri copia 106 Lacedæmoniarum precum formula 137
Lacedæmoniorum breuiloquæ sapientia cõmendatur 697
Lacedæmonij & Cretenses sui sapientiæ magistri 696
Legibus positis ex illarum præscripto regenda est ciuitas à Magistratibus 630
Legis variæ definitiones allatæ & refutatæ 142. 143. 144 & sequentibus
Leges sunt tanquam exẽplaria quædam 676
Legum conditores qui primi apud Græcos 149
Legislatorum sapientum vbiq; apud omnes populos cũ veritate consentiũt decreta 146
Lex maximum ciuitatis bonum 317
Lex cum sit Tyrannus multa præter naturam cogit 690 an optimum sit penes Leges

esse summam Reipublicæ potestatem 522. 628
Lex regia quid 147
Liberorum recta educatio difficilis, & maximæ curæ requirit 24. 771. 819
λίγος Græcis tria significat 478
Lueri variæ definitiones vide Hipparchum 2. 3 & deinceps
Lycurgus Lacedæmonius leges dedit 500. circiter annis ante Socratis ætatem 149

M

Magnes lapis idem qui Heraclius 492
Magnarum & difficilium rerum in parvis & facilibus tentanda & exploranda est cognitio 506
Malus dupliciter dicitur respectu minoris, & respectu mediocris 608
Mala quæ in mundo unde secundum Platonem 595
Mala penitus exstirpari impossibile 436. mala sunt in his inferioribus 437. fuga à malo quod est in rebus humanis est Deo quam proximè similem fieri ibid.
Mali præsentia, quomodo facit ut bonum quis appetat 364
Malè nullus homo sponte agit 701. 717.
Malum ut malum nemo vult aut appetit 48
Malus in aliqua re nemo potest esse, quin prius rem illam habuerit 700
τὸ μανθάνειν vocabulum πολύσημον 733
Margites Homeri 135
Marsyas primus tibiis leges imposuit 148
Melissi & Parmenidis opinio fuit, omnia esse unum, & hoc unū esse immobile 445
Memores & acuti qui 462 qui immemores contra ibid.
Memoria à reminiscētia quomodo discrepet 266
Mendaces qui 777
Mens humana, quid 259
Mens nostra est progenies mētis universi 262
Mens ad quartum genus rerū, nempe ad Causam efficientem referenda 259
Metiendi ars vel comparatè excessum cum defectu vel utrumque cum mediocritate 609
Mercatura disciplinarū 512
de Minoë testimonium Homeri 150. de eodem Hesiodi testimonium 152
à Minoë & Rhadamantho lata Cretensium leges inter Græcas vetustissimæ 149

Motus & quies ex rerum natura tolli non possunt 544
Motus duæ species 444
Motu omnia gignuntur & cõseruantur, quiete verò corrumpuntur 405
eorum qui omnia Moueri dicunt refutatur opinio 444
Mundus animal sapiens 589
Musica practica, minus pura scientia est 294

N

Naturalia omnia à Deo sunt 566
Negatio præposita nominibus non indicat contrarium eius nominis seu rei cui p̃ponitur sed diuersum duntaxat 554
circa Nilum pisces mansuefiunt 563
in Nobili genere meliores sunt naturæ, quàm in ignobili 103
Nomen, quid 561
νουθετεῖν, quid 520
Numerus quis quadrato, quis item altera parte longiori figuræ similis 398

O

Obstetricum artificio partem illam Dialecticæ quæ πειραστικὴ appellatur, id est tentatrix, comparat Socrat. 399. 400. 401
Oleum quibus prosit, quibus item noceat 686
Opinio quid 563
Opinionis veræ & scientiæ discrimen 75. 471
Opinio falsa quid 463
Opinari falsum quid sit 454 & seq.
qui Opinioni absque ratione credit, is aberrat ab eo quod est optimum 134
Opinio in nobis nascitur ex sẽsu ac memoria 272
an Opinio & oratio non Ente possint participare 559
an Opinio recta cum ratione sit scientia 480
Oratio, quid 563
Oratio, & cogitatio, quomodo idem sunt & differunt ibid.
Oratio quænam vera, quænam falsa sit 562
Oratio fit ex nominis cũ verbo compositione 561
Oratoria quomodo à ciuili distinguatur 635
Oratoria ars incantatrix, & hominum delinimentũ 748
Oratorum & philosophorum comparatio 432
Oratores Athenis Rem. regebant 132
Oratorum continua est oratio 679

P

Pædagogi olim erãt serui 353
παιδεία duplex 519
Pari impari ludebant etiam veteres 351

Parmenidū omnia vnum esse dicentis opinio examinatur 537. 538. 539.
Parmenidem senem adolescēs audiuit Socrates 447
Parmenides disputabat interrogando 505
inter Partem & Speciem differentia 581
Paucorum & populi dominatus tunc est laudabilis quū scriptis legibus & moribus patrijs nititur 631
sponte Peccantem Animam meliorem esse ea quæ inuita peccet. vide quibus argumentis probet Socrat. 789
Periclis, Themistoclis & Thucydidis summorum viroru liberi pessimi 70. 100
Pericles quorum consortio sapiens euaserit 100
Persarum reges genus vnde ducunt 103. *quanta apud Persas circa regum liberos cura adhibeatur.* 104. *apud Persas regij pædagogi qui ibid. Persarū deliciæ luxus & mollities* 10. *opes.* 106
Phantasia 563
φάντασμα quid 527
Phidias Athenienſis 657
Philosophi diuini homines 504
Philosophi ab imperitis hominib⁹ multiformes videntur 504
Philosophi est considerare quid hominem beatum miserúmue reddat 436
verè Philosophi proprium munus 21
Philosophum non magis facile est inuestigare quam Sophistā sed diuersa ratione 519
Philosophia ex admiratione nata 408
Philosophiæ priscæ forma fuit Laconica quædam breuiloquentia 698
qui ad Philosophiam animum appellunt medij sūt inter scientiam & ignorantiam 365
Philosophica libertas 434
Poësis ænigmatum plena 135
Poëtæ Deorū interpretes 493
Poëtarum cauenda sunt odia 152
Polygnotus insignis pictor 491
Prauitatis in anima duæ species 517
Protagoras, quantas opes cumularit sophisticam docendo 67
Proteus Ægyptius Sophista 747
Prudentia & scientia pro eodem promiscuè accepta 74
Prudentia & iustitia idem habitus 20
Prudentia interdum pro sapientia 125
Prudentia est virtus aut vnius

uersa, aut pars aliqua virtutis 64
Pudor & iustitia societatis humanæ vincula omnium hominum animis insita sunt 671
Pudor adolescentes decet 800
Pulchri variæ definitiones allatæ & refutatæ in Hippia maiore 320 & sequentibus
Pulchrum an idem sit quod vtile 333. an idem quod decet 329. an idem quod delectans visum & auditum 335
Purgatio quid 516
quid Purum & maximè verè in vna quaque re censendum sit 290

R

Rationes dare & accipere inuicem 842
artis Redarguendi imperitos vtilitas 520
Redargutionis causa est eius qui redarguitur ignorantia, & opinio falsa scientiæ 98
Redargutionum Dialecticarum & minimè Sophisticarum finis 811
Religionis variæ definitiones 172. & deinceps
an Religio sit scientia Diis vouendi & sacrificandi 172
Rex quis, duæ Regum species 631
Regnum optimum genus gubernationis 61. cur præter Regnum inuentæ sint aliæ Reip. formæ
Reip. perfecta administratio apud vnum vel paucos est 626
ex sex Reip. formis, optima est monarchia legibus administrata, ex iisdem ex legibus minimè intolerabilis est populi dominatus 633
Rerumpu. quinque formæ 618
quod Respondens affirmat vel negat, id ipse affirmasse vel negasse censendus est, non autem interrogans 93
Rhapsodus quid 485. rhapsodi interpretes poëtarum 493. rhapsodus autem & mimus pro eodem 495
Rhetoricam præferebat omnibus aliis artibus Gorgias 297

S

σαθρὸς. i. putris metaph. 159 294. 441.
Sancti variæ definitiones allatæ & refutatæ in Euthyphron. 161. & sequentibus
Sapiens nemo sine cognitione eius quod optimum est 133
Sapientis est omnia nosse aut si id non potest assequi, saltem seipsum nosse 247

Sapientes prisci à Reip. administratione abstinuerunt 313
Sapientem sibi ipsum primum sapere oportet proverb. 315
Sapientia, mens, scientia, & alia eiusmodi non sunt summum bonum 250
Sapientia & scientia an idem 395
Sapientia in omnibus rebus humanis felices nos facere creditur 736
an Scientia sit idem quod opinio vera 452
Scientia diuiditur in agentem & cognoscentem 575
aliud est Scientiam habere, aliud ipsa vti 466
nulla Scientia est vtilis, nisi eius rei quam docet aut efficit, vsum ostendat 747
an penes Scientiam sit in homine principatus electionis rerum agendarum 709
Scientiæ quæ puræ, & quæ minus puræ 294
Scientiæ nocet sine scientia eius quod optimum est 135
Scientia boni & mali reddit hominem beatum 822
quodnam sit Scientiæ scientiarum proprium munus 816
Sophisma ad probandum scientiam acquiri non posse 53
Scire non possumus ea, quæ vel à nemine didicimus, nec ex nobis ipsis inuenimus 89
Scire nostrum nihil aliud est, quàm reminisci 54
Scythæ in craniis hostium deauratis bibere soliti 761
Scythæ fugiendo pugnant 846
Senectus ipsa per se non dat mentem 843
Sensus, aliud, aliud scientia 451
Sensus non percipit essentiam rerum, sed anima ratiocinando ipsam assequitur 451
Sensibile & sensio quomodo fiant secundum opinionem Protagoræ 406. & sequen.
Seruitus quæ à puero contingit aufert animi magnitudinem 432
Similitudines, quia sunt ad decipiendum aptissimæ, cauendæ in primis 521
Simile simili amicum. an potius dissimile dissimili 360 & sequentib.
Simile simili natura cognatũ 690
Simile & συγγενὲς hoc est propinquum seu cognatum an differant 370
Simonidu dictum, Difficile esse virum verè bonum fieri excutitur 692 & sequen.
Simulacri, seu τῶν εἰδώλων definitio 532

Socr-

Socrates in dubitationē semper coniicere solitus erat eos quibus cum disputabat 52
Socrates admodum iuuenis in pugna apud Delium fortiter dimicauit, & grauem se gessit 834
Socrates genus suum referebat ad Dædalum 103
Socratis erga pueros turpis amor 797
Socratis forma qualis fuerit 393
Socrates se ignarum omnium rerum prædicat 810
Socratis ironia 33
Socrates solitus fuit non continua oratione sed interrogationibus agere cum iis quos vellet instituere 84
Socraticæ ironiæ exemplum 314. 734. 785. 791.
quam in Socratem accusationem intenderit Melitus 156
Solertia celeritas quædam animi est 802
de Solis ortu in occasum mutato fabula 588
Somnia alia per corneam alia per eburneam portam transire credebantur 820
Sophista quid 309. 533
Sophistæ qui 31. 66
Sophistæ definitiones vitiosæ 658
Sophistarum definitiones variæ 511 & sequentibus
Sophistarum definitio absoluta 569
Sophista, quomodo circa nomens versetur 528
Sophistarum insectatio 67
Sophistæ omnia miscent & confundunt nullásque distinctiones volunt admittere 756
Sophista est ἀπλογικὸς 528
Sophista falsa & adumbrata pro veris proponit 525
Sophistica antiqua & à multis illustribus viris specie & obtentu aliarum artium factitata 665
Sophistica hydræ lernææ, quā debellauit Hercules, comparata 758
Sophistica argutia & aucupia circa voces sunt merus ludus, qui nihil ad scientiam confert 734
Sophismatum varia exempla vide in Euthydemo
Spes animi corporis dolorem leuat 269
Sponsionis comes miseria 809
Statuarij insignes qui olim 491
σωφροσύνης variæ definitiones 801. & sequentibus

T

Terribilia seu metuenda quæ sint 856
Thales reprehensus ab anicula

ob lapsum in foueam 434
Theuth apud Ægyptios inuẽtor & author grammaticæ artis 246
Θύλακος λόγων saccus sermonum 416
Timor latius patet quàm pudor 169
Torpedo 52
Totum & omne differũt 476
Tragœdia Athenarum antiquissimum inuentum 152
Tyrannis duplex 30

V

Vates, aruspices, & sacerdotes quo loco habendi inter ministeria publicæ ciuitatis 617
Vas quid 613
Verbum quid 561
Versuti, qui 777
Virtutis variæ definitiones allatæ & refutatæ in Menone 49
Virtutis species, an partes sint totius integri an sint partes similares 680. & deinceps
Virtutis species, fortitudo & moderatio nonnunquam inter se pugnant 638
Virtus vel potentia quædam est vel scientia, vel utrumque 790
Virtus an sit sciẽtia in specie, nempe fortitudine demonstratur 708. 718. 719. 720
an Virtus doceri possit probabiliter in utramque partem disputatur in Menone 62
Virtutem discì posse quo argumento maximè probari possit 673. & 674
qui Virtutem alios docent, is quasi pro Deo habendus 728
Virtutem neque innasci, neq; sorte contingere sed doctrina & studio comparari quibus argumentis probetur 672
Vita triplex, suauis, tristis & neutra 278
Vita ex voluptate & sapientia mixta ab hominibus extpetenda 250
Vniuersum Deus non semper agitat atque rotat 589
Vnus quomodo sit multa 546
de vno & multis Sophisticis, de vno & multis Metaphysico, & de vno & multis Logicis 240. & 241. 547
de Vno & multis Sophisma 547
peruulgatum
Vocabulorum curiositas vitanda 579
Vocum vim inter disputandũ examinare nõnunquam necessarium est 448
Volantem insequi prou. 157

Voluptatem esse negantium argumenta 280
Voluptatis origo 267
Voluptatis & doloris subiectū commune 263
Voluptatis sensus quid sit & quomodo fiat 266
an Voluptas sit doloris carentia 278
inter Voluptatem & dolorem medius status 265. *contemplationem & vitam deorum comitatur* ibid.
Voluptatis variæ sunt species 238
Voluptates vehementissimæ quæ 280. 281
an Voluptas sit summum bonum hominis 236
Voluptas non est bonum, quia est generatio tendens ad medium statum, in quo neque dolemus neque gaudemus 293
nec Voluptas seorsim, nec sapientia item per se sunt bonum 301
Voluptas & dolor in genere Infiniti collocanda 278
an Voluptas sēper generetur, nec vnquam consistat eius essentia 291
Voluptatis pure & veræ quæ, earumque diuersi gradus 288. 289
Voluptas etiam pura quem locum in bonis obtineat, verè 307
Voluptates animi vera possūt esse vel falsæ sicut opiniones sunt vera & falsæ 269
Voluptas animi quædam in expectatione boni futuri posita 264
Voluptates vehementes sapientiæ officiunt 304
Voluptas animi iuxta corporis dolorem posita maior videtur quàm sit 276
Voluptates & dolores ex mutationibus magnis quæ corpori accidunt oriuntur 278
Voluptatis & doloris mixtiones in corpore 282. *mixtiones voluptatis animo cum dolore corporis* 283. *voluptates animæ in anima doloribus permixtæ* 284
in comparandis inter se voluptatibus, non est spectandum præsens an futura sit. sed vtra maior & vberior 714
Voluptatibus falsis praui homines vt plurimū gestiūt veris boni homines aluntur 274
Voluptas corporea quorum iudicio summum bonum existimetur 309
propter Voluptates venereas peierantibus Deos ignoscere fertur 306
Voluptuaria vita nulli bene-

num est expetenda sine intelligentia & ratiocinatione aliqua 249
Votum quid, & de votis in genere vid. 1. Aliib. 124.125 *& sequentibus.*

Z

Zeno Eleates Parmenidis familiaris & amasius creditus 178. *eius inter alias haec fuit thesis. Ea quae sunt non esse multa: quae quidem thesis suffragatur Parmenidi dicenti omnia Vnum esse* 179
Zamolxis rex & Deus Scytharum 798

Finis indicis primi Tomi.

Errata quædam sic emendantor.

Pag.32.aliósque,lin.27. & pag.33. linea 9.velle. pag. 36.lin.4.Sannionis. pag.42.lin.5.eo. pag.104 circa. pa. 128.lin.3.à fine,circunuenti. pag.129.lin.3.speranș. pag. 150.lin.11.altero. p.157.Socratem Melitus. pa.168.locus. primum. pag.184.in annotatione omissum,Ideæ. pag. 188.pro,à nobis,lege,&. pag.219 in annot.lege suppositio. & pag.221.in annot.consideratur. pag.230. in annot. Sequi. pag 231.in annot.ipsum. pag. 242. repone ista omissa,b.vnum metaphysicum. c.vnum logicum. pag. 244.in annot.quare. pag.264.in annot.c.lege,Voluptas non est suapte natura bona. pag.368.in annot.omissum, causa. pag.393.lin.10.cõtingat. pag 442.in annot. Heracliteorum. lin.14. illos. pag. 534. in annot.esse. pag. 631.in annot. patriis. pag 660. in annot. cibis quibusuis emendis. pag.822.Scientia,in annot.







BIBLJOTEKA KÓRNICKA
13910/11

Operum Platonis
Tomus primus.